# HESIODI, EUMELI, CINAETHONIS, ASII

ET

CARMINIS NAUPACTII

# FRAGMENTA

COLLEGIT, EMENDAVIT, DISPOSUIT

**GUIL. MARCKSCHEFFEL,**

THURINGUS.

---

*Praemissae sunt commentationes de genealogica Graecorum poesi, de schola Hesiodia, de deperditis Hesiodi reliquorumque poetarum genealogicorum carminibus.*

---

**LIPSIAE**

SUMTIBUS FR. CHR. GUIL. VOGELII.

MDCCCXL.

VIRIS CLARISSIMIS

# FRIDERICO RITSCHELIO

PHIL. DR. ART. LIB. MAG. LITT. ANTIQ. IN UNIV. RHEN.
PROF. P. O.

ET

# CAROLO SCHOENBORNIO

PHIL. DR. ART. LIB. MAG. PROFESSORI ET RECTORI GYMNASII
VRAT. AP. AEDEM ST. MAR. MAGD.

OPTIME DE SE MERITIS

HUNC LIBRUM PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

# Praefatio.

Erunt fortasse multi, qui id studiorum genus, cui promovendo hae commentationes destinatae sunt, leve atque indignum iudicent, cui accurata et diuturna opera impendatur, et qui graviora maioremque utilitatem habitura argumenta tractari malint, antequam ad tam exiles sterilesque quaestiunculas descendatur. Quos contra nolo ego sic disputare, ut huius libri materiam magnis efferam laudibus, quum eius rei ipse non satis idoneum et aequum iudicem esse sentiam, sed breviter enarrabo, qui factum sit, ut ego has quaestiones suscipiendas existimarem. Amplissimus enim Philosophorum in Academia Viadrina Ordo a. CIƆIƆCCCXXXVI philologiae studiosis hanc quaestionem certaminis caussa proposuerat: *Quum epicae poesis ab antiquissimis temporibus duo genera apud Graecos fuerint, quorum unum ad Homeri tanquam*

*ducis et antesignani, ad Hesiodi nomen alterum refertur: quoniam in illo magna contentione nec sine successu elaboratum est, nunc de altero ita quaeratur, ut definita utriusque differentia singulorum tum poetarum tum carminum in Hesiodiorum numero habendorum et recensio fiat, et, accedente ad testimoniorum auctoritatem coniecturae probabilitate, adumbratio et iudicatio.* De ea re quae scripseram et Ordinis Amplissimi iudicio subieceram quam non improbari Viris Summis intellexissem, et nonnulla rectius perspexisse mihi uiderer, non inutile his litteris iudicaui re diligentius retractata commentationes meas in lucem edere. Quod antequam fieri posset, errores, quos commisisse me mox sentiebam, corrigendi, manca supplenda, superflua recidenda erant. Praeterea aliquot illius commentationis capita deleui, quae erant de Hesiodiae et Homericae poesis differentia, de Hesiodii generis origine, de Hesiodi aetate, de Theogonia et de Operibus scripta; multo plura addidi, uelut de Eumelo reliquisque poetis genealogicis disputationes et fragmentorum collectionem, quam ego multis gratam acceptamque fore confido.

Ut vero edendi consilium exsequerer, duae potissimum caussae me adduxerunt, quarum

an,
its
et,
er
et
n

[illegible] minoribus litteris [illegible] scriptus est. Nomen librarii in fronte codicis et aetas eius ex sequenti inscriptione constat: „Hunc librum scripsit Petrus [illegible] Passerii Anno aetatis suae XXXVIII. currente anno MCCCCLXXXVIII. Et est mei [illegible] Passerii [illegible] patavini et amicorum." Reliquo [illegible] codicem [illegible] pretio comparavit 1567 Venetiis Io. [illegible] (Epist. coll. MSS. II, p. 100). Orphei codicem in Ruhnkenii usum comparavit Schellerus, in Io. Gottl. Schneideri usum Car. Fr. Heinrich. Cf. Schneideri ed. Ienae 1803. 8. pag. XXXIX. Dionysii codice, cum Schelleriano plurimis in locis conspirante, usus est Fr. Passow in ed. Lips. 1825. 8. Apollonii Rhodii codice negligenter usus est Chr. Dan. Beck in ed. sua Lips. 1797. 8., diligentissime iterum comparavit eum Wellauer. Hesiodi Scutum Herculis in edit. sua adhibuit Heinrich. Aratum contulit Io. Theophr. Buhle in ed. sua. Lips. 1793. 8. (Rep. II. Fol. n. 63.)"

Quod ad codicis in carmine Hesiodeo indolem attinet, admodum memorabilis est eius cum Parisino secundo *) similitudo, quae quidem tanta est,

---

*) Eius collatio a Ruhnkenio facta exstat in Gaisfordi Poet. min. III. p. 549. ed. Oxon.

ut neminem utriusque libri scripturas perlustrantem fugere queat. Multa enim et insignia scripturae genera his libris communia sunt, quae in nullo alio codice reperiuntur. Cf. ad v. 142. 148. 149. 161. 167. 205. 282. (de quo uersu neque Goettlingii notatio plena et Muetzellii de em. Th. p. 244 falsa est) 374. 425. 431. 458. 474. 480. 554. 563. 600. 636. 666. 669. (ubi manca est Goettlingii adnotatio de P. 2, in quo *Ζεύς* deesse e Ruhnkenii collatione patet) 693. 695. 696. (ubi item manca est Goettlingii adnotatio.) 697. (ita ut firmetur Ruhnkenii de P. 2 coniectura) 706. 754. 760. 764. 851. 892. (nam Goettlingii adnotatio de P. 2 fallit.) 994. Habes multa insignis similitudinis exempla, quorum numerus multo maior foret, si ea quoque exempla commemorare uellem, de quibus illis libris cum uno aut pluribus aliis conuenit. Nec dubito quin demonstratio plenior etiam euasura esset, si ampliorem Parisini libri notitiam haberemus. Nam eae res, quibus illi libri inter se discrepant, et paucae sunt numero, nec graues dignitate; quarum grauissimae hae uidentur: V. 139. *ὄβριμα* P. 2. *ἦτορ* R. — 141. *κεραυνούς* P. 2. *κεραυνόν* R. — 453. *Ῥεία* P. 2. *Ῥείη* R. — 801. *ἀπαμείρεται* P. 2. *ἀπομείρεται.* R. — Versu 655 et 595 similitudo maioris momenti est quam discrepantia. V. 265 dubito de Ruhnkenianae notationis ueritate, nec

multum abest, quin θύγατραν etiam in P. 2 esse putem. Reliqua discrepantiae exempla (110. 446. 563. 830) adeo leuia sunt, ut in hac caussa paene nihil ualeant.

Quae quum ita sint, aut alterum horum librorum ex altero aut utrumque ex eodem fonte deriuatum suspicor. Quod si uerum est, iam non admodum desiderabimus accuratiorem Parisini cognitionem, quum magna ueri specie e scripturis Rehdigeranis de Parisinis coniectura fieri possit. Hinc iam existimare licebit, quam fallax sit Ruhnkenii de P. 2 silentium, merito illud Muetzellio p. 220 suspectum. Non enim legi uidentur ibi ea, quae de u. 23. 32. 93. 420. 446. 574. 153. 178. 276. 347. 380. 451. 826 suspicatus est vir doctus.

Praeterea exstat in bibliotheca Rehdigerana exemplar MS. interpretationis latinae Operum ac Dierum a Nicolao Valla factae et ad Pium II. Pontificem Maximum scriptae, quam ad hunc usque diem ab criticis misere neglectam queritur Muetzellius p. 248. Not. Restat, ut cum editione Dindorfii Lips. 1825. contulisse me codices significem.

# Theogonia

V. 5 *Τερμησσοῖο*
- 6 *Ἵππου κρήνης*
- 9 *πολλῷ*
- 18 *Ἠῶ τ᾽*
- 18 et 19 inuerso ordine
- 24 *πρῶτα*
- 26 *γαστέρες, οἷον*
- 28 *εὖτε θέλωμεν*
- 29 *κεῖναι*
- 31 *δρέψασθαι*
- 32 *ἵνα κλείοιμι — πρῶτ᾽ ἐόντα*
- 34 *ὕστερον*
- 38 *πρῶτ᾽ ἐόντα*
- 43 *δώματ᾽ ἀθανάτων*
- 45 *ἔτικτεν*
- 46 *δοτῆρες*
- 48 *ληγοῦσαί τ᾽ ἀοιδῆς*
- 49 *κάρτει*
- 50 *αὖθις — καρτερῶν τε*
- 56 *μητίετα*
- 57 *ἀπαθανάτων*
- 59 *πολλ᾽ ἐτελέσθην*
- 60 *ἣ δ᾽ — κούρας*
- 64 *τε* om.
- 65 *ἰεῖσαι* ut solet
- 67 *κλαίουσαι*
- 70 *ὑπὸ*
- 71 *νισσομένων, πατέρ᾽ εἰς ἑόν· ὃ δ᾽*
- 79 *ἡ δὲ*

v. 80 *ἢ*
- 81 *τιμήσουσι*
- 92 *ἀγρομένοισιν*
- 93 *οἷά τε*
- 94 *ἐκ γάρ τοι Μουσάων*
- 97 *φίλωνται*
- 98 *νεομηδέϊ*
- 99 *ἄζηται — αὐτὰρ*
- 111 *δοτῆρες*, ut 633
- 117 *Γαῖα — ἕδος* (ut v. 128)
- 120 *Ἔρως*
- 123 *Χάεος*
- 124 *αὖ Ἀ.*
- 125 *κυσσαμένη*
- 126 *ἶσον*
- 127 *ἀστερόεντα — καλύπτῃ*
- 131 *ἠδὲ.* Vocabulum *πέλαγος* bis scriptum fuerat, sed semel expunctum est. — *θύον*
- 132 *ἱμέρου* omissis litteris *ἐφ*
- 133 *τέκεν*
- 135 *Θείαν τε*
- 137 *ἀγκυλομήτης*, ut v. 168
- 139 *δ᾽* om.
- 143 *μοῦνος δ᾽ ὀφθαλμὸς μέσσῳ*
- 148. 149 inuerso ordine
- 152 *ἐπιστιβαροῖσι μέλεσσι*
- 153 *τ᾽* pro *δ᾽*

v. 159 στεναχίζετο
- 161 ποιήσασθαι
- 164 αἴκε θέλητε
- 167 δ' ἀνὰ πάντας ἕλε δέος
- 168 θαρσῆνας
- 169 αἶψ' αὖθις
- 170 τοῦτο ὑπ.
- 173 γήθησε
- 178 πάντη· ὁ δ' ἐκ λόχοιο
- 179 ἔλαβεν
- 185 Ἐρριννῦς
- 187 Μελιὰς καλέουσιν ἐπ'
- 190 ἀμπέλαγος πολὺν
- 192 ζαθέοισι
- 195 ὑπὸ
- 197 ἐν om.
- 199 κυπρογενέα δ'
- 200 φιλομήδέα
- 205 μελεδήματα
- 209 εἴφασκε
- 215 κλειτοῦ
- 216 μέλλουσι
- 217 νηλεοποίνας
- 228 τε primum om.
- 229 τε extremum om.
- 230 ἀλλήλοισιν
- 232 ὀμόσσῃ
- 234 ἀτὰρ
- 235 ἤπιος — θεμιστάων
- 236 ἤπιά
- 237 αὖθις δ' αὖ Θαύματα.
- 240 μεγήριτα
- 241 ἀτρυέτω
- 242 τελέεντος
- 245 Σπειρώ τε Θόη θαλιή τ'
- 246 et 247 inuerso ordine
- 249 Ἀκταίη
- 253 τ' ἐϋστέφανος θ'
- 256 φιλομειδής
- 258 Πολυνόμη
- 259 φυή τ' ἐρατή τε καὶ
- 260 δέμας ἠ τε μενίσκη

v. 263 αὗται
- 265 Θαῦμας — θύγατραν
- 266 ἠδ'
- 269 οἰκείῃσι
- 270 Κητὼ — καλλιπαρήους
- 271 γενεῆς
- 273 κροκόπελον. antea Πεμφρηδώ
- 276 Σθενώ τ'
- 277 αἱ δ'
- 279 εἰαρινοῖσιν
- 281 ἐξέθορε
- 282 παρὰ πηγὴν
- 283 γένεθ' — φίλοισι
- 284 χ' ὡ
- 287 τρικέφαλον
- 289 ἄρ' om.
- 290 εἰλιπόδεσσι
- 291 ἤματι, ut solet
- 293 Ὄρθρον prima littera ρ. deinde ἰδέ pro καὶ
- 294 περικλυτοῦ
- 301 — 305 hoc ordine leguntur: 303. 304. 305. 301. 302
- 306 ἐνὶ φ.
- 307 ὑβριστὴν ἄνομόν θ' ἑλικώπιδι νύμφῃ
- 308 ὑποκυσσαμένη — καρτερόφρονα
- 309 Ὄρθον
- 312 πεντηκοντοκέφαλον — καρτερόν τε
- 317 Ἀμφιτρυωνιάδης
- 320 ποδώκεάν τε
- 322 ὄπισθε δὲ δ.
- 324 ἀπὸ πνέουσα
- 326 φλέγ'
- 327 Ὄρθῳ — Νεμεαῖόν τε
- 328 ῥ' om. — κυδρη
- 329 γουνοῖσι κ. Νεμείοις
- 330 ἐλεφαίρατο
- 331 Ἀπέσσαντος

v. 332 ἐδάμασε
- 336 κὰκ Φ. — ἐστιν
- 340 Φάσιν τε Ῥῆσον τε καὶ Ἀχελώϊον ἀργ.
- 341 Νίσσον
- 343 Ἕρμον εὐρείτην
- 345 Ἀλδῆσκον
- 348 παρὰ
- 350 Οὐρανία
- 351 Ῥοδία τε Καλλιρρόη τε
- 352 Ἰδυῖα Πεισιθόη τε
- 357 ἐρώεσσα
- 358 pro Τελεσθώ τε in textu sic: καὶ ἱμερόεσσα, sed margini adscriptum: Τελεστώ τε
- 359 Κρησίη τ'
- 361 δὴ σφέων
- 364 τρισχίλιαι εἰσὶ ταν.
- 367 καναχηδὸν
- 369 ἐνισπεῖν
- 370 οἳ ἂν περιναιετάωσιν
- 372 Ἠώ θ'
- 373 ἔχουσιν
- 374 ὑποδμηθεῖσα
- 375 τέκεν ἐν
- 376 μέγαν
- 377 θ' om.
- 380 θεα θεῶ
- 383 ἔτεκεν
- 385 Βίη
- 388 παρὰ
- 391 ἐκάλεσε
- 393 τιμὴν θ' ἕκαστον
- 394 γε om.
- 398 σὺν σφίσι παίδεσι
- 399 δέδωκεν
- 400 ἔθηκεν
- 402 αὔτως
- 404 εἰς
- 405 δ' ἤπειτα θεὰ θεῶν. Prius etiam v. 562
- 407 ἤπιον — θεοῖσιν

v. 410 μέγα om.
- 411 ὑποκυσσαμένη
- 416 ὅτέ που τις
- 417 ἔρδων
- 418 ἕσπεται
- 420 πάρεσπ
- 423 οὐδέ τι μὴν Κ.
- 424 ἔλαχε
- 425 ἔχειν ὡς τὸ πρὶν ἀπ'
- 429 παραγίνεται
- 431 ἢν δέ ποτ' ἐς — θωρήσσοιντο
- 432 παραγίνεθ' οἷς κε θέλησιν
- 435 αὖ — ἐν ἀγῶνι ἀθλεύωσιν
- 436 τοῖσι — ὀνίνησιν
- 438 τοκεῦσι τε
- 439 ἱππήεσσι — κε θέλησι
- 442 δ' om. κυδρὴν (ν expunctum est)
- 447 καὶ ἐκ
- 451 πολυδέρκεον
- 453 Ῥείη δ'
- 454 ἑστίην, Δήμητραν
- 455 ναίη
- 458 πελεμίζετο
- 466 ἔσχεν
- 469 λιτανεύετο τοκ.
- 471 μῆτιν οἱ φράσσασθαι
- 472 ἐριννῦς
- 473 ἀγκυλόμητις
- 480 κρύψεν δ' εὐρείη τρεφέμεν
- 482 κρῦψε δέ
- 484 πεπυσκασμένω (sed σ prius expunctum)
- 485 σπαργανώσασα
- 487 ἐγκάτθετο
- 490 δαμάσας
- 493 ηὔξατο· τοῖο δ' ἄνακτος (ε superscr.)
- 494 ἐνεσίησι

v. 495 ἀγκυλόμητις, ut v. 546
- 497 ἐξήμησεν
- 499 Παρνήσσοιο
- 500 ἔμμεν
- 501 λῦσε — ὑπὸ
- 511 ἁμαρτηνόον τ'
- 512 ἀλφιστῆσιν
- 520 μητιέτα
- 522 ἐλάσας
- 523 ἀτὰρ
- 525 ἦμαρ ἔδει·
- 530 Ἡρακλέος
- 531 τοπάροιθεν
- 532 ἄρ' ἄζ.
- 537 Ζηνὸς
- 541 εὐθετήσας κατέθηκε καλυψάμενος ἀργέτη δημῷ.
- 547 ἧκ'
- 549 ἑλεῦ ὁποτέρην
- 554 ἀμφὶ δέ μιν χόλος ἵκετο θυμῷ
- 560 ἐπελήθεο
οι
- 563 μελίησι — ἀθανάτοιο
- 565 ἐξηπάτησεν ἐῢς παῖς
- 567 δάκε δ'
- 569 ὡς ἴδ' ἀνθρ.
- 570 τεῦξε
- 571 σύμπλασε
- 572 ἴκελον
- 575 κατέαξε
- 584 θαυμάσια
- 586 ἦσαν
- 589 ἴδον
- 593 ἀλλ' ἀκόρεστοι
- 594 ὁπότε σμήνεσσι κατ'
- 595 βόσκωσι — ξυνήονας
- 597 ἠμάτιον
- 600 ὡσαύτως — κακοῖσι
- 601 ξυνήορας
- 605 γηροκόμοιο γε βιότου τ' ἐπ.

v. 606 διακτῆσιν
- 608 ἀρηρυῖαν
- 609 ἀπαιῶνος
- 613 ὡς
- 617 Βριάρεω δ' — ὠδύσατο θυμῷ
- 627 πάντα
- 628 κείνοισιν
- 632 οἱ μὲν ἐφ'
- 636 συνεχέες
- 638 πολέμοιο
- 640 τ' om.
- 641 ἐνὶ
- 642 ὡς νέκταρ τ' ἐπάσσαντο
- 644 τε om.
- 650 ἐναντίον
- 652 ὑπὸ, ut in proximo versu
- 655 πιφαύσκεαι
- 658 σῇσι δ' ἐπιφροσύνῃσιν ὑπὸ
- 659 ὑπὸ
- 660 ἠλύθομεν
- 662 ὑμῶν
- 664 φάτο· ἐπῄνεσαν — δοτῆρες
- 665 δὲ λιλαίετο
- 666 πάροιθεν — ἔγειρεν
- 669 οὓς κεν Ἐρέβευσφιν ὑπὸ
- 672 δ' ἐκ.
- 673 μέλεσσι
- 675 στιβαραῖς
- 677 βίην
- 682 ποδῶν αἰπεῖα τ' ἰωὴ
- 684 ἀλλήλοισιν
- 686 ξύρισαν
- 687 ἴσχεν.
- 690 συνοχαδὸν
- 691 ἀστραπῇ πετέρωτο.
- 693 φερέσκιος ἐσμάραγιζε
- 695 ἔζει

v. 696 θέρμη sine ἀϋτμη
- 697 δῖον
- 702 αὔτως
- 703 γάρ καὶ μ.
- 706 κονίην τ' ἐσφ.
- 709 ὄτοβος
- 711 ἀλλήλοισιν
- 713 ἤγειραν
- 721 — 725 sic exhibet: τόσσον δ' αὖ ἀπὸ γαίης ἐς τάρταρον ἠερόεντα· ἐννέα γὰρ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων οὐρανόθεν κατιὼν δεκάτη δ' ἐς γαῖαν ἵκοιτο ἶσον δ' αὖτ' ὑπὸ γαίης ἐς τάρταρον ἠερόεντα. ἐννέα γάρ οἱ νύκτας τε καὶ ἤματα χάλκεος ἄκμων ἐκ γαίης κατιὼν δεκάτη δ' ἐς τάρταρον ἵκοιτο
- 727 τριστοίχειον κέχυται
- 728 πεφύκασι — θαλάττης
- 729 ἔνθα δὲ οἱ T.
- 732 θύρας δ'
- 733 περοίχεται. In margine legitur: Γρ. περίκειται
- 734 κόττος καὶ ὁ Βριάρεως
- 735 ναίουσι
- 742 φέρει προθύελλα
- 743 δὲ pro τε
- 748 Ἡμέρη ἀμφὶς ἰοῦσαι
- 754 εὖτ' ἂν
- 760 ἐπιδέρκει
- 762 τῶν δ' ἕτ.
- 763 ἡσύχως ἀναστρέφεται
- 769 ἑστᾶσι
- 772 αὖθις
- 774 abest

v. 775 δὲ om.
- 777 νόσφι
- 778 μακρῆσι
- 781 ἀγγελίη
- 782 ὄρηται
- 786 ἠλιβάτοιο
- 791 εἰλιγμένος
- 792 μίη — προρρέει
- 795 νήπστμος
- 797 βρῶσις, ἀλλά γε κεῖται
- 798 ἐλίκωμα
- 799 τελέσση
- 800 δ' om. Deinde χαλεπώτερος ἄεθλος
- 804 εἰρέας
- 805 ὅρκον
- 806 τὸ δ' ἵησι
- 811 καὶ λάϊνος οὐδὸς
- 812 διηνεκέεσσι
- 817 τ' om.
- 820 ἐξήλασε
- 822 χρυσῆν, ut 960, 1005 et 1014
- 826 λελιχμότες
- 827 κεφαλῆς
- 830 ὅσ'
- 832 ἄσχετον
- 835 αὖτε ῥοίζεσχ'
- 840 κονάβησεν
- 844 κατέχεν
- 847 ἔζε πυρὶ χθὼν
- 848 θύε
- 850 τρέσσε δ' Ἀΐδης ἐνέροισι
- 851 Τιτῆνες δ' ὑποταρτάροιο κρόνου
- 856 ἔπρεε
- 857 δάμασεν — ἱμάσας
- 858 γνωθείς
- 862 αὔτμη
- 863 εὐτρήτοιο
- 865 κηλείω
- 866 Ἡφαίστοιο

** 2

v. 868 ῥίψε
- 870 Ζεφύρου τε
- 872 μὰψ αὖραι ἐπιπνέουσι
- 873 αἳ δή ται
- 875 ἄλλη ἄησι
- 876 γίνεται
- 877 συναντῶντες
- 878 αἵ δ' αὖ κατὰ γ.
- 880 πιμπλῆσαι
- 884 εὐρύοπα Ὀλύμπιον Ζῆνα
- 885 εὖ
- 887 ἠδὲ
- 888 ἔμελλε
- 890 ἐγκάτθετο
- 892 τὼς γὰρ ἐφρασάτην — βασιληΐδα
- 897 ἐπεὶ τ' ἄρα
- 898 ἤμελλε
- 899 ἐγκάτθετο
- 903 ὠραίουσι κατὰ θν.
- 904 μητιέτα, ut semper
- 910 εἴβεται
- 915 ἐράσατο
- 917 ἄδον, ut v. 926
- 920 μεγεῖσα
- 922 Ἄρεα — ἔτικτεν

v. 925 ἀγρέστατον
- 926 κελαδοί — πολεμοί
- 930 ἐνοσίγαιον
- 932 φιλῃ om.
- 945 Ἀγλαίην
- 954 ἀνύσας
- 957 τε om.
- 961 νύ om.
- 964 ἁλμυροὶ
- 968 ἀθανάτοις — ἐπιείκεα
- 972 ἐσθλὸς
- 973 καὶ οὐκ ες
- 974 τὸν δὴ ἀφνειὸν τεθῆκε
- 975 χρυσῆς
- 978 εὐστεφ.
- 981 Καλλιρρόη — κράτιστον
- 982 Γηρυονέα
- 983 βοῶν ἔνχ' εἱλιπόδων
- 986 αὐτὰρ ικεφάλω
- 989 φιλομηδής
- 994 Αἰήτεω τελέσσας
- 1003 ἀλίοιο
- 1007 γείνατ'
- 1014 Τηλέγονον δ' ἔτεκε
- 1015 μυχῶν εἴσω ἱεράων
- 1016 πᾶσι — ἀγακλυτοῖσιν
- 1020 θνητοῖσιν

## Ἔργα καὶ Ἡμέραι.

v. 2 δι'
- 5 ῥεῖα — ῥεῖα δὲ βριάεντα
- 12 ἐπαινέσειε
- 19 et 20 librarii errore omissi inter scholia leguntur integri. Voci ἀπάλαμον ν post μ m. s. additum est.
- 22 ἀρόμμεναι
- 23 τε om.
- 30 ὥρῃ
- 37 ἐδάσαμεθ'
- 39 δικάσαι
- 40 ὅσω a m. pr. ὅσσω a m. s.
- 42 ἀνθρώποισιν
- 43 ἐργάσαιο a m. pr. ἐργάσσαιο e corr.
- 48 μὶν a m. s. ἐξαπάτησε α prius e corr. ἀγκυλόμητις
- 50 αὖθις — πάϊς
- 56 σοί τ' αὐτῷ
- 59 ἐγέλασε
- 63 παρθενικαῖς
- 65 χρυσῆν
- 66 μελεδῶνας
- 68 Ἑρμείην
- 69 κρονίονι a m. pr. κρονίωνι a m. s.
- 71 ἴκελον

v. 80 κήρυξ
- 81 πανδώραν
- 82 ἀλφίστησιν a m. pr. ἀλφηστῆσιν a m. s.
- 89 ἐνόησεν
- 91 τε om.
- 97 ἔμεινε
- 102 ἐφ' ἡμέρῃ αἶδ' ἐπὶ
- 103 a m. s. additus.
- 105 οὔτι που ἐστὶ
- 111 a s. m. additus. — ἐμβασίλευε
- 113 τε om.
- 120 ἐπεὶ κεν τοῦτο — κάλυψε
- 139 καὶ a s. m. corr. Videtur κεν fuisse.
- 143 χάλκεον
- 144 ὄ βριμον spatio inter duas priores litteras relicto, quod litterae alicuius deletae speciem praebet.
- 152 ἀοίδαο
- 153 νώνυμοι
- 155 κάλυψεν
- 164 Τροίαν
- 165 ἀμφεκάλυψεν
- 166 ὀπάσας
- 171 τρὶς τοῦ ἔτους
- 173 πρόσθεν
- 179 γινόμενοι

v. 184 πέμψονται
- 185 οὐδὲ μεν οἴγε. Sed fuerat οὔτε, quod corr. m. s.
- 186 ἀποθρεπτήρια
- 197 ἴτον
- 199 ἀνθρώποισιν
- 201 ἴρηξ, ut v. 210.
- 204 ἔειπεν
- 208 κε θέλει
- 220 πόλιν τε καὶ
- 222 ἐξελάουσι
- 223 ξένοισι
- 228 ποθ' ἰθυδίκαισι
- 231 μέση
- 238 ἐπαυρεῖ
- 242 τίκτουσι
- 248 λεύσουσιν pro φράζονται
- 250 μυρίοι
- 255 κυδρή
- 259 βασιλήων
- 260 παρακλίνουσι, sed alterum α erasum est.
- 266 ἐπὶ δ.
- 268 δ' ἐγὼ
- 276 ἐπ' αὐτοῖς
- 278 γίνεται — ἐθέλει
- 279 γινώσκων
- 281 ἀάσθη
- 284 ἐρέω a m. s. additum.
- 285 ἐστιν
- 288 ὀλίγη pro λείη
- 289 ἵκηται
- 290 δὴ 'πειτα
- 291 αὐτῷ — νοήσει
- 294 μὴθ' αὐτῷ
- 301 τῶδε
- 302 ὁρμήν
- 305 καί a m. pr. κέ a m. s.
- 308 δὲ pro γάρ. ἀεργόν.
- 312 δ' οἷος ἔησθα· τὸ ἐργ.
- 317 ὄλβον, sed a m. s.

v. 321 γίνεται
- 322 δέ om.
- 325 ἔρξει
- 326 βαίνει
- 329 γήρως
- 330 νεικέιει χαλεποῖς
- 331 δή τοι
- 336 δὴ σπονδῇσι θυέεσσι
- 342 ἐγχώριον
- 350 κέρδαια
- 359 καταθοῖο
- 360 τοῦθ' ἔρδοις
- 362 οὐδὲ et κατακείμενον e corr.
- 364 μέν τι παρ.
- 367 μέσσοθι. Deinde δειλὴ a m. pr. δεινὴ a m. s.
- 368 δ' om.
- 370 δ' ἄρα ὅμως spatio interiecto.
- 375 σώζοι pro εἴη
- 376 παῖδ' ἕτερον
- 380 ἔργον δέ τ' ἐπ', omisso καὶ
- 383 αἵ δή τοι
- 387 ἄγγεα
- 390 ἀμᾶσθαι
- 392 ἀέξεται — μεταξὺ
- 401 ἐστ' ἐπέων
- 402 ἀλεωρεῖν
- 407 παραμείβεταί a m. pr. παραμείβηται a m. s. μινύθει
- 409 ἐτωσιοργὸς
- 410 δέ τοι e corr.
- 418 ἦμος
- 423 σφύραν
- 424 ἄψιν
- 425 ἐπικάμπυλα
- 426 ἐς
- 427 ἀροῦν a m. s. suprascr.
- 428 δμῶος
- 429 γόμφοισι

v. 430 κατ' οἶκον
- 431 οὕτω
- 432 βάλλοιο
- 434 πρίνου γύην
- 436 τῷ
- 438 δ'
- 442 ὁμίληκας, ut 445.
- 444 δάσασθαι
- 445 κουρότερος e corr. Fuerat κουρότροφος.
- 448 τε om.
- 454 δούρατ'
- 455 δεῖ ἔχειν
- 457 δεῖ a m. pr. δὴ a m. s.
- 460 εἴαρι
- 466 ὅρπηκα
- 467 τυτθὸς
- 468 δμῶος — μακέλιν
- 472 post εἰ littera aliqua erasa est.
- 474 βιότοιο ἐρεύμενον
- 477 τροπῆς
- 480 θηήσονται prius η e corr.
- 482 καταθνητοῖσι
- 485 δὲ pro τε
- 487 ὀπλὴν
- 488 ἰσοφαρίζῃ
- 490 γινόμενον
- 491 θῶκον a m. s. additum. ἐπ' ἀλέα
- 492 εἶργον
- 493 ἰσχάνῃ
- 500 μέσον
- 501 ποιεῖσθε a m. s. Fuerat ποιεῖσθαι.
- 508 πολυβοτείρῃ
- 514 καί τοι δι'
- 518 ἔντοσθὲν
- 521 ἔνδοθεν, ut v. 599. 731.
- 523 καὶ ἐν ἤθεσι
- 532 οὔτ'

v. 537 περιέσασθαι — ἀτρεμέωσιν
- 539 πέδιλαι
- 540 πυκάσας
- 541 ὁπότε
- 542 νεύρα (id est νεύρᾳ)
- 548 ἀπο αἰὲν ἀόντων
- 550 ἄησιν
- 551 Θρηκίου
- 555 χαλεπότατος
- 557 ἐπ' ἀνέρι δὲ πλέον
- 558 εἰσίν
- 560 αὖθις
- 567 νέων
- 569 ἂν
- 572 κοίτην ex corr. Fuerat κοῖτον
- 574 ἀγείρειν
- 575 ὄρθου
- 582 καματόδεος
- 588 μάζατ'
- 592 ἀκρεέος
- 594 δ' om. τέταρτον
- 597 εὐαεῖ
- 600 θῆτ' ἄοικον
- 601 ὑπὸ π.
- 606 ἀναψύξαι
- 608 ῥοδοδάκτυλος e corr. Litterae δο omissae erant.
- 612 διονύσου
- 614 ἀρότρου
- 623 πάντοσθεν
- 625 ὅπλα γ'
- 636 δίδωσιν
- 641 δ' ἐν φ.
- 644 τρέψῃς
- 645 βούληαι δὲ χρέα τε φυγεῖν
- 656 Μούσαις
- 658 πεπείρημαι
- 665 εἰ μὴ δὴ
- 670 δ' pro τ'
- 684 βροτοῖσιν

v. 689 *κύρσαι*
- 690 *ἐπ' ἅμαξαν*
- 697 *ὥς κ' ἤθεα*
- 698 *ναίειν*
- 699 *μάλα*
- 706 *ποιήσεις*
- 707 *εἰ δέ κεν ἄρχη*
- 709 *τίννυσθαι — αὖθις*
- 713 *μὴ δὲ*, ut etiam in proximis semper scriptum est.
- 734 *σπερμείνειν*
- 735 *καλλίροον*
- 750 *ἶσον*
- 762 *φημίξουσι*

v. 773 *ἡμὲν — ἠδ'*
- 779 *σπέρματος ἄρξασθαι*
- 784 *κούρῃ τε*
- 792 *κούρῃ δέ τε*
- 793 *μέσῃ — εἰλίποδας*
- 798 *ἄγεσθαι ἐς*
- 801 *ἐμ πέμπτῃ — ἐριννύας*
- 808 *δείλεα*
- 810 *γάρ τ' ἠδὲ φυτεύειν*
- 812 *παῦροι δέ τε ἴσασι*
- 814 *ὠκυπόδεσσι*
- 815 *πολυκληΐδα*
- 819 *γενομένης· ἐπιδείλεα δ'*
- 820 *ἐπὶ χθονίοις*

# Index
## capitum et paragraphorum.

---

### A. Commentationes.

#### a) Pars prior generalis.

---

### b) Pars posterior specialis.

## LIBER I. De carminibus Hesiodi deperditis singulatim disputatur.

## LIBER II. De genealogicis poetis.

## B. Fragmenta.

# COMMENTATIONUM

## PARS PRIOR GENERALIS.

---

# Prooemium.

Omnium artium primam Graeci epicam poesin excoluerunt, in qua iam antiquissimis temporibus tanto cum studio et successu elaborauerunt, ut non solum incredibili paene epicorum carminum multitudine gauderent, sed etiam hoc poesis genus ad id perfectionis fastigium proueherent, quod ne illa quidem aetate, qua summa reliquarum artium litterarumque gloria florebant, iterum sunt assecuti. Quare quum epicae artis antiquissimae accurata peruestigatio et plena cognitio non modo utilitatem habeat magnam, sed etiam praeclara ingenii monumenta intuenti uoluptatem afferat tantam, quantam sentire facilius est, quam uerbis aequare, etiam necessitas unicuique, qui perfectam Graeci ingenii imaginem animo informare studet, iniungitur haec studia tractandi ineuitabilis, propterea quod sola fere epica poesi omnes litterae Graecorum antiquissimae continentur neque quidquam praeter eam habemus, quod nobis uetustissimam praestantissimi populi cogitandi sentiendique rationem referat ostendatque humanitatis conditionem cum animorum cultu. Hoc uberius persequi eo magis superuacaneum uidetur, quo maiore diligentia et amore nostra potissimum aetate hominum eruditissimorum maximaque ingenii et acuminis gloria florentium studia ad harum litterarum rationes explorandas illustrandasque feruntur. Quamobrem quum mea laudatione litteris ipsis nihil afferri queat emolumenti, ad ipsam poesin epicam

redeo considerandam; cuius reliquias si uel leuiter intuemur et inter se comparamus, facile ad duorum generum distinctionem compellimur, quae ita omnino diuersa sunt, ut non nisi numerorum congruentia et orationis similitudine ad epici nominis communitatem coniuncta esse uideantur. Accedit, quod haec genera, licet multi haud dubie poetae fuerint, ad duorum potissimum nomina auctorum referuntur, quorum gloria et claritas reliquorum huius generis poetarum nomina tanto uincit, quanto solis splendor et lunae nitor minorum siderum lumina superat. Homerum dico et Hesiodum, quos quantis laudibus totius fere antiquitatis consentiens existimatio celebrauerit, sciunt uel mediocriter harum rerum periti. Sed hi non solum propterea sunt illustres, quod magnis et egregiis carminibus aetatis suae quasi duces et humanitatis auctores extiterunt immortali gloria digni, sed etiam quod uniuersa poesis genera ita ducunt et repraesentant, ut etiam multa carmina ab aliis poëtis profecta ad eorum auctoritatem referri videamus; id quod ea potissimum de caussa factum esse facile perspicitur, quod haec opera, quae Homericam aut Hesiodiam originem mentiebantur, ad genuinorum poematum similitudinem adeo accedebant, ut idem ingenium eandemque artis formam prae se ferrent. Hinc scholarum siue sectarum orta opinione de Homericae artis imitatoribus et asseclis magno cum studio et contentione nec sine magno litterarum fructu nostra maxime aetate quaesitum est et iam eo fere redacti sumus, ut Homericae scholae agnoscendae necessitatem uix effugere posse uideamur, quanquam Nitzschianarum dubitationum non immemores aliquid ad plenam persuasionem desiderari sentimus. Hesiodiae autem sectae siue familiae nomine quum hodie tantum non omnes utantur, res ipsa, quam multi passim tetigere, maiorem etiam obscuritatem et dissentiendi materiam habet, quam paullo copiosius pertractare et totam opinionem ad id quod uerum uidetur redigere

nunc eo minus superuacaneum aut inutile uideri potest, quo grauior est haec quaestio et ad ueram epicae poesis aestimationem desiderabilior. Ut autem nobis hoc munus suspiciendum arbitremur, eo factum est, quod uiros doctos Hesiodiae scholae uocabulo abuti fere uidimus, nec tamen quemquam inuenimus, qui sectae Hesiodiae aut notionem accurate definiret aut argumenta probabiliter aestimaret. Cuius iudicii seueritate si quis offendatur, eum rogatum uelim, ut ne quid me uelle illorum uirorum, qui ea de re scripsere, laudibus amplissimis detrahere existimet; sed hoc reputet, quam procliuis sit plerumque hominum animus ad rem aliquam, cuius ueritatem pro explorata re habent, omni modo confirmandam, et quum cupidius qualiacunque argumenta arripiant, quam saepe non cogitent, bonam caussam malis rationibus defensam deteriorem fieri saepenumero. Sed quid ego me excuso? Nam si uerius, quam adhuc factum est, de hac re iudicasse et argumenta rectius ponderasse reperero, facile quisque, qui litterarum utilitatis studiosior est quam suae laudis, ueniam mihi ultro concedet; sin minus, ne excusatio quidem meam de summis uiris acriter iudicandi temeritatem minuere et meritam reprehensionem auertere poterit. Uerum hoc liceat profiteri, me plus semel hanc de schola Hesiodia quaestionem animo pertractasse et omnia momenta accurate iterum iterumque ponderasse ac sententiam saepius mutasse, ita ut quae nunc proferam medium quodammodo teneant inter duas contrarias opiniones. Sed ut quaestio illa recte instituatur neue certo quodam careat fundamento, breuiter de Hesiodiae poesis natura et ingenio dicendum uidetur, ita ut eius ab Homerico genere differentia definiatur.

# Caput I.

## De Hesiodiae poesis natura.

### § 1.

### *De uniuerso genere Hesiodio.*

Hesiodiae poesis quae sit natura, copiosa oratione persequi eo minus necessarium uidetur, quo praeclarior est ea de re Ulricii post Schlegelium, qui primus Hesiodii generis ab Homerico differentiam acute perspexit et probabiliter notauit, disputatio et quo certius iam inter omnes de ea re constat. Sed breui expositione Hesiodiae artis naturam adumbrare non inutile puto, propterea ut habeamus accuratam notionem, quam Hesiodii generis uocabulo, quo in sequenti disputatione utendum erit, tribuamus. Ac primum quidem argumento et consilio Hesiodia poesis ab Homerica differt. Non enim illud egit Hesiodus, ut aetatem praeteritam magnis rebus gestis ornatam et praeclaris uirtutibus florentem describeret diversasque eius rationes ac uaria studia exponeret; sed potius ex eo, quo ipse uixit, tempore carminum argumenta ita petiit, ut aut explicare studeret, quomodo sui temporis conditiones ex praeteritarum aetatum rationibus essent exortae, aut praeceptis et adhortationibus praesentium hominum uitam ab antiqua felicitate magis magisque discedentem adiuuare et ad meliorem statum prouehere conaretur. Omnino autem duo sunt Hesiodiae poesis genera, quae reliquiis consideratis facile distingui possunt; quibus quidem hoc commune est, quod didactica ratione (si ita loqui licet), quam ubique sequuntur, ab Homerico genere discrepant. Quanquam enim cum quisque poeta epicus tum etiam Homerus res quasdam narrans eos, qui audiunt uel legunt, docet quae gesta sint, tamen haec non docendi studio dicuntur; sed quia omnino nihil narrari potest, quin audientes simul aliquid dis-

cant. Longe aliter res se habet in Hesiodiis carminibus, quae illud docendi consilium adeo prae se ferunt, ut res quae narrantur non ipsarum caussa, ut apud Homerum, sed potius ad auditores uel lectores docendos cani uideantur. Quod melius atque clarius apparebit, si diuersa illa genera Hesiodiae artis, quae significaui, separatim considerauerimus, quorum unum, in quo maxime illud docendi studium comparet, uere didacticum, alterum mythologicum dicere licet. Prius ad uitae quotidianae conditionem uiuendique rationem emendandam pertinet. Superest ex hoc genere memorabile carmen, opera et dies inscriptum, quo non modo multae admonitiones et adhortationes de iustitia colenda, de inertia fugienda, de amicorum tractatione et de uniuersa morum emendatione continentur, sed etiam praeceptorum copia de agro colendo, de animalibus domesticis alendis, de familia habenda, de nauigatione instituenda, de siderum obseruatione et faustorum ad quaeque negotia dierum electione comprehenditur. Ad idem genus alia quoque carmina nunc deperdita uidentur pertinuisse. Verissime autem hoc poesis genus ad Hesiodi nomen referri, hoc maxime documento est, quod, quum de reliquorum carminum auctore iam inter ueteres magna esset dubitatio et controuersia, tamen Ἔργα καὶ Ἡμέρας nemo unquam Hesiodo abiudicauit. Neque inepte rem instituit auctor certaminis Hesiodi et Homeri, quod Hesiodum τὸ κάλλιστον ἐκ τῶν ἰδίων ποιημάτων dicturum Op. v. 383 sqq. Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων κ. τ. λ. recitantem fecit p. 248 sq. Goettl. Huc pertinet ἡσιόδειος χαρακτὴρ quem grammaticus in Od. XV, 74. χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν notauit uerissime: ἐν πολλοῖς οὐκ ἐφέρετο καὶ ἔστιν ἡσιόδειος τῆς φράσεως ὁ χαρακτήρ, de qua notatione non recte iudicauit Goettlingius p. XXI. Si igitur grauissima Hesiodiae poesis pars in ea quam supra significauimus materia uersatur, eam non tam ad

oblectandos audientium animos, quam ad utilitatem hominum et uitae bene instituendae moderandaeque rationem excultam esse patet et exercitatam. Simul etiam hoc intelligitur, poetam non, ut Homerum, gloriae nobilium principumque laudi operam dedisse; sed magis ciuium inferiorum rationibus et usui consuluisse; et si Horatianum illud

Et prodesse uolunt et delectare poetae

ad Homericae et Hesiodiae poesis naturam describendam licet adhibere, in Homerum imprimis illud „delectare," in Hesiodum „prodesse" cadit.

Quodsi igitur pars Hesiodiorum carminum rudia quaedam et obscura philosophiae ad mores pertinentis principia continere uidetur, altera prima philosophiae physicae seu naturalis elementa et lineamenta praebens dici haud immerito poterit. Quanquam enim philosophicum aliquod Hesiodi systema ex eius carminibus eruere uelle, uel potius interpretando iis obtrudere ineptissimum iudico, tamen philosophiae uocabulum in hoc genere describendo propterea non euitaui, quod studium quoddam in eo conspicuum est causas rerum explorandi et significandi ab Homeri poematis alienissimum. Homerus enim narrat quae audiuit deorum heroumque facinora praeclara, nihil curans, unde ipsi sint dei aut heroes orti. Contra Hesiodus, cuius poesis altera pars, quam mythologicam nominauimus, tota ad deos et heroes pertinet, eos ita canit, ut non res gestas expositurus esse, sed originibus explicandis operam dare uideatur. In Theogonia enim hoc potissimum consilium uidetur secutus esse, ut explanaret, quomodo ea rerum diuinarum conditio, quae illo tempore esse credebatur, facta esset, siue ut doceret, qua ratione Iuppiter reliquique dei, qui a Graecis colebantur, superatis naturae principiis et uiribus summum sibi imperium comparassent. Totam autem fabularum

de originibus deorum copiam aut carminibus aut populari fama traditam acceperat, neque quicquam grauius mutare debebat, ne carmini fidem et auctoritatem detraheret: Hesiodi autem est singularum fabularum coniunctio et quo eas copulauit consilium et ordo.

Quodsi etiam in hoc carmine quam maxime conspicitur docendi studium atque consilium, de totius generis Hesiodei differentia ab Homerico dubitari nequit, cuius argumentum etiam ex tractatione materiae peti potest grauissimum. De qua re melius dici poterit, si omnem mythologici generis ambitum erimus persecuti.

## § 2.

### *De mythologici et genealogici generis natura.*

Superest enim mythologici generis altera pars, de qua maxime hoc libello exponere constituimus. Cuius partis ea ratio cum quam Theogonia discrepantia est, ut Theogonia ad deorum origines pertineat, alterius autem generis poemata in heroum ortu uersentur, quae breuitatis gratia genealogicorum nomine comprehendemus. Huc pertinuisse ex Hesiodiis carminibus Catalogum et Eoeas tum e fragmentis apparet, tum appellatione ἡρωϊκὴ γενεαλογία, qua Proclus et Tzetza utuntur docemur; quae appellatio illustratur Maximi Tyrii uerbis Diss. XXXII, 4. καθάπερ ὁ Ἡσίοδος χωρὶς μὲν τῶν ἡρώων, ἀπὸ γυναικῶν ἀρχόμενος, καταλέγει τὰ γένη, ὅτῳ ἐξ ἧς ἔφυ. Ad idem poesis genus aliorum quoque poetarum quorundam carmina referenda esse, maxime Cinaethonis et Asii cum Carcini Naupactiis, e sola Pausaniae memoria suspicari liceret, nisi fragmentorum ratione horum cum Hesiodiis genealogiis similitudo comprobaretur. Pausanias enim omnia illa poemata uno testimonio comprehendit IV, 2, 1, ubi alicuius genealogiae auctoritatem in iis inuenturum se sperasse dicit: ἐπελεξάμην τάς τε Ἠοίας καλουμένας καὶ

τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια, πρὸς δὲ αὐτοῖς ὁπόσα Κιναίθων καὶ Ἄσιος ἐγενεαλόγησαν. Huic memoriae non dissimilis est altera II, 3, 9, ubi Naupactiorum mentione facta haec adduntur: Κιναίθων δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος (ἐγενεαλόγησε γὰρ καὶ οὗτος ἔπεσι) κ. τ. λ., ubi καὶ ad praecedentem Naupactiorum commemorationem spectat. Sequitur deinde Eumeli mentio, cuius Corinthiaca ad idem genus referri et posse et debere clarius ex totius generis natura et indole, cuius adumbrationem statim subiiciemus, apparebit. Etiam Apollodorus III, 8, 2, 2 Eumeli, Hesiodi et Asii memoriam coniunxit. Addimus Chersiae Orchomenii carmen, de quo quum nihil fere constet, tamen duo uersus, quos Pausanias IX, 39, 9 seruauit, aperte genealogiarum formam referunt. Horum omnium naturam iam paullo explicatius describemus.

In hac expositione iterum a duorum generum epicorum discrimine, quod supra significauimus, proficiscendum est. Ea quum non solum orationis forma et numerorum genere, sed etiam quodammodo materiae e fabulari historia petitae similitudine continerentur, tamen et consilio et artis ratione adeo inter se diuersa sunt, ut in epica Graecorum poesi explorunda eas distinguere non utile tantum esse, sed necessarium uideatur. Sed quoniam Hesiodii generis eam partem, qua carmina uere didactica (uelut Ἔργα, Χείρωνος ὑποθῆκαι, et similia) continentur, nunc excludimus, uniuersa illa distinctione Homerici et Hesiodii generis uti non licet, sed alia discernendi ratio ad mythologicas poesis formas distinguendas erit adhibenda. Disserimus enim maxime de iis carminibus, quibus poetae post Homerum et Hesiodum uiuentes uniuersam Graecorum gentium historiam mythicam ita persequebantur, ut paratis a duobus illis poetis tum elocutionis copiis tum materiae tractandae formis contenti intraque fines ab illis descriptos se continentes neque noua poesis genera inuenirent aut artem ad altius perfectionis fastigium proueherent, neque

dicendi formam aut numerorum rationem immutarent aut excolerent. Unde factum est, ut eorum poemata multo minus, quam lyricorum carmina aequalium, popularium aut animos afficerent aut studia excitarent. Neque omnino potest dubitari, quin plurimi illorum poetarum ab epica arte, cuius normam quasi et legem dederat Homerus, magis magisque degenerauerint. Sed, ut iam monui, non recte epicae poesis post Homerum Hesiodumque conditio una indicatione comprehenditur. Scimus enim per Asiae colonias et insulas per aliquot saecula epicum genus ita floruisse, ut carmina componerentur ad Homericam artem magis minusue accedentia. In horum numero ea maxime ponimus, quae in cyclum sunt recepta, quorum uirtutem eam potissimum fuisse credimus, ut, quum actiones quasdam enarrarent, earum partes certi consilii uinculo continerentur. His carminibus ad Homeri imitationem compositis *κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων* (Hes. Theog. 100) et *θεῶν δῶρ' ἄμβροτα ἠδ' ἀνθρώπων τλημοσύνας* (H. Hymn. in Apoll. 190, sq.) et *μερόπων γένος ἀνδρῶν ἡμιθέων, ὧν ἔργα θεοὶ θνητοῖσιν ἔδειξαν* (Hymn. in Sol. XXXI, 18. cf. Hymn. XXXII, 18) ita celebrabantur, ut res ab heroibus gestae et calamitates magno animo et patienter toleratae iustis laudibus tollerentur.

Ab horum carminum genere diuersum alterum erat, quod totum fere in deorum, heroum, urbium originibus exponendis uersabatur et, multo magis quam illud a disponendi arte et scita unius actionis descriptione abhorrens, ad annalium rerum perpetuitatem sine interno quodam ordine et necessitate persequentium similitudinem ita accedebat, ut poetarum consilium magis ad colligendas tradendasque fabulas spectasse, quam in poeticae facultatis exercitatione ex animi quodam impetu profecta positum fuisse uideatur. Non igitur unam aliquam rem gestam horum carminum auctores ita celebrabant, ut simul morum et ingenii eius qui ageret

imaginem claram exhiberent; sed quum diversissimas fabulas interno nexu carentes uno carmine complecterentur, illud omnino non consequebantur, quod uocabulo non satis Latino actionis unitatem dicimus, quae est princeps uniuscuiusque carminis laus atque uirtus. Iam uero quum illas fabulas maxime ad heroum et gentium ab iis deriuatarum origines pertinuisse uerisimile sit, non immerito haec carmina genealogica dicere uidemur. Quo nomine non ita utimur, quasi res gestas omnino exclusas fuisse arbitremur; potius quo quisque magis facultate poetica et elegantiae sensu instructus erat, eo plura de heroum factis et fatis uidetur addidisse. Nam si quis nihil praeter genealogias dixisset, uerendum erat, ne totum carmen nimis ieiunum et tenue euaderet, et quod Menander rhetor (T. IX. p. 149.) de hymnis dixit: *ὥς ἐστι σπανίως ὕμνον εὑρεῖν θεῶν, ἐν ᾧ τὸ γενεαλογικὸν μόνον φέρεται*, id etiam in ea carmina, de quibus nunc disputamus, cadere uidetur. Multo autem luculentius est Diomedis (p. 480. Putsch.) testimonium de Catalogo Hesiodio: *Exegetici vel enarratiui species sunt tres, Angeltice, Historice et Didascalice; Angeltice est, qua sententiae describuntur. — Historice, qua narrationes et genealogiae componuntur, ut est Hesiodi Γυναικῶν κατάλογος* [a]).

Quod autem de fabularum his carminibus tractatarum diuersitate et multitudine dixi, hoc ita accipi uelim, ut illi poetae maxime popularium suorum famam secuti esse existimentur. Cuius rei aliquot uestigia supersunt. Sic Cinaethonis genealogiae magnam partem

a) Cf. Gaisf. Heph. p. 395, unde disco Cod. Mediol. praebere *Θεογονία*; quae si uera est scriptura, apparet, quid de eius studio iudicandum sit, qui omnes narrationes nuper e Theogonia eiicere et carmen ad genealogiarum tenuitatem redigere conatus est.

uidentur in Lacedaemoniorum fabulis uersatae esse; Chersiae Orchomenii quod unum superest fragmentum ad Boeotorum fabulas pertinet; Asii amplam rerum Samiarum memoriam Pausaniae testimonio traditam habemus; Hesiodi Eoeae copiosissimae in Boeotorum fabulis exponendis erant; Naupactia etiam rerum Naupacticarum enarrationem continuisse, fortasse e nomine carminis, e *Ναυπάκτια ἔπη* in *τὰ Ναυπακτικά* mutato, colligi potest; Eumeli autem *Κορινθιακά* ipsa inscriptione argumenti rationem significatam habent. Atque e Pausaniae testimoniis intelligimus, poetam fabularem Corinthiorum historiam ita persecutum esse, ut non unam aliquam rem praeclaram toto poemate copiose ornaret aut illustraret, sed uniuersam gentis historiam antiquissimam comprehenderet. Huc referri potest *ἱστορικὸς ποιητής* nomen, quo aliquoties audit Eumelus. Quod ita interpretamur, ut eius carmen ab arte uere epica alienum fuisse existimemus et ad historiarum rationem compositum. Quorum generum discrimen ex hac parte non male adumbrauit Menander p. 157: *Τῷ μὲν γὰρ ποιητῇ ἐξαρκεῖ καὶ μέρος τι ἀπολαβόντι καὶ κατακοσμήσαντι τῇ ποιητικῇ κατασκευῇ πεπαῦσθαι, ὁ δὲ συγγραφεὺς πειράσεται διὰ πάντων ἐλθεῖν.*

Si igitur carmina illa genealogica ea uirtute carebant, quae in unius actionis apta descriptione et copiosa illustratione cernitur et ad epicam laudem maxime requiritur, facile intelligitur, qui factum sit, ut plerumque illorum nomina non ab argumento deriuarentur, aut obliuione prorsus delerentur. Sic Cinaethonis, Asii, Chersiae genealogiae quam inscriptionem habuerint, nescimus, quum plerumque sic citentur: *Ἄσιος* uel *Κιναίθων ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν.* Naupactia uero a patria nomen habebant, Eoeae a formula quadam, qua ab una ad alteram genealogiam transitus fiebat. Corinthiaca tantum Eumeli obstare uidentur; sed cui

huic rei nihil tribuamus, infra, quum de Eumelo disputabitur, dicetur. Ab argumento autem inscriptiones propterea non poterant repeti, quod in tanta materiae copia et diuersitate nulla prae ceteris pars ita eminebat, ut merito ad carminis appellationem posset adhiberi. Itaque illa poemata simpliciter ἔπη uidentur dicta fuisse, cui uocabulo aut auctoris aut patriae nomen addebatur. Videntur etiam plures genealogiae antiquo tempore extitisse, quorum auctores aut omnino ignorabantur aut dubii certe essent. Hoc colligo e Pausaniae uerbis I, 41, 5: ὅστις δὲ ἐγενεαλόγησε, δῆλον ὡς πολλὴν τοῖς Μεγαρεῦσιν σύνοιδεν εὐήθειαν.

Sed ut in toto hoc poesis genere adumbrando et iudicando pergamus, praeter diuersarum fabularum copiam sine ordinis necessitate deinceps positarum hoc obseruasse nobis uidemur, poetas illos ea quae traderent ita enarrasse, ut antiquam popularium famam seruarent neque poetico aliquo consilio ducti fabulas in carminibus faciendis immutarent. Cur enim hoc facerent, quum poeticum aliquem finem non haberent? Sane si mores et ingenia heroum describere, si pulcras ornatasque antiquae uitae imagines exhibere uoluissent, credi quidem posset et ualde esset uerisimile, eos fabulas ita inuertisse et adornasse, ut cum consilio quod sequerentur congruerent et concinerent. Quum uero non una aliqua re ad poeticam tractationem apta ita uterentur, ut ad eam illustrandam et amplificandam reliquarum fabularum copiam adhiberent, sed quum singulis fabulis parem dignitatis locum assignarent, omnino non intelligitur, qua ratione ducti praeter necessitatem in fabulis tradendis populorum memoriam antiquamque famam reliquerint. Immo ex eo ipso, quod omnes alicuius gentes fabulas complectebantur, colligi uidetur posse, eos propterea maxime illas carminibus mandasse, quo facilius antiquae memoriae inte-

gritas conseruaretur [b]). Quod si fuit praecipuum illorum poetarum in carminibus componendis consilium, in hoc poesis genere Homericam materiam e fabulari historia petitam cum Hesiodio docendi studio coniunctam habemus; et aliqua certe ratione genealogicum genus ad poesin didacticam referre licet, cuius auctor Hesiodus fertur. Neque errabimus magnopere, si ab hoc carminum genere logographorum operam et studia profecta credimus.

Si recte de illorum carminum natura et arte disputauimus, dubitari non posse uidetur, quin magis ad legentium studia quam ad audientium expectationem accommodata fuerint; neque festis diebus ad solemnia rhapsodorum certamina adhibita fuisse credibile est [c]). Potius si quis ea carmina ad talem usum conuertere uolebat, iis ita usus uidetur, ut aliquam eorum particulam depromeret eamque rei alicuius gestae descriptione copiosiore continuaret et amplificaret; cuius rei exempla *Scutum Herculis* et *Ceycis Nuptiae* esse possunt. Nam per se tenuitas illa et exilitas genealogiarum audientium neque studia excitare neque animos retinere poterant; et si expetebantur, hoc non uoluptatis et oblecta-

---

b) Quum uero singularum gentium de uno eodemque heroe narrationes saepe magnopere inter se discreparent, quemadmodum de Aesculapio apud Messenios, Thessalos et Epidaurios diuersa tradita fuisse testatur Pausanias II, 26, accidit, ut etiam haec carmina de una eademque fabula ualde inter se dissentirent; quod obseruauit Pausanias VIII, 53, 5, qui uarietatibus alicuius fabulae expositis, uniusque auctore Cinaethone citato sic pergit: *οἱ μὲν δὴ Ἑλλήνων λόγοι διάφοροι τὰ πλέονα καὶ οὐχ ἥκιστα ἐπὶ τοῖς γένεσίν εἰσιν.*

c) Nitzschius de ea re probabiliter sic dicit de Hist. Hom. I. p. 97: „Sed quum de rhapsodis omnino parum testari possimus, genus illud genealogicum saltem circulis priuatis et domesticis magis, quam ludis solemnibus attribuimus et breuiorem illis omnino publici fauoris fructum obtigisse arbitramur, quippe quem melici, qui in epicis fabulis uersarentur, cito abstulerint.“

tionis caussa, sed propter fabularum cognitionem aut aliquam utilitatem factum fuisse credibile est.

## § 3.

### *De genealogici generis origine.*

Plura de genealogici generis natura, quod omnino ea laude carebat, quae Graeco uocabulo πάθος continetur, suspicari et disputare neque facile uidetur neque utile, quia nec integra opera supersunt, nec ueterum scriptorum auctoritate uti licet, sed coniecturae tantum ope, a cuius illecebris et fallaciis cauere prudentem decet hominem, per totam haec quaestionem ducimur. Illud vero a nobis exigi quam maxime uidetur, ut de illius generis origine et caussis quid nobis uideatur exponamus. Atque si uniuersum eius ambitum, quantum quidem e uestigiorum tenuitate et exiguitate reliquiarum de eo iudicare possumus, una cogitatione complectimur, illud maxime obseruatione dignum uideri debet, quod omnes poetae genealogici praeter Asium ad ipsam Graeciam pertinent neque quisquam in iis regionibus floruit, ubi post Homerum epica poesis maxime colebatur, in Asiae urbibus et insulis. Plerique enim Dores aut Aeolenses erant, Ionum uero gens antiquiore quidem tempore (nam Asium satis recentem existimamus) neminem genealogum tulit. Hac una obseruatione etiam caussae genealogici generis aperiuntur; in quibus explorandis maxime ad Doricae et Ionicae gentis ingenia diuersa erit respiciendum. De quorum differentia quum iam ab aliis ante me ita dictum sit, ut in ea breuitate, qua haec disputatio est coercenda, nihil possim supra, hoc tantum monuisse sufficiat, Doricae gentis indolem in uniuersum ab ea epicae poesis arte abhorruisse, quam in Homeri carminibus admiramur. Attamen etiam in Peloponneso, Boeotia et reliquis Graeciae ciuitatibus tanta fabularum

copia ferebatur, quae poetarum studia posset in se conuertere. Hinc factum est, ut non omnis epica poesis in ipsa Graecia interiret. Sed quominus Homerica argumenta tractarentur, obstabat totius uitae immutata conditio. Quum enim post Heraclidarum cum Doribus coniunctorum reditum Achaeorum principes et patrimonio priuati et imperio pulsi essent, heroicae aetatis, qua hi maxime floruerant, laudatio neque dominis nouis grata neque ad populorum animos capiendos tenendosque apta esse poterat, quum neutris eae res, in quibus gerendis nullas egissent partes, gloriae aut uoluptati essent. Potius quum regibus exactis in plerisque ciuitatibus ad optimates et opibus et auctoritate florentes summum imperium transiisset, fabularum autem ad heroum e diis originem pertinentium diuulgaretur magna copia, hae genealogicae fabulae tum principibus tum populis acceptae grataeque fuere; principibus, quia iis auctoritatem suam firmari generisque splendorem augeri uidebant; populis quia plurimi heroes diuino sanguine orti uniuersarum gentium auctores et conditores ferebantur. Accedebat Doricae gentis studium quoddam discendi maxime ad gentium urbiumque origines pertinens, quod Hippias Platonicus de suae aetatis Lacedaemoniis testatur. Hipp. mai. p. 285. d. *περὶ τῶν γενῶν — τῶν τε ἡρώων καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν κατοικίσεων, ὡς τὸ ἀρχαῖον ἐκτίσθησαν αἱ πόλεις καὶ συλλήβδην πάσης τῆς ἀρχαιολογίας ἥδιστα ἀκροῶνται· ὥστ' ἔγωγε δι' αὐτοὺς ἠνάγκασμαι ἐκμεμαθηκέναι τε καὶ μεμελετηκέναι πάντα τὰ τοιαῦτα.* Hoc studium etiam ad antiquiora tempora pertinuisse admodum probabile est.

De uniuersae poesis Hesiodiae origine atque caussis hoc loco non disputabo, tum quia Ulricius iam eam prouinciam optime administrauit, tum quod uniuersum genus hoc libro complecti non propositum mihi est. Quare iam nihil impedit, quominus ad eam rem transgrediamur, cuius gratia haec breuis expositio est praemissa.

# Caput II.

## De schola siue secta Hesiodia.

### § 1.

### *De opinionis origine.*

De schola siue secta Hesiodia quae uulgo fertur opinio, eius neque uim et notionem explicatam satis accurate neque rationes et argumenta omnia a quoquam una disputatione comprehensa habemus, quanquam multi passim de singulis eius argumentis uerba fecere. Quare non inutile uidebitur eius sententiae et rationes breuiter complecti et originem simul aperire, quo facto facilius de eius probabilitate iudicari poterit.

Atque apud antiquos quidem scriptores neque testimonium inuenitur ullum, e quo sectarum patroni certum petere argumentum possint, neque ex obscurioribus quibusdam uestigiis colligere licet iam ueteres Hesiodiae scholae concepisse cogitationem. Tantum autem abest, ut illi ad huius rei testificationem adhiberi queant, ut ne nomen quidem habeant, quo epicae scholae exprimatur notio [a]). Quare quoniam in ueterum scriptis nihil

---

a) Neque *Ἡσιόδειον Χαρακτῆρα*, quem ueteres grammatici in nonnullis Homeri uersibus notauerunt, ad scholam Hesiodiam pertinet, sed ad ea carmina, quae ipsius Hesiodi esse existimauerunt. Itaque non probanda est Goettlingii p. XX sq. dubitatio de Wolfii (Prol. p. CCLVIII) coniectura, qui Zenodotum et Aristarchum Theogoniam pro genuino Hesiodi carmine habuisse e Schol. Ven. ad Il. XVIII, 39 (*ὁ τῶν Νηρεΐδων χορὸς προηθέτηται καὶ παρὰ Ζηνοδότῳ ὡς Ἡσιόδειον ἔχων χαρακτῆρα*) recte concluderat. Sed Goettlingius huic rei non multum tribuere se dicit propter schol. Ambr. Od. XV, 74: *ἐν πολλοῖς οὐκ ἐφέρετο, καὶ ἔστιν Ἡσιόδειος τῆς φράσεως χαρακτήρ.* „Nec tamen, ait, hic uersus legitur in carminibus Hesiodiis, quibus nunc nos utimur, ita ut *Ἡσιόδειος χαρακτήρ* de omnibus eius poematis intelligendus esse uideatur, quae scholae Hesiodiae adscribantur, etiam de Eoeis.“ Sed uersus suspecti

inest, quo illius opinionis origo possit explicari, progrediendum est ulterius et uidendum, quo tandem tempore Hesiodiae sectae prima cogitatio mota sit et quae fuerit eius rei caussa. Et mirum profecto esset, si talis opinio, destituta omni historiae fundamento et e diuersarum rerum curiosa perscrutatione et subtili comparatione eruenda, iam iis temporibus extitisset, quibus ingeniosissima illa et litteris saepe utilissima coniiciendi et uel leuissima uestigia aut luculenter illustrandi aut subtiliter componendi ars et facultas, qua nostra aetas et gaudet et floret, minus exculta erat et usitata. Neque iuuentus est ante Wolfium, qui hanc de scholis epicorum cogitationem animo suo informaret et uerbis pronuntiaret. Wolfius uero quum de historia Homeri quaereret, propterea maxime quod in Iliade et Odyssea complurium carminum complexionem agnoscere sibi uidebatur, Homeri nomen in sectae significationem diluendum esse statuit. Quae opinio quum etiam e famae de Homeri patriae uarietate et e carminum ei adscriptorm copia et e testimoniis quibusdam de Homeri discipulis aliquid probabilitatis accipere uideretur, tanta cum approbatione doctissimorum hominum excepta est, ut nemo de Homericae poesis natura recte iudicare censeretur, nisi poetae nomen pro artis uocabulo acciperet. Itaque factum est, ut multi illam sententiam de Homerica schola uario modo exornarent et de sectae sedibus rationibusque curiose quaererent.

Neque in Homero constitit illud studium; Hesiodi quoque nomine genus aliquod poesis a secta quadam

---

(χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν) χαρακτὴρ multo minus in genealogicum carmen cadit, quam in gnomicum siue didacticum genus, cuius exempla in Operibus permulta inueniuntur; cf. maxime 327—380. 705 sqq. Neque, quod Goettlingius credere uidetur, ad Ἡσιόδειον χαρακτῆρα notandum opus est, ut uersus aliquis integer in Hesiodio carmine legatur; neque id significare uoluisse scholiastam, ex uerbis τῆς φράσεως apparet.

poetarum excultum significari sibi persuadebant; ita ut, quod in Homero pro certo posse et explorato haberi uideretur, per analogiam quandam ad Ascraeum poetam translatum esse suspicio subnascatur. Et mihi quidem persuasum est, nisi Homerus tam facilem se illorum conatui praebuisset, uix quenquam de Hesiodi persona dubitatarum aut in sectae ab eo conditae suspicionem incisurum fuisse. Quum uero omnis de Homerica schola dubitatio sublata uideretur, facile talis societatis cogitatio etiam ad eum poetam applicabatur, qui quum epici generis cognatione cum Homero coniunctus, tum aetate et gloria ei proximus esset. Etenim ualde procliuia sunt hominum ingenia ad similitudines in historia inuestigandas, magnamque commendationem habere et probabilitatem ea solent, quae analogiae ratione explicari posse uideantur. Ita factum est, ut omnes fere poetae epici antiquioris temporis alteri harum scholarum adscriberentur neque epicae poesis historia recte tractari uideretur, nisi, scholarum notione adhibita, duabus partibus tum poetarum tum carminum comprehenderetur multitudo.

Quae si fuit istius opinionis origo, de ueritate eius, de qua nunc non iudico, ualde suspiciosos esse nos oportet. Nam multa, quae primo obtutu ualde probababiliter dicta uidentur et magnam habent ueritatis speciem, tamen ab ipsa ueritate tantum absunt, quantum saepe alicuius rei natura a specie eius differt; et magna cautione opus est, ne analogiae fallaciis decepti in grauissimos inducamur errores. De qua Nitzschius (Melet. de Hist. Hom. II, 2, p. 12) prudentissime sic monuit: „Verum antequam rationis communis normam similibus applices, utrum uere similia fuerint an sua quadam proprietate discrepuerint, accurate uidendum. Parum considerate rhapsodiae usus ad omnia epicorum carminum genera opinione translatus est; incautius etiam didascalia tragicorum communicata cum epicis et

lyricis poetis eorumque sequestribus, et, quum melicorum sectas et disciplinam quandam fuisse aut testatum habeamus aut magna sit probabilitas, similis disciplinae opinionem ad epicos quoque et rhapsodos uiri docti male propagauerunt. Quodsi analogiae usum saepe generum proprietas reprobat, etiam singulorum similitudo non raro fallit, quod quae initio diuersitas fuit, postea oblitterata est et, quae adsciticia est, natiua uidetur species."

## § 2.

### *Opinionis argumenta breuiter comprensa.*

Patefacta opinionis origine rationes eius et argumenta breuiter complectemur. Nam grauissima uiris doctis iniuria fieret, si sola illa similitudine ductos eos diceremus. Sed plures inueniuntur rationes, quibus sententia illa firmari posse uideatur. Primum enim magnam uim habet duorum generum epicorum tum *forma* (sic enim cum Cicerone Or. XI, 36 Graecum uocabulum χαρακτήρ interpretamur) diuersorum tum *sedibus* distinctorum obseruatio: in quibus generibus duo poetae, Homerus et Hesiodus, ita eminent, ut eorum inuentores et quasi magistri esse uideantur. Accedebat autem ad generum diuersitatem, quod didacticum genus, quo genealogicum quoque contineri diximus, in ipsa Graecia florebat, Homerica autem ars per Asiae urbes et insulas maxime excolebatur. Deinde ex eo, quod permulta carmina Hesiodo adscripta sunt, quae neque unius hominis neque unius aetatis esse possunt, recte colligi posse uidebatur scholam poetarum fuisse, qui Hesiodi uestigia premerent eique ita se emanciparent, ut non solum carmina imitarentur, sed etiam sua ipsorum opera ad illum transferrent. Sed probabilius etiam illa poematum multitudo ita explicari uidebatur, ut Hesiodi nomen a personae significatione ad artis aut sectae notionem conuerteretur, praesertim quum aliqua certe

originatio nominis didacticum poesis genus declarare uideretur. Praeterea autem carmina Hesiodi, quae supersunt, continuam alicuius scholae operam experta esse credebantur. Haec argumenta per se satis grauia firmabantur fabulis quibusdam, quae, quum de Hesiodo ipso accipi non possent, ad familiam aliquam poetarum relatae sunt. Sunt autem eae fabulae uarii generis, partim ad poetae genus, partim ad mortem et sepulcra, partim ad certamen cum Homero institutum pertinentes. Quibus quoniam a uiris doctissimis magna probandi uis et fides tributa est, mihi uero ne leuissimum quidem argumentum inesse uidetur, hunc placet disputandi ordinem facere, ut primum de falsis aut improbabilibus argumentis disseratur, deinde his expugnatis grauiora examinentur et omnis opinio ad id quod uerum uidetur redigatur.

## § 3.

### *Enarrantur fabulae de Hesiodi morte.*

Antequam autem illarum fabularum auctoritatem et fidem ponderemus, ipsarum enarratio quam accuratissima uidetur praemittenda. Ac primum quidem eas tractare placet, quae ad Hesiodi mortem et sepulcra spectant, ita quidem, ut testes ipsos loquentes inducamus. Proclus *Γένος Ἡσ.* p. 7 Gaisf. ed. Ox., quem excripsit Tzetza p. 16. (p. XLIII. Goettl.): *Τελευτᾷ δὲ Ἡσίοδος ἐν Λοκρίδι τοιουτοτρόπως. Μετὰ τὴν νίκην, ἣν αὐτὸν νενικηκέναι φασὶν ἐπὶ τῇ τελευτῇ Ἀμφιδάμαντος, εἰς Δελφοὺς ἐπορεύθη, καὶ ἐδόθη αὐτῷ οὑτοσὶ ὁ χρησμός·*

*Ὄλβιος οὗτος ἀνὴρ, ὃς ἐμὸν δόμον ἀμφιπολεύει,*
*Ἡσίοδος, Μούσῃσι τετιμένος ἀθανάτῃσι·*
*Τοῦ δ' ἦτοι* [a]) *κλέος ἔσται, ὅσον τ' ἐπικίδναται Ἠώς.*
*Ἀλλὰ Διὸς πεφύλαξο Νεμείου κάλλιμον ἄλσος.*
*Κεῖθι δέ τοι* [b]) *θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν.*

---

a) Vulgo *τοῦ δή τοι*, quod correxi.

b) *Κεῖθι δέ τοι.* „Emendauit Heinsius ex Certamine. MSS.

*Ὁ δὲ τὴν ἐν Πελοποννήσῳ Νεμέαν φυγὼν ἐν Οἰνόῃ τῆς Λοκρίδος ὑπὸ Ἀμφιφάνους καὶ Γανύκτορος τῶν Φηγέως παίδων ἀναιρεῖται καὶ ῥίπτεται εἰς τὴν θάλασσαν, ὡς φθείρας τὴν ἀδελφὴν ἐκείνων Κτημένην, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Στησίχορος· ἐκαλεῖτο δὲ ἡ Οἰνόη Διὸς Νεμείου ἱερόν. Μετὰ δὲ τρίτην ἡμέραν ὑπὸ δελφίνων πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξήχθη τὸ σῶμα μεταξὺ Λοκρίδος καὶ Εὐβοίας, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν Λοκροὶ ἐν Νεμέᾳ τῆς Οἰνόης. Οἱ δὲ φονεῖς τούτου νηὸς ἐμβάντες ἐπειρῶντο φυγεῖν, χειμῶνι δὲ διεφθάρησαν. Ὀρχομένιοι δὲ ὕστερον κατὰ χρησμὸν ἐνεγκόντες τὰ Ἡσιόδου ὀστᾶ θάπτουσιν ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐπέγραψαν τάδε·*

*Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος*
*Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει*
*Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶν,*
*Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνοις σοφίης.* e)

*Ἐπέγραψε δὲ καὶ Πίνδαρος·*

*Χαῖρε δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας,*
*Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.*

Auctor **Certaminis** p. 250 (Goettl.) ab initio eadem fere tradit; sed postea eius narratio copiosior fit et testium auctoritate grauior: *Διατριβῆς δ' αὐτῷ πλείονος γενομένης ἐν τοῖς Οἰνῶσιν, ὑπονοήσαντες οἱ νεανίσκοι τὴν ἀδελφὴν αὐτῶν μοιχεύειν τὸν Ἡσίοδον, ἀποκτείναντες εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Εὐβοίας καὶ τῆς Λοκρίδος πέλαγος κατεπόντισαν. Τοῦ δὲ νέκροὺ τριταίου πρὸς τὴν γῆν ὑπὸ δελφίνων*

---

et Tzetzis edd. Trinc. Bas. *καὶ γάρ τοι.*" GAISF. „Vat. *καὶ γάρ τοι.* Ser. *καὶ γὰρ ἐκεῖ θ.*" GOETTL.

e) Hoc epigramma Pausanias IX, 38, 4. affert et 38, 9. Chersiae esse dicit. Extat etiam in Anthol. Pal. VII, 54, ubi Mnasalcae tribuitur. Goettlingius uersuum ordinem e cod. Vat. ita inuertit: 3. 4. 1. 2.

u. 2.] *γῆ Μινυῶν.* Sic Paus. et Anthol. *γῆ Μινύης*, Tzetz. et Procl. *γῆ Μινυὰς* Certam. p. 251. Goettl.

u. 3.] *τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται.* Uertit Jacobsius in Leben und Kunst der Alten I, p. 134.

προσενεχθέντος, ἑορτῆς τινος ἐγχωρίου παρ' αὐτοῖς οὔσης Ἀριαδνείας, πάντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν ἔδραμον· καὶ τὸ σῶμα γνωρίσαντες, ἐκεῖνο μὲν πενθήσαντες ἔθαψαν, τοὺς δὲ φονεῖς ἀνεζήτουν. Οἱ δὲ φοβηθέντες τὴν τῶν πολιτῶν ὀργήν, κατασπάσαντες ἁλιευτικὸν σκάφος διέπλευσαν εἰς Κρήτην· οὓς κατὰ μέσον τὸν πλοῦν ὁ Ζεὺς κεραυνώσας κατεπόντωσεν, ὥς φησιν Ἀλκιδάμας [d]) ἐν Μουσείῳ. Ἐρατοσθένης δέ φησιν ἐν Ἐνηπόδῳ [e]) Κτίμενον καὶ Ἄντιφον τοὺς Γανύκτορος ἐπὶ τῇ προειρημένῃ αἰτίᾳ ἀνελθόντας σφαγιασθῆναι θεσμοῖς ξενίοις ὑπὸ Εὐρυκλέους τοῦ μάντεως, τὴν μέντοι παρθένον, τὴν ἀδελφὴν τῶν προειρημένων, μετὰ τὴν φορὰν ἑαυτὴν ἀναρτῆσαι· φθαρῆναι δὲ ὑπό τινος ξένου, συνόδου τοῦ Ἡσιόδου, Δημώδους ὄνομα· ὃν καὶ αὐτὸν ἀναιρεθῆναι ὑπὸ τῶν αὐτῶν φησιν.

Ὕστερον δὲ Ὀρχομένιοι κτλ. Plutarchus Conuiu. Sept. Sap. c. 19. *Μελησίου γάρ, ὡς ἔοικεν, ἀνδρὸς, ᾧ ξενίας ἐκοινώνει Ἡσίοδος καὶ διαίτης ἐν Λοκροῖς, τῇ τοῦ ξένου θυγατρὶ κρύφα συγγενομένου καὶ φωραθέντος, ὑποψίαν ἔσχεν ὡς γνοὺς ἀπ' ἀρχῆς καὶ συνεπικρύψας τὸ ἀδίκημα, μηδενὸς ὢν αἴτιος, ὀργῆς δὲ καιρῷ καὶ διαβολῇ περιπεσὼν ἀδίκως. Ἀπέκτειναν γὰρ αὐτὸν οἱ τῆς παιδίσκης ἀδελφοὶ περὶ τὸ Λοκρικὸν Νέμειον ἐνεδρεύσαντες, καὶ μετ' αὐτοῦ τὸν ἀκόλουθον, ᾧ Τρωίλος ἦν ὄνομα. Τῶν δὲ σωμάτων εἰς τὴν θάλασσαν ὠσθέντων τὸ μὲν τοῦ Τρωίλου εἰς τὸν Δάφνον ποταμὸν ἔξω φερόμενον ἐπεσχέθη περικλύστῳ χοιράδι μικρὸν ὑπὲρ τὴν θάλασσαν ἀνεχούσῃ· καὶ μέχρι νῦν Τρωίλος ἡ χοιρὰς καλεῖται· τοῦ δὲ Ἡσιόδου τὸν νεκρὸν εὐθὺς ἀπὸ γῆς ὑπολαβοῦσα δελφίνων ἀγέλη πρὸς τὸ Ῥίον ἐκόμιζε καὶ τὴν Μολυκρίαν. Ἐτύγχανε δὲ Λοκροῖς ἡ τῶν Ῥίων [f]) καθεστῶσα θυσία καὶ πανήγυρις, ἣν ἄγουσιν ἔτι*

d) Callimachi nomen substituendum esse Goettlingius suspicatur.

e) *ἐν Ἀνδραπόδῳ* Barnesius et Bernhardy Eratosth. p. 241.

f) „Assentior Reiskio corrigenti *ἡ τῶν Ῥείων: sacrum τὰ Ῥίεια.*" Wyttenb. *Ἀριαδνείων* scribendum putat Goettlingius Praef. p. IX. propter Certaminis uerba: *ἑορτῆς τινος ἐγχωρίου παρ' αὐτοῖς οὔσης Ἀριαδνείας.*

*νῦν περιφανῶς περὶ τὸν τόπον ἐκεῖνον· ὡς δὲ ὤφθη προσφερόμενον τὸ σῶμα, θαυμάσαντες, ὡς εἰκὸς, ἐπὶ τὴν ἀκτὴν κατέδραμον καὶ γνωρίσαντες ἔτι πρόσφατον νεκρὸν ἅπαντα δεύτερα τοῦ ζητεῖν τὸν φόνον ἐποιοῦντο διὰ τὴν δόξαν τοῦ Ἡσιόδου. Καὶ τοῦτο μὲν ταχέως ἔπραξαν· αὐτούς τε γὰρ κατεπόντισαν ζῶντας καὶ τὴν οἰκίαν κατέσκαψαν.*

Magna uel in iis testimoniis, quae modo attuli, fabulae uarietas cernitur. Primum de hospitis Locrensis nomine, cuius filiae stuprum Hesiodus attulisse credebatur, magnopere ambigitur. Phegeus (*Φηγεύς*) appellatur apud Proclum et Tzetzam, quibus Goettlingius e codd. Vat. et Taur. *Φυγέως* reddidit. g) Cod. Neapol. *Θησέως*. Lil. Gyraldus habet „Physigeus"; h) „Physeus" probat Welckerus (in Jahnii Annal. Phil. 1829. t. IX, 2, p. 141), secutus emendationem ms. in cod. Palat. apud Neumannum Aristot. Polit. fr. pag. 144. Grauior discrepantia est, quod Eratosthenes in Cert. et Plutarchus de animal. sollert. pag. 969. E. et Pausanias IX, 31, 5 Ganyctorem dicunt.

Percussorum nomina non minus dubia sunt. Antiphus et Climenus i) uocantur ab Eratosthene, Pausania IX, 31, 5 et Suida u. *Ἡσίοδος*, contra Ganyctor et Amphiphanes a Certaminis auctore p. 250, 17, a Proclo et Tzetza. Qui igitur Ganyctorem patrem dicunt puellae, fratres Antiphum et Climenum perhibent; qui Phegeum (Phygeum) patrem, fratres Ganyctorem et Amphiphanem. Puella uitiata dicitur *Κτημένη* (*Κτει-*

g) In Certamine p. 251, 17. *Φηγέως* intactum reliquit.

h) Welckerus p. 141. et Goettlingius p. XLII. Lilium e Plutarcho habere dicunt *Φησιγέως*; quod unde sciant ignoro cum Hermanno Op. VI, 1, p. 151. Nam apud Gyraldum est Physigeus (p. XVI. ed. Loesn.), neque Plutarchus hoc nomen habet.

i) Clymenum esse restituendum censet Welckerus, quod *Ἀμφιφάνης* et *Γανύκτωρ* (= *Γαννύκτωρ* = *Γαννυνύκτωρ*) easdem haberent contrarias notiones, quas Clymenus (Orci nomen) et Antiphus. Non probat Herm. p. 152.

*μένη* Trinc.) a Proclo et Tzetza. Apud Proclum Wyttenbachius ad Plut. Conu. Sept. Sap. p. 162 e Schol. eiusdem Procli ad Op. 268. *Κλυμένη* emendauit, quod Gaisfordus recepit et Welckerus probauit [k]). Certe aut hoc uerum est aut *Κτιμένη*, ut correxit Kuhnius ad Paus. IX, 31, 5. Cf. Goettling. Praef. p. VIII. Not. **. Hermann. Op. VI, 1. p. 152. Etiam de amici Hesiodi nomine diuersa est narratio. Demodes dicitur ab Eratosthene in Cert. p. 251, 6, Troilus Milesius a Plutarcho Conu. Sept. Sap. l. l.

Alias fabulae discrepantias non ad nomina, sed ad ipsam rem pertinentes, habent Plutarchus et Pollux, qui interfectores a cane Hesiodi detectos esse narrant. Plutarchus de animal. sollert. c. 13. p. 969. E. *Ταῦτα δὲ καὶ τὸν Ἡσιόδου κύνα τοῦ σοφοῦ δρᾶσαι λέγουσι, τοὺς Γανύκτορος ἐξελέγξαντα τοῦ Ναυπακτίου παῖδας, ὑφ' ὧν ὁ Ἡσίοδος ἀπέθανεν.* Quibus c. 36. p. 984. D. haec opponuntur: *Ἡσιόδου δὲ κατὰ καιρὸν αὐτὸς ἡμᾶς, ὦ φίλε, ἀνέμνησας, — ἀτὰρ οὐ τέλος ἵκεο μύθων. — Ἔδει δὲ τὸν κύνα αἰτησάμενον μὴ παραλιπεῖν τοὺς δελφῖνας· τυφλὸν γὰρ ἦν τὸ μήνυμα τοῦ κυνὸς, ὑλακτοῦντος καὶ μετὰ βοῆς ἐπιφερομένου τοῖς φονεῦσιν, [εἰ μὴ τὸν νεκρὸν] περὶ τὸ Νέμειον θαλάσσῃ διαφερόμενον ἀράμενοι δελφῖνες, ἕτεροι παρ' ἑτέρων ἐκδεχόμενοι προθύμως, εἰς τὸ Ῥίον ἐκθέντες ἔδειξαν ἐσφαγμένον.* Pollux V, 42. *Οἱ δὲ Ἡσιόδου (κύνες) παραμείναντες αὐτῷ ἀναιρεθέντι κατήλεγξαν ὑλακῇ τοὺς φονεύσαντας.* Etiam de culpa Hesiodi diuersa erat opinio. Pausanias IX, 31, 5. *Ἐναντία δὲ καὶ ἐς τοῦ Ἡσιόδου τὴν τελευτήν ἐστιν εἰρημένα. Ὅτι μὲν γὰρ οἱ παῖδες τοῦ Γανύκτορος Κτίμενος καὶ Ἄντιφος ἔφυγον ἐς Μολυκρίαν ἐκ Ναυπάκτου διὰ τοῦ Ἡσιόδου τὸν φόνον, καὶ αὐτόθι ἀσεβήσασιν ἐς Ποσειδῶνα* [l]) *ἐγένετο τῇ Μολυκρίᾳ* (codd.

k) *Κλυμένη* apud Ietas Homeri mater dicebatur. Paus. X, 24, 3.

l) Haec in Neptunum *ἀσέβεια* in eo posita uidetur, quod Hesiodi corpus in mare proiecerant. Cf. Welcker. p. 140.

*ΜΟΛΥΚΡΙΔΙ.* corr. Porson.) *σφίσιν ἡ δίκη, τάδε μὲν καὶ οἱ πάντες κατὰ ταὐτὰ εἰρήκασιν. Τὴν δὲ ἀδελφὴν τῶν νεανίσκων οἱ μὲν ἄλλου τοῦ φασιν αἰσχύναντος Ἡσίοδον λαβεῖν οὐκ ἀληθῆ τὴν τοῦ ἀδικήματος δόξαν, οἱ δὲ ἐκείνου γενέσθαι τὸ ἔργον.* Pausaniae igitur non innotuerunt uariae de morte Hesiodi narrationes. Nam cuius meminit discrepantis famae, ea non ad totam fabulam, sed tantum ad poetae culpam pertinet. Neque recte intellexit Wyttenbachius ad Conu. Sept. Sap. l. l. Pausaniae uerba, si dicit „uarias apud ueteres fuisse opiniones de hac re prodit etiam Pausanias.“ Suidae testimonio crimen et ab Hesiodo et a puellae fratribus auertitur: *Ἐτελεύτησε δὲ ἐπιξενωθεὶς παρ' Ἀντίφῳ καὶ Κτιμένῳ, οἱ νύκτωρ δόξαντες ἀναιρεῖν φθορέα ἀδελφῆς ἑαυτῶν, ἀνεῖλον τὸν Ἡσίοδον ἄκοντες.* Proclus et Certaminis auctor rem in incerto relinquunt; Plutarchus Hesiodum innocentem perhibet. Antiquior fama uidetur ea fuisse, qua poeta criminis accusabatur; a quo posteriorum temporum studia eum liberabant.

De interfectorum sorte triplex potissimum ferebatur narratio. Eratosthenes dicebat eos *ἐπὶ τῇ προειρημένῃ αἰτίᾳ* m) *ἀνελθόντας σφαγιασθῆναι θεσμοῖς ξενίοις ὑπὸ Εὐρυκλέους τοῦ μάντεως.* Alcidamas narrabat eos, quum in Cretam aufugere uellent, Iouis fulmine ictos in mari interiisse; quod etiam Procli uerbis *χειμῶνι δὲ διεφθάρησαν* significari uidetur. Plutarchus a Locrensibus uiuos in mare deiectos dicit eorumque domum dirutam. Naupacti Hesiodum interfectum dici a Plutarcho de anim. sollert. p. 969. E. narrat Welckerus p. 141, sed ibi de loco caedis nihil reperitur, sed Ganyctor tantum Naupactius dicitur.

---

m) Propterea rediisse uidentur dici, quia tempestate ab ulteriore fuga prohibebantur.

## § 4.

### *De Hesiodi sepulcris.*

Etiam de iis rebus, quae post Hesiodi mortem euenerunt, et de poetae sepulcris uaria traduntur. Plutarchus Conu. Sept. Sap. l. l. sic pergit: *Ἐτάφη δὲ Ἡσίοδος πρὸς τῷ Νεμείῳ· τὸν δὲ τάφον οἱ πολλοὶ τῶν ξένων οὐκ ἴσασιν, ἀλλ' ἀποκέκρυπται ζητούμενος ὑπ' Ὀρχομενίων, ὥς φασι, βουλομένων κατὰ χρησμὸν ἀνελέσθαι τὰ λείψανα καὶ θάψαι παρ' αὐτοῖς.* Aliam famam secutus uidetur Pausanias IX, 38, 3. *Τάφοι δὲ Μινύου τε καὶ Ἡσιόδου* (sc. *παρὰ Ὀρχομενίοις εἰσί*). *καταδέξασθαι δέ φασιν οὕτω τοῦ Ἡσιόδου τὰ ὀστᾶ. Νόσου καταλαμβανούσης λοιμώδους καὶ ἀνθρώπους καὶ τὰ βοσκήματα, ἀποστέλλουσι θεωροὺς παρὰ τὸν θεόν. Τούτοις δὲ ἀποκρίνασθαι λέγουσι τὴν Πυθίαν, Ἡσιόδου τὰ ὀστᾶ ἐκ τῆς Ναυπακτίας ἀγαγοῦσιν ἐς τὴν Ὀρχομενίαν, ἄλλο δὲ εἶναί σφισιν οὐδὲν ἴαμα· τότε δὲ ἐπερέσθαι δεύτερα, ὅπου τῆς Ναυπακτίας αὐτὰ ἐξευρήσουσι, καὶ αὖθις τὴν Πυθίαν εἰπεῖν, ὡς μηνύσοι κορώνη σφίσιν· οὕτω τοῖς θεοπρόποις ἀποβᾶσιν ἐς τὴν γῆν πέτραν τε οὐ πόῤῥω τῆς ὁδοῦ καὶ τὴν ὄρνιθα ἐπὶ τῇ πέτρᾳ φασὶν ὀφθῆναι· καὶ τοῦ Ἡσιόδου [τε] τὰ ὀστᾶ εὗρον ἐν χηραμῷ τῆς πέτρας. Καὶ ἐλεγεῖα ἐπὶ τῷ μνήματι ἐπιγέγραπται·* a) *Ἄσκρη μὲν πατρὶς κτέ.* Idem breuius Proclus (*Γέν. Ἡσ.*) et Certaminis auctor narrant; apud quos Orchomenii ossa Hesiodi e Nemeo sacro Jouis, quod Oeneone erat, in suam urbem transtulisse dicuntur. Ad sepulcrum Nemeaeum pertinet etiam Alcaei Messenii Epigramma in Anthol. Pal. VII, 55.

*Λοκρίδος ἐν νέμεϊ σκιερῷ νέκυν Ἡσιόδοιο*
*Νύμφαι κρηνιάδων λοῦσαν ἀπὸ σφετέρων,*

---

a) Codd. *ἐπεγέγραπτο*. *Ἐπεγέγραπται* scripsi e Siebelisii coniectura, Goettlingio probata. Nam ipse Pausanias inscriptionem illam Orchomenio sepulcro insculptam legerat. Goettlingius *τε* post *Ἡσιόδου* deleri iubet.

*Καὶ τάφον ὑψώσαντο· γάλακτι δὲ ποιμένες αἰγῶν*
*Ἔρραναν, ξανθῷ μιξάμενοι μέλιτι·*
*Τοίην γὰρ καὶ γῆρυν ἀπέπνεεν ἐννέα Μουσῶν*
*Ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος Λιβάδων.*

Ascra translata esse ossa Orchomenum Plutarchus (in Commentariis ad Hes. Oper. et D.) et Aristoteles uidentur tradidisse, qui etiam aliam transportandi caussam prodiderunt. Proclus ad Opera 631 de Ascra: *Ἀοίκητον δὲ αὐτὸ ὁ Πλούταρχος ἱστορεῖ καὶ τότε εἶναι, Θεσπιέων ἑλόντων τοὺς οἰκοῦντας, Ὀρχομενίων δὲ τοὺς σωθέντας δεξαμένων· ὅθεν καὶ τὸν θεὸν Ὀρχομενίοις προστάξαι τὰ Ἡσιόδου λείψανα λαβεῖν καὶ θάψαι παρ' αὐτοῖς, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης φησὶ, γράφων τὴν Ὀρχομενίων πολιτείαν.*

Tria igitur Hesiodi sepulcra fama antiqua ferebantur, unum idque ut uidetur antiquissimum Ascrae, alterum apud Locros in agro Naupactio, tertium, quod recentissimum habebatur, Orchomeni. Quod re diligenter considerata contra Welckerum dico, qui p. 139 quattuor fuisse statuit. [b]) Quae res quanquam parui momenti est, tamen tribus de caussis meam sententiam paullo explicatius confirmabo, primum quod accuratissime has fabulas ad scholam Hesiodiam relatas tractare constituimus, deinde quod contra uirum in his rebus uersatissimum pugnandum est argumentis, denique quod error ueteris alicuius scriptoris est aperiendus.

Non dubitandum uidetur, quin a Plutarcho, Proclo et Certaminis auctore idem sepulcrum sit significatum. Plutarchus dicit: *ἐτάφη πρὸς τῷ Νεμείῳ*, Proclus *καὶ ἔθαψαν αὐτὸν Λοκροὶ ἐν Νεμέᾳ τῆς Οἰνόης*, Cert. *ὁ τόπος οὗτος ἐκαλεῖτο Διὸς Νεμείου ἱερόν.* Neque diuersum esse sepulcrum a Pausania memoratum ab eo, cuius Plutarchus meminit, ex eadem de Orchomeniis narratione intelligitur. Errat autem Welckerus p. 139 neque

b) „Die beiden andern in Städten der Lokrer beweisen, dass diese sich Hesiodische Poesie zueigneten."

satis intellexisse uidetur Pausaniae uerba, si ex eo, quod percussores Naupacto Molycriam confugisse dicuntur, Hesiodum Naupacti interfectum et sepultum, indeque eius ossa Orchomenum translata esse concludit. Pausanias enim non de ipsa urbe, sed de agro Naupactio loquitur: *ἐς τῆς Ναυπακτίας — ἐς τὴν Ὀρχομενίαν, ὅπου τῆς Ναυπακτίας.* Interfectus autem ferebatur Hesiodus in agro Locrorum Ozolarum, qui Cirrhaei maris oras accolebant. Horum urbs erat Naupactus (*Πόλεις δ' ἔσχον Ἄμφισσαν τε καὶ Ναύπακτον.* Strabo. IX. p. 426), a qua prope aberat Oenoe, Iouis Nemei templum, ubi Proclus et Certaminis auctor poetam occisum esse tradunt. Quod sacrum non procul erat ab Oeneone urbe. Thucydides III, 95. 96. *ὡρμᾶτο δὲ (Δημοσθένης) ἐξ Οἰνεῶνος τῆς Λοκρίδος, οἱ δὲ Ὀζόλαι οὗτοι Λοκροί — — —. αὐλισάμενος δὲ τῷ στρατῷ ἐν τοῦ Διὸς τοῦ Νεμείου τῷ ἱερῷ, ἐν ᾧ Ἡσίοδος ὁ ποιητὴς λέγεται ὑπὸ τῶν ταύτῃ ἀποθανεῖν, χρησθὲν αὐτῷ ἐν Νεμέᾳ τοῦτο παθεῖν.* Eadem urbs a Certaminis auctore *Οἰνῶνες* uocatur p. 250, l. 19. *Διατριβῆς δ' αὐτῷ πλείονος γενομένης ἐν τοῖς Οἰνῶσιν*, ubi cum Goettlingio *Οἰνεῶσιν* scribere dubito an sit scriptorem non librarios corrigere.

Huc usque omnia plana sunt et perspicua; sed iam eo magna nobis difficultas obiicitur, quod **Certaminis** auctor dicit in mare Locridem et Euboeam interfluens Hesiodi corpus proiectum esse: *ἀποκτείναντες εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Εὐβοίας καὶ τῆς Λοκρίδος πέλαγος κατεπόντισαν.* Proclus *Γένος Ἡσιόδου* l. l. *πρὸς τὸν αἰγιαλὸν ἐξήχθη* c) *τὸ σῶμα μεταξὺ Λοκρίδος καὶ Εὐβοίας.* Quid sibi uult Euboea? Num Opuntii aut Epicnemidii Locri etiam Naupactiam, etiam Oeneonem et Nemei Iouis templum habebant? An delphines mortem poetae toti Graeciae nuntiaturi cum eius corpore Peloponnesum

c) *Ἐξηνέχθη* recte corrigit Wyttenbachius. **Certamen**: *τοῦ νεκροῦ — ὑπὸ δελφίνων προσενεχθέντος.*

circumnatabant? Illud non uerum, hoc ineptum est. Welckerus, ceterum in hac re accuratus, hanc difficultatem non uidetur sensisse; certe nihil monet. Quae quomodo remouenda esse cum cogitarem, inspexi Wyttenbachii in Plutarchum commentarios, in quibus p. 980 *Εὐπαλίας* pro *Εὐβοίας* propositum esse uidi. Quae coniectura nullo modo admitti potest. Eupaliam dicit uicinam Naupacto, sine dubio eam urbem intelligens, quam Thucydides III, 102 *Εὐπάλιον* uocat. Iam quum *Εὐπαλία* ipsius Locridis urbs fuerit, aliquis mihi ostendat mare *μεταξὺ τῆς Λοκρίδος καὶ Εὐπαλίας* et maximus mihi erit Apollo. Quomodo autem est illa difficultas tollenda? Hoc non difficile uidetur, siquidem ineptum Certaminis auctorem et Proclum erroris arguere licet. Hesiodus apud Locros interfectus dicebatur. Quanquam autem addita Iouis Nemei mentione dubium esse non poterat, quin Ozolae Locri significarentur, tamen semidoctus quidam grammaticus, siue is Certaminis scriptor, siue alius ante eum fuit, ad Opuntios transtulit, quod Ozolarum erat, et, ut rem accuratius describeret, maris Locridi et Euboeae interiectae significationem adiecit, quum antiqua fama maris nomen non traderetur. Est quidem sane mira aut ignorantia aut inconsiderantia, quam bono homini tribuimus; sed qui Graecos grammaticulos tractauerit, is facile similium exemplorum recordabitur neque improbabilem nostram coniecturam iudicabit.

Tria igitur sepulcra Hesiodi antiqua memoria perhibebantur. Sed duo tantum cognita habuisse uidetur d)

---

d) Sed etiam reliqui scriptores duo tantum Hesiodi sepulcra agnoscunt; Plutarchus, Pausanias, Proclus et Certam. Naupactium et Orchomenium; Aristoteles apud Procl. Op. 631 Ascraeum et Orchomenium. Quod si reputasset Welckerus pag. 140. ima, non dixisset prorsus diuersae fabulae uestigia in illo epigrammate apparere.

auctor epigrammatis, quod Proclus et Suidas u. *Ἡσιόδειον γῆρας* Pindaro tribuunt:

*Χαῖρε δὶς ἡβήσας καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας,*
*Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.*

Prouerb. Vat. IV, 3. *Ἡσιόδειον γῆρας. Ἀριστοτέλης ἐν Ὀρχομενίων πολιτείᾳ δὶς τετάφθαι φησὶ τὸν Ἡσίοδον καὶ ἐπιγράμματος τοῦδε τυχεῖν· χαῖρε κτλ.* Quod epigramma Boeckhius Expl. Pind. p. 554, quanquam non intelligit, cur a Pindaro scribi non potuerit, tamen in tam leui auctoritate non audet Pindaro cum fiducia adscribere. Neque Welckerus p. 140. certiora profert, qui Pythagorici quid inesse putat.

## § 5.

### *Stesichorus, Hesiodi filius.*

Iam uero si illae de Hesiodi morte fabulae apud Locrenses ortae sunt, facile intelligitur, quomodo factum sit, ut Stesichorus Himerensis, lyricus poeta clarissimus, filius Hesiodi diceretur. Quae fabula Aristotelis auctoritate confirmatur. Proclus *Γένος Ἡσ.* p. 7. (Gaisf.). *Ἀριστοτέλης γὰρ ὁ φιλόσοφος, μᾶλλον δὲ οἶμαι ὁ τοὺς Πέπλους συντάξας, ἐν τῇ Ὀρχομενίων πολιτείᾳ Στησίχορον τὸν μελοποιὸν εἶναί φησι υἱὸν Ἡσιόδου ἐκ τῆς Κτημένης* (*Κλυμένης* Wytt. Gaisf. Welck.) *αὐτῷ γεννηθέντα τῆς Ἀμφιφάνους καὶ Γανύκτορος ἀδελφῆς, θυγατρὸς δὲ Φηγέως. Ὁ δὲ Στησίχορος οὗτος σύγχρονος ἦν Πυθαγόρᾳ τῷ φιλοσόφῳ καὶ τῷ Ἀκραγαντίνῳ Φαλάριδι.* Suidas: *Στησίχορος Εὐφόρβου ἢ Εὐφήμου, ὡς δὲ ἄλλοι, Εὐκλείδου ἢ Ὑέτους ἢ Ἡσιόδου.* Proclus ad Op. 268: *Ἰστέον δέ, ὅτι υἱὸς Ἡσιόδου Μνασίας ἐστί. Φιλόχορος δὲ Στησίχορόν φησι τὸν ἀπὸ Κλυμένης, ἄλλοι δὲ Ἀρχιέπη.* Tzetza ad u. 269: *Σημείωσαι τίς παῖς Ἡσιόδου. Παῖδα οἱ μὲν Μνασέα, οἱ δὲ Ἀρχιέπην, ἕτεροι δὲ Στησίχορον τὸν μελῳδὸν ἐξεδέξαντο.* Haec non recte intellexit Robinson. de uit. Hes. p. XXIX. ed. Loesn., si de Ctemena (Clymena) dicit: „ex qua filium

genuit Mnaseam, uel, ut dicit Philochorus, Stesichorum, uel, ut alii, Archiepem." Mnaseas enim et Archiepes nunquam Hesiodi e Clymena filii dicti sunt, sed unus Stesichorus. Illorum origo ex alio fonte deriuanda est. Archiepis enim nomen ab iis fictum uidetur, qui Hesiodum Homero antiquiorem existimantes auctorem epicae poesis significare uellent; Mnaseas autem ad memoriam rerum traditarum pertinet.

## § 6.

### *De certamine Homeri et Hesiodi.*

Ab his fabulis, quae quin a Locris profectae sint nemo dubitabit, ad alias transimus enarrandas, quarum celeberrima est ea, quae ad certamen Homeri Hesiodique pertinet. Quod num uere ab his poetis institutum sit quaerere, in hodierna harum litterarum conditione uereor ne ineptum uideatur. [a]) Quare nobis ad alias res erit animus aduertendus.

Iam antiquis temporibus certamina musica instituta esse constat. Thucyd. III, 104. *ὅτι δὲ καὶ μουσικῆς ἀγὼν ἦν καὶ ἀγωνιούμενοι ἐφοίτων ἐν τοῖςδε αὖ δηλοῖ, ἅ ἐστιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ προοιμίου. τὸν γὰρ Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν ὑμνήσας ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη κτλ.* Schol. Pind. II, 1 et Eustath. ad Il. 6, 14 Hesiodo hos uersus tribuunt:

*Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ*
*Μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδὴν*
*Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τέκε Λητώ.*

Ad Cyprum et Aphrodisia pertinent uersus in Hom. hymn. in Ven. VI, 19.

---

a) Proclus p. XLII. Goettl. de iuniore quodam Homero cogitat, quocum Hesiodus certauerit. Cf. Tzetza p. 15. Gaisf. et ad Op. 652. Robinson. p. XXXV sqq.

*Χαῖρ' ἑλικοβλέφαρε, γλυκυμείλιχε, δὸς δ' ἐν ἀγῶνι*
*Νίκην τῷδε φέρεσθαι, ἐμὴν δ' ἔντυνον ἀοιδήν.*

Conf. Welcker. de Cycl. ep. p. 303.

Simile certamen Chalcide factum esse in Hesiodi Operibus (651—662) traditur, ex quo Hesiodus superior discessit. Homeri uero nomen nondum erat additum, quod teste Proclo ad u. 655 ab aliis est intrusum pro

*ἔνθα μέ φημι*
*ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα,*

scribentibus:

*ἔνθα μέ φημι*
*ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.*

De qua notatione Procli Goettlingius ad u. 657 recte mihi uidetur iudicare: „Ita enim, inquit, si scripserunt, ridicule est dictum *ἔνθα μέ φημι ἐν Χαλκίδι*, nam *ἔνθα* est *ἐν Χαλκίδι*: deinde male dicitur *ἔνθα μέ φημι νικήσαντα* pro *ἔνθα μέ φημι νικῆσαι*: denique perinepte additur *τὸν μὲν* (sc. *τρίποδα*). Quare errauisse Proculum patet — — —. Dicendum enim erat addere quosdam post u. 657 alterum uersum *ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον*, repetitis per epanaphoram *ὕμνῳ νικήσαντα*. — — Nisi in animo habuit eum uersum Proclus, quem inscripsisse tripodi Hesiodum dicit auctor Certaminis Hesiodi et Homeri:

*Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν*
*Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.*"

Ex illis autem Operum uersibus tota illa de certamine fabula profecta est; de qua posterioris aetatis grammaticus peculiarem libellum conscripsit, quem etiamnum possidemus; cuius argumentum non est quod enarremus. Hesiodus denique Homero superato tripodem accepit, cui uersus a Goettlingio citatos inscripsisse dicitur. b)

Is etiam Pausaniae tempore in Helicone ostentabatur habebaturque antiquissimus. IX, 31, 3. *Ἐν δὲ τῷ*

b) Extant hi uersus etiam in Anthol. Pal. VII, 53.

*Ἑλικῶνι καὶ ἄλλοι τρίποδες κεῖνται, καὶ ἀρχαιότατος, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐπ' Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον νικήσαντα ᾠδῇ.*

Sed iam duae quaestiones sunt attingendae, primum quo tempore Homeri nomen fabulae adiectum uideatur, deinde cui aetati libellus ille, *Ἀγὼν Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου*, sit adscribendus. De altera facile diiudicari potest. Nam post Hadriani demum tempora factum esse librum ex eo apparet, quod huius imperatoris in ipso scripto mentio fit p. 242, 13. Goettl. *Ὅπερ δὲ ἀκηκόαμεν ἐπὶ τοῦ θειοτάτου αὐτοκράτορος Ἀδριανοῦ εἰρημένον ὑπὸ τῆς Πυθίας περὶ Ὁμήρου, ἐκθησόμεθα.* Auctoris nomen Goettlingius sibi uisus est ex Plutarcho Conu. Sept. Sap. c. 10 elicere, ubi haec leguntur: *Ἀκούομεν γὰρ ὅτι καὶ πρὸς τὰς Ἀμφιδάμαντος ταφὰς εἰς Χαλκίδα τῶν τότε σοφῶν οἱ δοκιμώτατοι ποιηταὶ συνῆλθον· ἦν δὲ ὁ Ἀμφιδάμας ἀνὴρ πολιτικὸς, καὶ πολλὰ πράγματα παρασχὼν Ἐρετριεῦσιν ἐν ταῖς περὶ Ληλάντου μάχαις ἔπεσεν· ἐπεὶ δὲ τὰ παρεσκευασμένα τοῖς ποιηταῖς ἔπη χαλεπὴν καὶ δύσκολον ἐποίει τὴν κρίσιν διὰ τὸ ἐφάμιλλον, ἥ τε δόξα τῶν ἀγωνιστῶν Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου πολλὴν ἀπορίαν μετὰ αἰδοῦς τοῖς κρίνουσι παρεῖχεν, ἐτράποντο πρὸς τοιαύτας ἐρωτήσεις, καὶ προῦβάλομεν ὥς φησι Λέσχης,* c)

*Μοῦσά μοι ἔννεπ' ἐκεῖνα τὰ μήτ' ἐγένοντο πάροιθεν,*
*Μήτ' ἔσται μετόπισθεν· —*

*ἀπεκρίνατο δὲ Ἡσίοδος ἐκ τοῦ παρατυχόντος·*

*Ἀλλ' ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι*
*Ἅρματα συντρίψωσιν ἐπειγόμενοι περὶ νίκης.*

*καὶ διὰ τοῦτο λέγεται μάλιστα θαυμασθεὶς τοῦ τρίποδος τυχεῖν.* Sic edidit Wyttenbachius, qui in adnotatione critica ad h. l. haec posuit: „Uarie dissentiunt libri.

---

c) *προύβαλομεν* Ald. Bas. Steph. *προυβάλλομεν* A. Ven. Voss. Harl. 2. *προῦβαλον* Xyl. *προβάλομεν* P. *προβλήματα* marg. Voss. *πρόβαλε μὲν* B. Harl. 1. Pro *ὥς φησι* duo Harl. *ὥς φασι,*

Legendum puto *προὔβαλ' Ὅμηρος, φησὶ Λέσχης.* [d]) Uersus est Leschis poetae, de Certamine Homeri et Hesiödi." De hoc Lesche in commentariis ad h. l. sic dicit: „Leschem fuisse Ol. circiter XXX. testis est Eusebius Chron. Hesiodi quidem aequalis esse non potuit, minus etiam Homeri; nec in Amphidamantis funere esse potuit, ut ipse proposuerit certantibus poetis quaestiones, quo tendit scriptura Harleianorum librorum *ὥς φασι Λέσχης.* At de Homeri et Hesiodi certamine scribere potuit, quanquam de hac scriptione alibi nulla mentio exstat." Aliter statuit Goettlingius p. XI, qui dicit uideri Leschem quendam auctorem fuisse Certaminis etiamnum superstitis, non confundendum cum antiquiore Pyrrhaeo. Ab his dissentit Welckerus de Cycl. ep. p. 269 sq., qui apud Plutarchum *καὶ προὔβαλε, ὥς φασι, Λέσχης* legendum proponit, ita ut Lesches, poeta ille cyclicus, certamini interfuerit et Hesiodum interrogauerit. Et hoc per se non improbabile est, si reputamus uariis modis illam de certamine fabulam fuisse enarratam. Diuersam enim fuisse famam, quam Plutarchus est secutus, ab ea, quam C e r t a m i n i s auctor tradit, facile cuique apparebit, qui utrumque scriptorem inter se comparauerit. Nam primum diuersas uictoriae Hesiodiae caussas tradunt; et Plutarchus quidem Hesiodum dicit propterea palmam accepisse, quod scite ad aliquam quaestionem respondisset, id quod negat C e r t a m i n i s auctor (p. 244), qui p. 249 hanc uictoriae caussam significat: *Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν Ἡσίοδον ἐστεφάνωσεν εἰπὼν δίκαιον εἶναι τὸν ἐπὶ γεωργίαν καὶ εἰρήνην προκαλούμενον νικᾶν, οὐ τὸν πολέμους καὶ σφαγὰς διεξιόντα.* Alia discrepantia in eo cernitur, quod apud Plutarchum Hesiodus respondendi partes agit, in Cert. Homerus ab Hesiodo interrogatur p. 244. *Ὁ δὲ Ἡσίοδος, ἀχθεσθεὶς*

---

d) Lenissimam hanc mutationem dicit Fr. Jacobsius apud Goettling. praef. ad Hes. p. XI.

*ἐπὶ τῇ Ὁμήρου εὐημερίᾳ, ἐπὶ τὴν τῶν ἀπόρων ὥρμησεν ἐπερώτησιν καί φησι τούςδε τοὺς στίχους·*

*Μοῦσ', ἄγε μοι τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα·*
*Τῶν μὲν μηδὲν ἄειδε, σὺ δ' ἄλλης μνῆσαι ἀοιδῆς.*

*Ὁ δὲ Ὅμηρος, βουλόμενος ἀκολούθως τὸ ἄπορον λῦσαι, φησίν·*

*Οὐδέποτ' ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ καναχήποδες ἵπποι*
*Ἅρματα συντρίψουσιν ἐρίζοντες περὶ νίκης.*

Denique ne in uersibus quidem, quibus quaestio continetur, consentiunt. Hinc apparet Plutarchum nullo modo ad Certamen, quod nunc habemus, respexisse, et Goettlingium non satis prudenter iudicasse. Neque uerior est Wyttenbachii sententia, qui Homeri nomen e Certamine Plutarcho obtrudere conatus est, quum omnia sint diuersissima. Iam quid de Welckeri coniectura iudicemus? Alios quidem poetas praeter Homerum et Hesiodum certamini interfuisse secundum Plutarchi narrationem, e uerbis *τῶν τότε σοφῶν οἱ δοκιμώτατοι ποιηταὶ συνῆλθον* colligitur. Iam quum iudices (non unus Panides, ut in Certamine et apud Procl. p. XLI. Goettl. scriptum est) propter utriusque poetae praeclaram artem atque gloriam celeberrimam dubii haererent, utrum uictorem pronuntiarent, ad quaestiones et responsiones certamen deuenit, et unus eorum, qui aderant, (Lesches) quaestionem proposuit, ad quam Hesiodus tam scite respondit, ut tripode dignus iudicaretur. Probabilis igitur uideri possit haec ratio. Nam quod monuit Wyttenbachius Leschem non fuisse Hesiodi aut Homeri aequalem, id nullius est momenti, quum in talibus fabulis fingendis temporis rationes saepe neglectas esse constet. Exemplum habet Clem. Alex. Strom. I, 21. p. 144. *Ναὶ μὴν καὶ Τέρπανδρον ἀρχαΐζουσί τινες. Ἑλλάνικος γοῦν τοῦτον ἱστορεῖ κατὰ Μίδαν γεγονέναι, Φανίας δὲ πρὸ Τερπάνδρου τιθεὶς Λέσχην τὸν Λέσβιον, Ἀρχιλόχου νεώτερον φέρει τὸν Τέρπανδρον, διημιλλῆσθαι δὲ τὸν*

*Λέσχην Ἀρκτίνῳ καὶ νενικηκέναι.* Arctinus autem teste Eusebio floruit circa Olympiadum initium, Lesches Ol. XXX. Sed tamen, ut ad rem redeam, nescio an Welckeri coniecturae praeferenda sit Hermanni sententia, qui Plutarchum sic emendandum censet: *ἐτράποντο πρὸς τοιαύτας ἐρωτήσεις καὶ λέσχας* [*]) (siue *ἐρωτήσεις αὐτοσχεδίας*), *καὶ προὔβαλεν ὃ μέν, ὥς φασι.* (Opusc. VI, 1. p. 145). Nam cur Lesches Hesiodum interrogauerit, non satis intelligitur. Multo aptius erat ab Homero interrogari Hesiodum. Sed quicquid de loco corruptissimo statuis, hoc nullo modo probari potest, quod Goettlingius sibi persuasit de auctoris nomine e Plutarchi uerbis eliciendo. Quae opinio eo magis reiicienda est, quod opusculum illud Plutarcheo libello recentius uidetur. Alia est Holstenii de certaminis auctore sententia (apud Heerenium in Bibl. uett. litt. et artt. fasc. VI. Ined. p. 7.), qui illud opus Phlegontis esse suspicatur, „uel sane auctoris parum inferioris."

Quod autem Wyttenbachius opinatur (in qua opinione etiam Robinson. p. XXXV est), poetam cyclicum de illo certamine scribere potuisse, id prorsus est incredibile. Nam primum, quod ipse concedit, nulla extat talis scriptionis apud antiquos memoria; deinde ab epici poetae persona tale argumentum est alienissimum; denique incertissimum est, num iam Leschae aetate illa fabula de Homero cum Hesiodo certante extiterit. Quae ratio, quum ad eam quaestionem pertineat, quam supra nos tractaturos polliciti sumus, ad hanc iam accedere nos consentaneum est.

Proficiscendum est ab illis Operum uersibus, quibus poeta se Chalcide uicisse tripodemque accepisse testatur. Sed hi uersus non magnam fidem habent et a uiris doctis spurii iudicantur. Cf. interprett. ad l. l.

---

*) Similiter Clinton. Fast. Hell. I. p. 361. not. *προὔβαλον μὲν λέσχας, ὥς φασι.*

Neque ueteribus grammaticis genuini uidebantur, ueluti Plutarcho, cuius iudicium Proclus ad u. 648 seruauit. *ΟΥ ΓΑΡ ΠΩΠΟΤΕ ΝΗΙ Γ' ΕΠΕΠΛΩΝ.*] ταῦτα πάντα περὶ τῆς Χαλκίδος, τοῦ Ἀμφιδάμαντος, καὶ τοῦ ἄθλου, καὶ τοῦ τρίποδος ἐμβεβλῆσθαί φησιν ὁ Πλούταρχος οὐδὲν ἔχοντα χρηστόν. — — — πάντα οὖν ταῦτα ληρώδη λέγων ἐκεῖνος ἀπ' αὐτῶν ἄρχεται τῶν εἰς τὸν καιρὸν τοῦ πλοῦ συντεινόντων, „ἤματα πεντήκοντα" λέγων. Plutarchus igitur u. 650—662 (Goettl.) pro spuriis habebat, non ut Goettlingius censet, u. 646—662. Qui quae addit probari nequeunt: „Sed quum u. 646—653 ita prorsus „inepti esse uideantur, necesse est, ut etiam hos pro „spuriis habuerint antiqui." Si enim Procli lemmati aliquid tribuendum est, cuius fides sine aliqua ratione sollicitari non debet, Plutarchus eos uersus Hesiodo abiudicauit, quorum primus est: οὐ γάρ πώποτε νηΐ γ' ἐπέπλων εὐρέα πόντον. Nullam autem perspicio necessitatem, cur uersus 646—649 in suspicionis societatem adducamus. Qui mihi tam necessarii uidentur, ut si abessent aliquid desiderarem. Potest enim etiam ex orationis forma argumentum nostrae sententiae peti. Quum enim u. 663 sine ulla coniunctione additus sit, in genuina carminis forma res ita uidetur instituta fuisse, ut poeta aliquid dicturum se professus esset, quod uerbis Ἤματα πεντήκοντα κτλ. incipit. Puto igitur hunc antiqui carminis tenorem fuisse:

Εὖτ' ἂν ἐπ' ἐμπορίην τρέψῃς ἀεσίφρονα θυμόν,
Βούλεαι δὲ χρέα τε προφυγεῖν καὶ ἀτερπέα λιμόν,
Δείξω δή τοι μέτρα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
Οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένος οὔτε τι νηῶν. f)
Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο κτλ.

Si de uersibus eiectis Goettlingius dicit Pausaniae per-

f) U. 649. nititur etiam Clementis Alex. (Strom. I. p. 121. Sylb.) auctoritate.

suasum fuisse, illos uersus non esse Hesiodi, ego non magis, quam Hermannus l. l. p. 246, intelligo, quomodo id ex eius uerbis (IX, 31, 3) supra allatis pateat. Sed Plutarchus etiam alio loco (illa enim ex eius commentariis in Hes. Opera sumpta sunt) istam de Homeri et Hesiodi certamine fabulam damnat. Symposiac. V, 2. Ἐνίοις μὲν οὖν ἐπίδοξος ἤμην ἕωλα παραθήσειν πράγματα, τὰς Οἰολύκου τοῦ Θετταλοῦ ταφὰς καὶ τὰς Ἀμφιδάμαντος τοῦ Χαλκιδέως, ἐν αἷς Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον ἱστοροῦσιν ἔπεσι διαγωνίσασθαι. Καταβαλὼν δὲ ταῦτα τῷ διατεθρυλλῆσθαι πάντα ὑπὸ τῶν γραμματικῶν κτλ. Simile est Procli grammatici iudicium Chrestomath. (p. I. ed. Bekker.) ἄθλειοι δὲ οἱ τὸ αἴνιγμα πλάσαντες τοῦτο·

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

ἀλλὰ γὰρ ἐπλανήθησαν ἐκ τῶν Ἡσιοδείων ἡμερῶν· ἕτερον γάρ τι σημαίνει. Similiter iudicat *Γέν. Ἡσ.* p. XLI. (Goettl.) ἀλλὰ ταῦτα μέν εἰσι λῃρήματα τῶν νεωτέρων καὶ πλάσεις τῶν πρὸς ἀλλήλους ἐρωτημάτων καὶ τῶν ἐξ Ὁμήρου παρεκβεβλημένων ἐπῶν καὶ ὑπ' ἐκείνου δῆθεν ῥηθέντων.

Sed ut illos uersus qui in Operibus de Hesiodi certamine Chalcide instituto leguntur, satis antiquos esse concedamus, ut eos a uetere aliquo poeta iam ante Pisistratidarum aetatem additos esse largiamur, quanquam ne hoc quidem certis argumentis comprobari poterit, nihil tamen de Homero certante iis continetur. Etiamsi igitur iam Leschae aetate fabula illa Hesiodio carmini intrusa sit, nullo tamen modo credi potest, illo tempore etiam Homerum in certamen inductum fuisse. Homeri nomen primum legitur apud Plutarchum, neque ullus antiquior scriptor eum cum Hesiodo certasse dicit, ne Pausanias quidem IX, 31, 3. Sed quid Plutarchus ipse de illa re iudicasset, supra diximus; qui quum ne eos quidem uersus, in quibus nulla Homeri mentio fit, probaret, multo etiam minus ei fabulae formae, quae Homeri nomine ornata erat, fidem poterat habere.

Reliqua de certamine Homeri Hesiodique testimonia ex eodem fonte, quo Certaminis auctor usus est, aut ex hoc ipso deriuata uidentur. Dio Chrysostomus Or. II. (Vol. I. p. 76. Reisk.) *Ταῦτα μὲν Ὅμηρος ποιῶν ἡττᾶτο ὑπὸ Ἡσιόδου, ὁ Φίλιππος εἶπεν· ἢ οὐκ ἀκήκοας τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐν Ἑλικῶνι τὸ ἐπὶ τοῦ τρίποδος· Ἡσίοδος Μούσαις κτλ. — Καὶ μάλα δικαίως, εἶπεν ὁ Ἀλέξανδρος, ἡττᾶτο. οὐ γὰρ ἐν βασιλεῦσιν ἠγωνίζετο, ἀλλ' ἐν γεωργοῖς καὶ ἰδιώταις, μᾶλλον δὲ ἐν ἀνθρώποις φιληδόνοις καὶ μαλακοῖς.* Themist. Orat. XXX. p. 348. C. D. (Hard.) *δεῖ δὲ ἤδη καὶ ἡμᾶς ἀκολουθοῦντας ἐπιδεῖξαι διὰ πλειόνων, ὡς ἄρα οὐ μάτην Ἡσίοδος σοφὸς ἐνομίσθη, ἀλλ' εἰς τοσοῦτον εὐκλείας διὰ τοὺς εἰς γεωργίαν λόγους προῆλθεν, ὥστε καὶ Ὁμήρῳ περὶ σοφίας καὶ μουσικῆς ἐν ταφαῖς Ἀμφιδάμαντος εἰς ἀγῶνα ἐλθὼν παρὰ τῶν κριτῶν τὸν στέφανον καὶ νίκην ἔχειν. ὁ μὲν γὰρ πολέμους καὶ μάχας καὶ συνασπισμὸν τοῖν Αἰάντοιν* (cf. Cert. p. 249. Goettl. Procl. p. XLI.) *καὶ ἄλλα τοιαῦτα προςῇδεν, ὁ δὲ γῆς τε ὕμνησεν ἔργα καὶ ἡμέρας, ἐν αἷς τὰ ἔργα βελτίω γίνεται· καὶ διὰ ταῦτα πᾶσι τοῖς κριταῖς κρατεῖ.* Lucian. V. H. II, 22. Tom. IV. p. 282. *ποιητῶν δὲ τῇ μὲν ἀληθείᾳ παρὰ πολὺ ἐκράτει Ὅμηρος, ἐνίκησε δὲ ὅμως Ἡσίοδος.* Philostratus Heroic. p. 194. ed. Boiss. *οἱ δὲ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη μετὰ τὴν Τροίαν [ἐπὶ g] Ὅμηρόν τέ φασι καὶ Ἡσίοδον· ὅτε δὴ ᾆσαι ἄμφω ἐν Χαλκίδι, τὸν μὲν τὰ ἔπη τὰ περὶ τοῖν Αἰάντοιν καὶ ὡς αἱ φάλαγγες αὐτοῖς ἀραρυῖαι τε καὶ καρτεραὶ ἦσαν, τὸν δὲ τὰ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὸν Πέρσην, ἐν οἷς αὐτὸν ἔργων τε ἐκέλευεν ἅπτεσθαι καὶ γεωργίᾳ προςκεῖσθαι, ὡς μὴ δέοιτο ἑτέρων, μηδὲ πεινῴη.* Libanius Apol. Socr. III. p. 22. ed. Reiske. *ἠγωνίσατό ποτε Ὁμήρῳ Ἡσίοδος· καὶ τοῦτο αὐτὸς Ἡσίοδος ἐν ἐπιγράμματι διδάσκει, φιλοτιμούμενος καὶ λέγων νενικηκέναι.* Eustathius ad Il. p. 4. *εἰ δὲ καὶ ἤρισεν Ὅμηρος Ἡσιόδῳ καὶ ἡττήθη.*

---

g) Quid *ἐπὶ* sibi uelit, non intelligo; sine dubio eiiciendum est. Fortasse originem e praegresso *ἔτη* traxit.

Quum igitur fabula sit tam recentis memoriae, falli uidetur Ulricius, qui p. 196 sq. eam iam illo tempore natam esse suspicatur, quum in Graecia Hesiodium poesis genus floreret, et prima rhapsodorum Homericorum notitia esset allata. Hoc quidem concedi potest, quod dicit mirum uideri, quod Hesiodus Homero superior iudicatus esset, quum illis temporibus, quibus Graeci omnium artium et litterarum laude florerent, nemo poetarum Homero anteponeretur. Quae tempora Aristotelis aetate terminantur. Sed non uideo rationem, cur fabula illa a grammatico quodam utriusque generis discrimen sentiente ficta et diuulgata esse non potuerit. Et profecto mirum foret, si posteriora tempora de poetis uetustissimis et clarissimis tale certamen non essent commenta. Quod autem Hesiodo palma est data, id quum ex aliis fortasse caussis deriuari possit, tum propterea maxime factum uidetur,[1] quod in carminibus suis poeta ipse uictoriae alicuius suae mentionem fecisse credebatur. Quum igitur constaret, Hesiodum uicisse, ne Homero quidem afficto ab ea fama recedere uolebat fabulae auctor. Omnino igitur antiquam eius originem non agnosco, nisi grauioribus argumentis, quam quae Ulricius protulit, mendacii uetustas demonstrata erit.

## § 7.

### *Fabulosum Hesiodi stemma.*

Superest unum fabularum genus, item ad scholam Hesiodiam probandam adhibitum, mythicum poetae stemma. Hesiodi enim stirps inde a remotissimis temporibus repetebatur, eiusque generis origo ad ipsum Apollinem referebatur. Cuius rei testes ordine proferam. Scriptor Certaminis p. 242. (Goettl.) *Ἀπόλλωνός φασι καὶ Θοώσης τῆς Ποσειδῶνος γενέσθαι Λῖνον, Λίνου δὲ Πίερον, Πιέρου δὲ καὶ Νύμφης Μεθώνης Οἴαγρον, Οἰάγρου δὲ καὶ Καλ-*

λιόπης Ὀρφέα, Ὀρφέως δὲ Ὄρτην, a) τοῦ δὲ Ἁρμονίδην, τοῦ δὲ Φιλοτέρπην, τοῦ δὲ Εὔφημον, τοῦ δὲ Ἐπιφράδην, τοῦ δὲ Μελάνωπον, τούτου δὲ Δῖον καὶ Ἀπελλαῖον, Δίου δὲ καὶ Πυκιμήδης τῆς Ἀπόλλωνος θυγατρὸς Ἡσίοδον καὶ Πέρσην, Πέρσου δὲ Μαίονα, Μαίονος δὲ θυγατρὸς [τῆς Κριθηίδος Barn.) καὶ Μέλητος τοῦ ποταμοῦ Ὅμηρον. Proclus περὶ Ὁμήρου in Bibl. Vet. Litt. et Artt. fasc. 1. Ined. p. 8. (cf. Gaisford. ed. Hephaest.) Ἑλλάνικος δὲ καὶ Δαμάστης καὶ Φερεκύδης εἰς Ὀρφέα τὸ γένος ἀνάγουσιν αὐτοῦ. Μαίονα γάρ φασι τὸν Ὁμήρου πατέρα καὶ Δῖον τὸν Ἡσιόδου γενέσθαι Ἀπελλίδος, τοῦ Μελανώπου, τοῦ Ἐπιφραδέως, τοῦ Χαριφήμου, τοῦ Φιλοτερπέως, τοῦ Ἰδμονίδα, τοῦ Εὐκλέους, τοῦ Δωρίωνος, τοῦ Ὀρφέως. Paullo aliter Plutarchus Vit. Hom. (T. XIV. p. 475. Hutt. T. V. p. 1088. Wytt.) Ἔφορος (p. 268. Marx.) μὲν οὖν ὁ Κυμαῖος ἐν συντάγματι τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐπιχωρίῳ, Κυμαῖον αὐτὸν (Ὅμηρον) ἀποδεικνύναι πειρώμενος, φησὶν ὅτι Ἀπελλῆς b) καὶ Μαίων καὶ Δῖος ἀδελφοί, Κυμαῖοι τὸ γένος. ὧν Δῖος μὲν διὰ χρέα μετῴκησεν εἰς Ἄσκρην κώμην τῆς Βοιωτίας, κἀκεῖ γήμας τὴν Πυκιμήδην ἐγέννησεν Ἡσίοδον. In quibus uerba ὧν Δῖον et quae sequuntur non ad Ephorum pertinere recte obseruauit Goettlingius Praef. p. VI, usus Procli testimonio ad Op. 633. Λέγουσι τὸν πατέρα Ἡσιόδου πένητα ὄντα δανειστὰς πολλοὺς ἐσχηκέναι, διὸ καὶ πέφευγε τὴν πατρίδα. Ἔφορος δέ φησι τοῦτον εἰς Ἄσκρην ἐλθεῖν, οὐ δι' ἐμπορίαν, ἀλλὰ φόνον ἐμφύλιον ἐργασάμενον. Dius Hesiodi pater a pluribus dicitur, mater Pycimede. Suid. u. Ἡσίοδος: Κυμαῖος, νέος δὲ κομισθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς Δίου καὶ μητρὸς Πυκιμήδης ἐν Ἄσκρῃ τῆς Βοιωτίας· γενεαλογεῖται δὲ εἶναι τοῦ Δίου τοῦ Ἀπελλίδου (Ἀπελλίδος, duo

---

a) Welcker de Cycl. ep., qui p. 147—150 de his genealogiis disputat, Ὄτρυς reponendum censet, Ὄθρυς suspicatur Barnesius.

b) Legitur Ἀτελλῆς. Certamen Ἀπελλαῖος. Ἀπελλῆς Suidas u. Ὅμηρος e Charace. Ἀπελλὶς Proclus.

MSS. Par. ut Procl. περὶ Ὁμ.), τοῦ Μελανώπου· ὡς ἀνεψιάδην εἶναι Ἡσιόδου τὸν Ὅμηρον· ἑκάτερον δὲ ἀπὸ τοῦ Ἄτλαντος καταλέγεσθαι. c) Proclus Γένος Ἡσ. init. Ἡσίοδος σὺν τῷ ἀδελφῷ Πέρσῃ παῖς ἐγεγόνει Δίου καὶ Πυκιμήδης, Κυμαίων Αἰολέων κτλ. Pycimede igitur ab aliis Ascraea ab aliis Cumaea perhibebatur; de cuius origine Goettlingius p. VI sic dicit: „Pycimedam alius addidisse uidetur ex ingenio, ut matrem Hesiodo daret, ex cuius memoria omen caperetur pro uirtutibus hominis.“ Dius autem, qui etiam in Certam. p. 247: Ἡσίοδ', ἔκγονε Δίου κτλ. et a Tzetza ad Op. 631 Hesiodi pater dicitur, e falsa Op. 299 interpretatione originem traxit. Legitur ibi Ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος, quod sic interpretatus est Tzetza: Υἱὲ Δίου, ἢ εὐγενὲς γένος, Moschopulus autem hoc modo explicuit: Δῖον γένος τὸν Πέρσην λέγει, ἢ διότι παῖδες Δίου τινὸς ἦσαν; ἢ διότι εἰς θεοὺς ἀνέφερον τὴν γένεσιν· εἰς γὰρ Ὀρφέα καὶ Καλλιόπην τὸ γένος ἀνῆγον. (Cf. Robins. p. XXIX. Goettling. p. VI. et 159. Lobeck. Aglaoph. p. 326). Huius genealogiae auctor affertur Hellanicus a Proclo ad Op. 631. Ἑλλάνικος δὲ Φορωνίδι ἀπὸ Ὀρφέως φησὶν εἶναι τὸν Ἡσίοδον. Etiam Musaei filium nonnullos Hesiodum dixisse intelligitur ex Harpocratione u. Μουσαῖος. Λυσίας πρὸς τὴν Μιξιδήμου γραφὴν, εἰ γνήσιος· καὶ δύο παῖδας αὐτῷ ἀκολούθους εἶναι, ὧν οὗτος τὸν μὲν Μουσαῖον καλεῖ, τὸν δὲ Ἡσίοδον.

Genealogiarum illarum origo iis temporibus uidetur adscribenda esse, quibus prima artis historicae apud Graecos initia nascebantur et rectissime Lobeckius p.

c) Hanc Atlantis memoriam illustrare licet Lobeckii uerbis Aglaoph. p. 322: „Significari uidetur (sc. Aethusae nomine apud Suidam e Charace) Alcyonae Atlantidis filia Eleutheris ex Apolline mater Apollod. III, 10, 1. Suidas et Eud. p. 312. Ὀρφεὺς υἱὸς Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης πέμπτος ἦν ἀπὸ Ἄτλαντος κατὰ Ἀλκυόνην. Lascaris Prolegg. Orph. in Marm. Taur. p. 91. ὁ Οἴαγρος πέμπτος ἦν ἀπὸ Ἄτλαντος.“

326 sic iudicat: „Iam uero longam orationem non desiderat, quamobrem totam hanc genealogiam confictam putemus ab historicis. Quomodo, qui philosophiam inchoarunt, nimia quadam ingenii fiducia a rebus maximis difficillimisque auspicati sunt, deorum naturas, magnitudinem huius uniuersi siderumque substantiam scrutantes, ita historiae uix nidis egressae quasi tirocinium fuit, generis humani primordia tradere et urbium origines et gentium conditores, non ad historiae fidem, cuius nec copia erat ista aetate nec desiderium, sed ad popularem oblectationem.“ A logographis igitur (nam Pherecydem et Hellanicum supra habuimus auctores) illa stemmata conficta sunt, ita ut quum Orphei et aliorum, qui antiquissimi uates habebantur, memoria Orphicorum et Pythagoreorum opera resuscitata esset, Homerus autem et Hesiodus multo post illos uixisse crederentur, temporis spatia utrisque interiecta longa poetarum serie explerentur, quorum nomina a canendi facultate et uirtute deriuata esse apparet. De singulis nominibus optime dixit Lobeckius p. 324 sqq. eorumque et memoriam persecutus est et uim illustrauit. Cf. Welcker. de Cycl. l. l.

---

## Caput III.

### De fabularum auctoritate aliorumque ui argumentorum.

### § 1.

*Quaeritur, quid mythicum Hesiodi stemma ad scholam Hesiodiam ualeat.*

Postquam superioribus paragraphis fabularem Hesiodi memoriam, qua scholae alicuius Hesiodiae uestigia

contineri putant uiri docti, quam accuratissime persequi studuimus, sequitur ut quaeratur, quam comprobandi uim habeant fabulosae illae narratiunculae. Quantam autem iis, uim et fidem tribuerit Goettlingius, ex eo intelligi potest, quod de schola Hesiodia tanquam de re certa et explorata loquitur (p. XI sq.), nec tamen alia praeter illas fabulas argumenta attulit. Etiam Ulricius iis utitur tanquam testimoniis historicis p. 325.

Originem sectae Hesiodiae sibi uisi sunt illo stemmate indicatam deprehendere; de qua re Goettlingius p. IX et X sic scribit: „Hesiodus est princeps scholae Thracum ex Pieria. — — Quam scholam si propter Hesiodi patriam praefers cum Thierschio boeoticam dicere, me non habes aduersarium, modo ne arctioribus quam par est finibus circumscribas caue. Nam longe antiquior Hesiodo haec secta est, ut ex eius genealogia mythica licet concludere." Idem certis minimeque ambiguis uerbis pronuntiauit Ulricius p. 323. 330. Qui si illis stemmatis significari dicit, Hesiodiae poesis originem ex antiquissima aliorumque uatum arte profectam esse, mirum sane est, quod etiam Homeri stirps ex iisdem auctoribus et proauis deriuatur. Num igitur Homeri quoque epos ad illorum carmina se applicauit? Num hic quoque ad sacerdotalis illius artis naturam imitandam se composuit? Itaque si Hesiodiam sectam ab Homerica diuersam fuisse statuunt, ad Hesiodiae origines et auctores principesque inueniendos illis genealogiis uti nullo modo debebant; quibus illud potius effici possit, ut ab Homero et Hesiodo aut idem aut simile artis genus excultum et tractatum esse uideatur. Quare aut non utendum erat eo argumento aut Hesiodiae Homericaeque scholae et poesis differentia statuenda nulla. Nam utriusque poetae propinquitate mythica grauius momentum continetur, quam eo, quod uterque ab Orpheo deriuatur; quod bene animaduertit Proclus περὶ Ὁμήρου l. l. p. 10. *Εἰσὶ δὲ οἵτινες ἀνεψιὸν*

αὐτὸν Ἡσιόδου παρέδοσαν, ἀτριβεῖς ὄντες ποιήσεως. τοσοῦτον γὰρ ἀπέχουσι τῷ γένει προσήκειν, ὅσον ἡ ποίησις διέστηκεν αὐτῶν. Et quid omnino talibus fabulis auctoritatis et fidei concedere potest, cui Lobeckii (Aglaoph. p. 326 sqq.) indicium probatur, quod uerissimum est? Quare mirandus, ne dicam ob nimiam credulitatem grauiter reprehendendus est Ulricius, quod non multum abest, quin nomina ista, Hesiodo Orpheoque interposita, ad eos referat, qui ante Hesiodum didacticum poesis genus exercuerint. Quod profecto non satis prudenter est iudicatum. Nam Harmonides, Philoterpes, Euphemus, (Chariphemus,) Epiphrades ipsis nominibus suam originem produnt; atque ne hoc quidem iis probari potest, canendi artem et poesis quoddam genus ab Orpheo usque ad Hesiodum continua poetarum serie propagatum esse. Et quid omnino de Orphica poesi (de Orphicis atticae aetatis nunc non loquor) cognitum habemus? Ne hoc quidem certum est, Orpheum poetam fuisse eo sensu, quo uult Ulricius, et certam aliquam poesis formam excoluisse. Neque illud Ulricio concedi potest, primos genealogiae inuentores uideri efficere uoluisse, ut personae illae confictae pro poetis haberentur; sed Hesiodum et Homerum cum mythicis illis hominibus, qui poesin exercuisse credebantur, genealogico nexu coniungere uolebant. Ad quam rem efficiendam aliquot nomina interponenda erant, quae, quum ii qui in genealogiae terminis positi erant poetica laude florerent, ita fingi oportebat, ut aliquid quod ad poesin pertineret significaretur.

## §. 2.

*De comprobandi necessitate, quae fabulae de certamine inest.*

Hoc argumento reiecto uidendum est, num grauior et firmior ratio e certamine Homeri Hesiodique peti

possit. Et sane quidem, si Ulricius p. 196 (cf. p. 323.) aetatem et originem fabulae recte descripsisset, negari nullo modo posset magnum ea comprobandi momentum contineri. Sed quum nobis de ea re aliter iudicandum fuerit, facere non possumus, quin etiam huic fabulae in hac re auctoritatem et fidem abrogemus et ad eius originem explicandam nimia cupiditate scholae Hesiodiae cogitationem arreptam esse dicamus, Goettlingii autem iudicio, quod in Praef. ad Hes. p. X et XI posuit, uehementissime repugnemus. Dicit enim certamen illud non tam ineptum uideri, si ab Hesiodo quodam et Homero aliquo, i. e. a poetis Hesiodiae et Homericae scholae, institutum esse cogitaremus; Hesiodiam autem scholam Chalcide magis floruisse maioremque habuisse gratiam, quam Homericam. Uidentur autem uiri docti ita ratiocinati esse: „Fuerunt scholae inter se certantes; hinc certamen illud inter principes poetas confictum est; iam extat talis certaminis narratio; ex hac igitur duas scholas extitisse apparet.“ Cuius concludendi rationis uitium non est quod notem. Atque si e talibus fabellis, quibus duo aut plures poetae inter se certasse dicuntur, de eorum scholis coniecturam capere licet, quid iis certaminibus faciemus, quae ad antiquiora etiam tempora referuntur? Sic in Peliae ludis funebribus Olympus tibiis, Orpheus cithara, Linus cantu, Eumolpus ad tibias Olympi uoce uicisse narrantur. (Hyg. fab. CCLXXII. Suid. u. Πυθιονίκ. Plutarch. Sympos. V, 2. Sibyllam uicisse dicit et hanc fabulam eodem loco habet, quo certamen Hesiodium, cf. Lobeck. Agl. p. 328). Similiter in Pythio quodam certamine Amphion, Pierus, Anthes, Philammon, Thamyris, Phemius et Demodocus ad canendi artem et facultatem probandam congressi esse traduntur a Plutarcho de Mus. c. III. Num igitur e talibus fabulis, qualium plura exempla congessit Lobeckius l. l., sequitur scholam fuisse Olympiam aut Lineam aut Sibyllinam aut Philammonensem?

Num Phemium et Demodocum alicui scholae addictos fuisse censebimus? (Quanquam Welckerus de Cycl. p. 295. a tali opinione non abhorret.) Profecto tali ratione nihil est quin effici et demonstrari queat. Attamen si certamen Hesiodi et Homeri confictum esse omnes concedunt, ad scholas autem eorum referunt, nulla caussa est, cur non etiam illis narratiunculis, quibus Orpheus et alii inter se certasse dicuntur, eodem modo aliquid fidei et auctoritatis comparari possit.

## § 8.

*Reiicitur argumentum e Locrensium fabulis petitum.*

Sed tertium superest fabularum genus, quod supra ad Locrensium gentem retulimus. De quo genere sic statuunt uiri docti, ut e mirifica morte poetae et honorifica in luco Nemeo sepultura concludant Hesiodum a Boeotis et Locrensibus pro heroe habitum cultumque esse. Exornauit hoc argumentum maxime Welckerus in Jahnii Ann. Phil. 1829. IX, 1. p. 137—142, cui assentiuntur Goettlingius p. IX. et Ulricius p. 324 sq. Adduntque etiam prouerbium illud cum Pindari epigrammate. In hoc argumento examinando non ita licet disputare, ut, quod certamini fecimus, fabularum originem temporibus posterioribus adscribamus et antiqua populari fama niti negemus, tribuamusque putido grammaticorum studio historiam antiquorum poetarum exornandi. Quod quominus faciamus, impedit Thucydidis memoria, impedit Philochori et Aristotelis de Stesichoro narratio, impedit Eratosthenis auctoritas. Quamuis igitur ea fama satis antiqua fuerit, tamen non eam habet uim, ut de poetarum Hesiodiorum secta apud Locrenses florente cogitare nos cogat. Hoc quidem Welckero p. 138 sq. concedi potest, in iis ciuitatibus, quae Hesiodi ossa apud se sepulta fingebant, Hesiodium poesis genus populi studiis acceptum gratumque fuisse. Quanquam praeter Or-

chomenios et Naupactios a nulla ciuitate id factum uidetur. Sed quomodo ea re probari possit, gratiam illam fauoremque profecta esse e sectae alicuius studiis, nondum intelligere me posse fateor. Potius eaedem caussae, in uniuersa cogitandi sentiendique ratione positae, quae nouum genus protulerunt, etiam gratiam apud populares huic generi comparare debebant aut poterant saltem. Neque id illis narrationibus efficitur, societatem quandam poetarum exstitisse Hesiodiam artem ita exercentium, ut Ascraeum poetam principem et auctorem agnoscerent. Nam unde scimus illos, qui Hesiodi carmina magno studio et approbatione excipiebant, iisque aut priuatum aut publicum usum concedebant, poetica fuisse praeditos facultate ipsosque carminibus pangendis Hesiodiam artem referentibus operam dedisse? Et quod Hesiodum Boeotis et Locrensibus heroem fuisse dicunt, id quidem de Boeotis falsum est. Nam neque eius gentis de eo fabulae feruntur, neque Pausanias, compluribus Boeoticorum locis de Hesiodo agens, tale quid prodit, quanquam talium rerum explorator curiosissimus est et auctor accuratissimus. Itaque Boeoti Pausaniae tempore poetae memoriam non cum herois gloria uidentur coniunxisse. Sed ut de Locrensibus hoc concedam (quanquam res non caret dubitatione grauissima), non uideo, quomodo ex hac re colligi debeat, Hesiodiae scholae partem apud Locrenses sedem habuisse. Cui opinioni magnopere obstat res quaedam, ab Ulricio p. 438 et Welckero p. 139. ad suae sententiae comprobationem adhibita. Dico *ἔπη Ναυπάκτια*, quae Hesiodiae scholae adscribunt. Sed quanquam Hesiodi memoria Naupactiorum fabulis ferebatur, tamen quum eius carminis auctor incertus haberetur, aliique Carcino Naupactio, alii Neoptolemo, alii Milesio cuidam tribuerent (uide infra nostram de Naupactiis commentationem), nemo Hesiodum dixit auctorem; quod sine dubio factum esset, si Locrensis quaedam poetarum Hesiodiorum secta

fuisset. Atque omnino illius argumenti uis magnopere eo infringitur, quod nihil de carminibus Hesiodiis Naupacti aut apud Locrenses factis traditur (qualium fabularum plena est historia Homeri). Nam non uereor ne quis in hanc rem abutatur Hieronymi loco Epist. 34. T. IV. p. 258. Ad poetas uenio Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichcorum, qui grandes natu cygneum nescio quid et solito dulcius, uicina morte cecinerunt.

Atque si omnes fabulae ita explicandae sunt, ut ad historicum aliquod factum referantur, illorum quoque mythorum origo ostendi poterit non assumpta alicuius scholae cogitatione. Ab altera autem parte non intelligo quomodo illa narratio quae est de poetae morte et sepulcris, si de secta aliqua intelligitur, lucem aliquam accipiat. Sed nos ita de fabulae origine iudicamus. Hesiodia stirps Cumaea esse traditur, Cumam autem magna ex parte a Locrensibus conditam et habitatam fuisse e Phriconidis cognomine a monte Locrorum Phricio (Steph. Byz. *Φρίκιον· ὄρος ὑπὲρ Θερμοπυλῶν Λοκρικόν.*) derivato apparet. Strabo XIII, p. 582. *ἀλλὰ τὸν μὲν Πενθίλου στόλον φθῆναι περαιωθέντα ἐκ τῆς Θρᾴκης εἰς τὴν Ἀσίαν, τούτους δὲ περὶ τὴν Λοκρίδα καὶ τὸ Φρίκιον ὄρος διατρῖψαι πολὺν χρόνον· ὕστερον δὲ διαβάντας κτίσαι τὴν Κύμην τὴν Φρικωνίδα κληθεῖσαν ἀπὸ τοῦ Λοκρικοῦ ὄρους.* Et p. 621. *φασὶ τοὺς ἐκ τοῦ Φρικίου τοῦ ὑπὲρ τῶν Θερμοπυλῶν Λοκρικοῦ ὄρους ὁρμηθέντας κατᾶραι μὲν εἰς τὸν τόπον ὅπου νῦν ἡ Κύμη ἐστί, — — — ἐλθόντας δὲ κτίσαι τὴν Κύμην καὶ τοὺς περιγενομένους ἀνθρώπους ἐκεῖσε ἀποικίσαι, ἀπὸ δὲ τοῦ Λοκρικοῦ ὄρους τήν τε Κύμην Φρικωνίδα καλοῦσιν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Λάρισσαν.* Herodot. Vit. Hom. c. 38. *μετὰ δὲ Λέσβον οἰκισθεῖσαν* (CXXX anno post Troianam expeditionem) *ἔτεσιν ὕστερον εἴκοσι Κύμη ἡ Αἰολιῶτις καὶ Φρικῶτις καλεομένη ᾠκίσθη.* Herod. Mus. I, 149. *Αἵδε δὲ Αἰολίδες* (sc. *πόλιές εἰσι*)· *Κύμη ἡ Φρικωνὶς καλεομένη*, *κτλ.* Tzetza schol. ad Hes. Op. 633.

Κύμην — τὴν νῦν Φρικωνίδα [a]) καλουμένην. Eustathius ad Il. B. p. 357, 37. R. καὶ κατασκευάζει ὁ γεωγράφος (Strabo) τὸ οὕτω τισὶν ὑποληφθὲν λέγων καὶ ὅτι πόλις ἡ Κύμη ἐπιφανής ποτε, Ἡσιόδου πατρίς, ἧς οἱ πολῖται ἐπὶ μωρίᾳ ἐκωμῳδοῦντο καὶ ὅτι Φρικωνὶς ἡ τοιαύτη ἐκλήθη Λάρισσα. Ab horum scriptorum auctoritate recedit Stephani Byzantii u. Κύμη disputatio, qui Cumam, Hesiodi patriam, ab ea, quae Phriconis dicebatur, distinguit: Κύμη, πόλις Αἰολίδος πρὸ τῆς Λέσβου, ἀπὸ Κύμης Ἀμαζόνος. ἐκαλεῖτο δὲ Ἀμαζόνιον. τὸ ἐθνικὸν Κυμαῖος. ἐντεῦθεν ἦν Ἔφορος ὁ ἱστορικὸς καὶ Ἡσίοδος Κυμαῖοι. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Φρικωνῖτις λεγομένη. αὕτη δὲ καὶ ἡ Λέσβος σκώπτεται εἰς ἀναισθησίαν. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Ἰταλίας. ταύτης τὸ ἐθνικὸν Κυμεύς. τετάρτη τῆς Ἠλείας κτλ. Hinc subnascitur suspicio, Hesiodi familiam uere ad Locrensium gentem pertinuisse, quae, quum postea ad Boeotos eius nominis gloria translata esset, iure eum tanquam suum ciuem repetere poterat. Itaque ne apud solos Ascraeos tanti nominis documenta exstarent, apud se mortuum illum esse atque sepultum finxerunt. Sed Ascraei quoque sepulturae Hesiodiae honorem sibi uindicasse uidentur. Certe Orchomenii propterea quod reliquias Ascraeorum, e Thespiensium caede elapsorum, in suam urbem recepissent, etiam Hesiodi ossa ad se transferre ab Apolline iussi sunt. Ita factum est, ut hi quoque Hesiodi sepulcrum ostentarent. Duplex autem fabula de Orchomeniis Hesiodi ossa ad se transportantibus discernenda est. Antiquior ea uidetur fuisse quam Aristoteles ἐν τῇ Ὀρχομενίων πολιτείᾳ apud Procl. ad Op. 631. tradiderat. Huic enim plus auctoritatis tribuendam esse, uel ex eo apparet, quod quae Aristoteles tradiderat, ad historiae fidem erant narrata. Caussa uero, cur Orchomenii Ascraei poetae ossa in suam

a) Ita Codd. et Edd. Bas. et Trinc. — φρικώτιδα Heinsius, ut in Vita Hom.

urbem apportasse dicerentur, non in schola quadam Hesiodia Orchomeni florente quaerenda est; sed quum illi Ascraeos recepissent, etiam clarissimi illorum ciuis reliquias ab iis requisitas esse consentaneum est; quare aliquid ex illius gloria ad ipsorum ciuitatem redundaturum uideretur. Illud autem non assentior Goettlingio, quod Hesiodi ossa proprie ad Orchomenum, Boeotiae caput, pertinuisse dicit p. VII.

Hanc quam modo exposui antiquiorem fuisse fabulam uideri supra significaui. Quae erat abiicienda aut immutanda Locrensibus, quum Hesiodum in sua terra mortuum sepultumque finxissent. Hinc exorta illa fabula, cuius testes supra Pausaniam et Plutarchum adduxi. Nam hoc in his rebus obseruasse liceat, unam fabulam saepius alius caussam fuisse, ita ut si primae narrationis origo sit patefacta, non magnopere de earum fabularum caussis laborandum uideatur, quae ex illa natae sunt. Hoc ut ad nostram quaestionem referam, aperuimus caussam cur Locrenses omnino Hesiodum apud se uersatum aliquando mortuumque dixissent; quae caussa in gentili Hesiodiae familiae cum Locrensibus nexu posita uidebatur. Orchomenii autem ossa Hesiodi (ab Ascraeis accepta) habebant. Hae res ut coniungerentur opus erat aliqua fabula, qua poetae reliquiae e Locride Orchomenum translata dicerentur. Sed quum etiam Locrenses Hesiodi sepulcrum ostentarent, neque Orchomeniis illam gloriam concederent, duo sepulcra ferebantur. Hac re iam uti possumus ad aliam rem explicandam, quam Goettlingius p. VII. fabulis „non tam de Hesiodo, quam de eius familia et schola, cuius ille fuit princeps, intelligendis" adnumerauit; prouerbium dico de Hesiodia senectute et Epigramma Pindaro adscriptum, quod supra § 4. fin. posui. Ubi quae uerba attuli e Prou. Vat. IV, 3, ea ipsum fabulae fontem aperire uidentur, si quidem uocabulum *καὶ* „et sic" uel „et propterea" interpretari licet. Prouerbium igitur

ex epigrammate ortum est, epigramma e duplici, quae ferebatur, sepultura, ad quam explicandam aliquis Hesiodum bis uixisse et bis mortuum esse finxit, ut intelligeretur, quomodo in utroque sepulcro poetae ossa esse possent. Ceterum hoc uidetur praeterea monendum esse, Aristotelem quum Hesiodum bis sepultum diceret non de Locrensi et Orchomenio, sed de Ascraeo et Orchomenio sepulcro cogitasse, id quod e Procl. schol. ad Op. 631. coll. c. Prou. Vat. IV, 3. apparet, ubi idem scriptum „de Orchomeniorum republica" citatur.

Explicuimus igitur istas fabellas nulla poesis ratione habita neque adscita scholae opinione, easque pariter oriri potuisse credimus, etiamsi Hesiodus non poeta, sed alia quauis re clarus fuisset.

## § 4.

### *De Stesichoriae poesis cum Hesiodia nexu.*

Coniuncta cum illis narrationibus est mythica Hesiodi et Stesichori consanguinitas, cuius testes supra c. II. § 5. Aristotelem et Philochorum habuimus. Hoc argumentum primus subornauerat Kleinius de Stesich. fr. p. 12 sqq., qui e Stesichoriae poesis cum Hesiodia cognatione quadam fabulae originem deriuat. Argumentatur autem hoc fere modo. Incipit a fabula illa de Orphei capite cum lyra in mare deiecto et uel undis uel delphino Lesbum delato. Iam quum Hesiodum e Lesbiorum gente ortum esse Tzetza tradat (ad Op. 633. Proleg. p. 12. Gaisf.), Hellanicus uero eum ex Orpheo originem duxisse dixerit, hinc concludit, Hesiodum in Graeciam propagasse didactica sua poesi ueteres illos Orphicos hymnos. Deinde commemorat mythicam Hesiodi apud Locrenses mortem, cui genti Stesichorum p. 9. adnumerauerat; et p. 13. sic pergit: „ut enim „concedas modo indicatam Locrensem Stesichori ori„ginem, probabiliter item suspiceris cognatione illa in-

„dicari, translatum esse Hesiodi siue Hesiodeorum ἔπος „per gentilem Locrensium nexum ad nostrum poetam, „quippe qui — lyricis poetis non aequius fere quam „epicis fuerit adscribendus. Solebant utique singula „poeseos genera certis gentium finibus includi et ea„rundem solummodo commigrationes sequi: Stesichorus „sic Ascraeum quoque poetam apprime imitatus est et „secutus quum in fabularum delectu tum in singulis „multis rebus mythologicis. — — — Poterat — ut prae„cipuus eius imitator inter Italicos Aeolenses et claris„simus huius regionis poeta, aequissimo iure illo titulo „cumulari. Quae quum tantam ueri speciem prae se „ferant, non est quod coniiciamus reuera e Clymene „Hesiodum, sed prorsus ignotum aliquem, Stesichorum „habuisse filium.“ Hoc quidem quod postremo loco posuit, recte dictum est et ipsis Procli et Tzetzae uerbis qui Stesichorum τὸν μελῳδὸν et τὸν μελοποιὸν nominant, comprobari poterat. Sed in superioribus plurima non probabiliter disputata sunt. Nam quod ad Orphicum sanguinem attinet, de illa re supra satis diximus. Errat deinde quod Hesiodum Lesbiacae fere originis fuisse arbitratur, deceptus Tzetzae uerbis p. 12: κατῴκουν δὲ (Hesiodi parentes) ἐν τῇ Κύμῃ. αὕτη ἡ Κύμη περὶ τὴν Μιτυλήνην (rectius Μυτιλήνην scribitur) ἐστίν. καλεῖται δὲ νῦν Φρικωνίς. ἡ δὲ ἑτέρα Κύμη, ὅθεν ἦν Αἴολος καὶ ἡ Σίβυλλα τῆς Ἰταλίας. Urbem Aeolidem in Asiae ora Lesbo opposita sitam a Tzetza significari facile intelligitur eo, quod eam Φρικωνίδα appellari dixit grammaticus. Deinde ad Op. 633. indicauit quomodo περὶ Μιτυλήνην uerba intelligi uellet: αἱ δὲ Αἰολίδες πόλεις περὶ Μιτυλήνην εἰσὶ, καὶ αἱ νῆσοι ὁμοίως. Unde apparet περὶ Μιτυλήνην non ita intelligendum esse, ut Cuma in ipsa Lesbo sita existimetur (quomodo enim αἱ περὶ Μιτυλήνην νῆσοι in ipsa insula iacere possunt? an Dodecapolis Aeolica e Lesbiacis urbibus constabat?), sed ita ut uiciniae tantum notio teneatur. Welckerus p. 137 ante

uerba *αὕτη ἡ Κύμη* aliquot uocabula excidisse suspicatus est, in quibus Lesbiacae Cumae mentio facta esset. Quam si quis probauerit coniecturam, Tzetzam Stephani locum supra allatum respexisse statuat oportet.

Quae si uera a nobis dicta sunt, prior Kleinianae argumentationis pars subruta est. Alterius autem partis ad Stesichoriae gentis cum Hesiodia coniunctionem pertinentis fundamentum nemo poterit firmum iudicare, qui cogitauerit Stesichorum auctoribus nunquam Hesiodi imitatorem dici, sed potius cum Homero eiusque arte coniungi. Cuius rei testimonia haec sunt: Longinus de sublim. XIII, 3. *Μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο; Στησίχορος δ' ἔτι πρότερον.* Dio Chrys. Orat. p. 559. D. (Morell.). *Τοῦτό γε ἅπαντές φασιν οἱ Ἕλληνες, Στησίχορον Ὁμήρου ζηλωτὴν γενέσθαι καὶ σφόδρα ἐοικέναι κατὰ τὴν ποίησιν.* Synesius Insomn. p. 158. ed. Paris. *Ὥσπερ Ὅμηρος καὶ Στησίχορος τὸ μὲν ἡρωϊκὸν φῦλον διὰ τὰς ποιήσεις αὐτῶν ἐπικυδέστερον ἐποίησαν.* Anthol. Palat. IX, 184. — *Ὁμηρικὸν ὅς τ' ἀπὸ ῥεῦμα ἔσπασας οἰκείοις, Στησίχορ', ἐν καμάτοις.* Et Epigramma Antipatri ibid. VII. 75.

*Στασίχορον, ζάπληθες ἀμετρήτου στόμα Μούσας,*
*Ἐκτέρισεν Κατάνας αἰθαλόεν δάπεδον,*
*Οὗ, κατὰ Πυθαγόρου φυσικὰν φάτιν, ἁ πρὶν Ὁμήρου*
*Ψυχὰ ἐνὶ στέρνοις δεύτερον ᾠκίσατο.*

Ex his testimoniis apparet, si cognationis fingendae caussa in artis similitudine posita fuisset, Stesichorum potius Homerum patrem quam Hesiodum accepturum fuisse. Habent autem illa testimonia eo maiorem uim, quod praeter Stesichorum nullius lyrici poesis tam prope ad Homeri artem accessisse dicitur; et tamen putant poetam Homero simillimum (*Ὁμηρικώτατον*, *Ὁμήρου ζηλωτὴν*, ut ab omnibus Graecis dicebatur), in quem Homeri anima rediisse credebatur, Hesiodiam poesin secutum esse. Quae autem Hesiodiae imitationis a Stesichoro

institutae exempla affert Ulricius p. 488, ea prorsus nihil probant, non maioris momenti in hac re futura, etiamsi et numero plura et grauiora dignitate essent. Quid enim eo efficitur, quod Stesichorus cum Hesiodo *'Ιλεὺς* forma usus erat (cf. fr. Hes. CXXXVI), quod uterque eandem Arabi genealogiam habuerat (fr. Hes. XXIX)? Aut quam uim habere potest Hesiodi mentio in Stesichorio carmine facta (Arg. Hes. Scut.)? Et si Himerensis poeta multas fabulas tractabat iam ab Ascraeo expositas, etiam *'Ιλίου πέρσιδα* et *Νόστους* et *'Ορέστειαν* scripsit, quae fabulae Homerico generi magis propriae erant (Kleine p. 75 sq. 81 sq. 83.). In Cycno autem fabulam Hesiodiam relinquebat (Mueller Dor. II. p. 480.). Omnino autem de hac Stesichoriae artis cum Hesiodia cognatione eiusque argumentis recte iudicauit Welckerus p. 147, contra quem Ulricius p. 489. N. 222. parum feliciter disputasse mihi uidetur. Praeterea autem ne sufficere quidem uidetur artis similitudo aut imitatio ad illam rem explicandam.

Sed si Welckerus ipse p. 138. fabulae caussam non in artis similitudine, sed in externis quibusdam rationibus quaerendam existimat, quas quidem Hesiodia apud Locrenses schola contineri dicit, hoc quid sibi uelit non satis perspicio. [a]) Nam si talis schola unquam apud illam gentem exstitisset, Stesichorusque ei se addixisset, id aliter fieri non poterat, nisi imitandis eius sectae operibus, quae tamen ipsius Hesiodi ingenium referre consentaneum erat. Itaque ipsius Welckeri sententia eodem fere rediret, quo Ulricii. Praeterea uero epicae artis per Italicas Locrensium colonias florentis nulla prorsus ad nostram aetatem seruata est memoria.

---

a) Dicit sic: Demnach scheint vielmehr in äussern Verhältnissen der Grund zu liegen, dass er des Hesiodos Sohn heisst: und diese bestehen grade in der Lokrisch-Hesiodischen Schule, deren Dasein etc.

Quare sic potius illius fabulae origo uidetur explicanda esse, ut ad morem illum, quo claris poetis clari patres tribui solebant, respiciatur. Iam quum celeberrimus Locrensium poeta Stesichorus esset, [b]) Hesiodus autem cum eadem gente coniunctus haberetur, ille uero epica argumenta lyricis formis tractaret, facile fieri poterat, ut Locrenses clarissimos poetas, quos suos esse dicebant, genealogico nexu coniungerent. Huic explicationi non obstat Ulricii (I. p. 489. N. 22. et II. p. 400. N. 74) obseruatio de parua eius famae auctoritate, qua Stesichorus Locrensis poeta dicebatur. Nam non multo maior est eius fabulae auctoritas, qua Stesichorus Hesiodi filius ferebatur. Et ut falsa fuerit Locrensium sententia, Stesichorum suum ciuem dicentium, hoc ipsum, quod Locrenses lyricum ad suam gentem pertinuisse contendebant, sufficiebat ad eius stirpem cum Hesiodia connectendam. Omnino autem nolim talibus fabellis tantum auctoritatis tribuatur, ut ad res grauissimas adhibeantur comprobandas ut testimonia historica. Nam quid aliis eiusdem fere generis narrationibus faciemus, quae probabilem explicationem e rerum et historiae ueritate petitam non admittunt, sed uariis posteriorum temporum studiis sunt adscribendae. Sic, ut hoc exemplo utar, Homerus et Hesiodus ipsi cognationis uinculo coniunguntur, quum eorum ars fuerit diuersissima. Terpandrum autem alii Homeri alii Hesiodi progeniei adnumerabant (Suid. u. *Τέρπανδρος*),

b) Suidas *Στησίχορος* — *οἱ δὲ ἀπὸ Ματαυρίας ἐν Σικελίᾳ.* Stephanus Byz. u. *Ματαυρός* Stesichorum dicit *Ματαυρινὸν γένος* (Kleine p. 9. not. Ulrici II. p. 400. not. 74. Welcker p. 135 sq.). Hunc, quem Welckerus erroris arguit dicentem *Μάταυρος πόλις Σικελίας, Λοκρῶν κτίσμα*, ego emendandum potius censuerim, ita ut *Ἰταλίας* pro *Σικελίας* scribatur. Quam emendationem non uiolentam iudicabit, qui proximam uocem in *Σ* litteram exire reputauerit. Similiter apud Suidam, u. *Ὅμηρος*, *Οἰχαλίας ἅλωσις* in *Σικελίας* corruptum est.

quem nemo cum schola Hesiodia coniungere uoluit, quanquam ad Ascraei stirpem est relatus. Obstabat enim Homerus pater ab aliis perhibitus. Idem si Stesichoro accidisset, ut etiam ab Homero deriuaretur (fieri autem hoc potuisse in tanta utriusque similitudine quis neget?), nemo unquam de Himerensi poeta cum schola Hesiodia coniungendo uidetur cogitaturus fuisse.

Antequam hunc de fabulis locum relinquam, monendum est de re quadam ad idem genus pertinente et a Goettlingio p. XIV. his uerbis ad scholae comprobationem adhibita: „Sic quod Pausanias (X, 7, 2) de Hesiodo tradidit: *λέγεται δὲ καὶ Ἡσίοδον ἀπελασθῆναι τοῦ ἀγωνίσματος (τοῦ Δελφικοῦ), ἅτε οὐ κιθαρίζειν ὁμοῦ τῇ ᾠδῇ δεδιδαγμένον*, de schola priscorum rhapsodorum, quorum ille princeps fuit, si intelligatur, ueritati sane est consentaneum.“ Uerum quominus hoc argumento cogi nos patiamur, prohibet cum nostra de Hesiodiorum carminum recitatione ignoratio, tum quod Pausaniae narratio non antiqua fama niti, sed e quorundam Theogoniae uersuum (30 sq.) interpretatione originem uidetur duxisse. Ita ut iudicemus, adducimur altero Pausaniae loco IX, 30: *κάθηται δὲ καὶ Ἡσίοδος κιθάραν ἐπὶ τοῖς γόνασιν ἔχων οὐδέν τι οἰκεῖον Ἡσιόδῳ φόρημα· δῆλα γὰρ δὴ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐπῶν ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ δάφνης ᾖδε.* —

## § 5.

### *De multitudine carminum Hesiodiorum.*

Haec de una argumentorum parte dicenda uidebantur; quae ut paullo copiosius exponeremus, factum est propter eorum, contra quos disputauimus, nomina clarissima et grauissimam in his rebus auctoritatem; a quibus res est summis ingeniis exquisitaque doctrina administrata. Et sane quidem non negandum est, ita ab iis ista argumenta exornata esse, ut primum eorum disputationes legens uix retineas assensionem. Sed ac-

curatius quaerenti obscurum esse non poterat, istis fabulis eum quem uolunt usum concedi non debere. Quare mihi uidentur nubem pro Iunone amplexi et umbram non corpus sectati esse; quanquam acumen quoddam prodit et ingeniosi hominis est tales fabulas per se leues et inutiles ad tantae rei demonstrationem cogere.

Iam uero quoniam in iis fabulis nihil inuenimus quod ad sectam aliquam Hesiodiam iure possemus referre, quaerat aliquis, 'totane iam caussa poetarum Hesiodiorum perdita est? Minime uero. Prolata enim alia sunt argumenta et grauiora quidem; quorum maximam uim illud habet, quod e multitudine carminum Hesiodo adscriptorum ducitur. Ea enim quum neque unius hominis esse neque uni aetati adscribi queant, scholae cuiusdam poetarum suspicionem mouere possunt, qui ab Hesiodo nomen habentes eum ita sequerentur, ut non modo ad eius imitationem se componerent, uerum etiam prae illius gloria in tenebras recederent suaque opera ad eum transferrent. De huius rationis momento ut recte iudicetur, magna cautio est adhibenda, ne nimio dubitandi contraque dicendi studio abripi nos patiamur et in contrarios iis errores incidamus, quos impugnare studuimus. Possit enim aliquis sic disputare, ut de diuersa illorum carminum conditione moneat atque, quum de plerisque antiquorum scriptorum auctoritate et testimoniis uti non liceat, pleraque recenti aetate Hesiodi nomini subiecta esse conetur demonstrare. Cui argumentationi eo maior possit parari probabilitas, quo facilius caussas quasdam excogitare licet, quibus factum sit, ut progressu temporis maior atque maior operum multitudo repeteretur. Atque ego ipse aliquando in ea sententia eram; sed quaestione accuratius instituta hoc mihi uideor intellexisse, plerosque antiquiorum scriptorum de carminum Hesiodiorum auctoritate omnino non dubitasse. Et si reputamus, quam pauca omnino ante Pausaniae aut Athenaei aeta-

tem de plurimis carminibus Hesiodiis testimonia inueniantur, etiam illud nullius momenti esse potest, quod multa poemata recentium demum scriptorum auctoritate Hesiodo tribuuntur. Sed de multis etiam tota antiquitas ante Alexandrinos et ipsi Alexandrini in Hesiodo auctore uidentur consensisse. Atque de Operibus quidem, quae omnes ad Hesiodi nomen retulerunt, et de Theogonia, de cuius auctore praeter Pausaniam nemo dubitauit, non est quod plura dicam. Eadem quae Theogoniae est Eoearum conditio, ab uno Pausania Hesiodo abiudicatarum; Catalogus pariter ut Opera consentiente uniuersae antiquitatis memoria Hesiodium carmen habetur. (De Catalogo et Eoeis testimonia ueterum scriptorum huc pertinentia in altera harum commentationum parte collegi.) *Χείρωνος ὑποθήκας* et Scutum Herculis Hesiodia carmina esse ex antiquioribus unus negauit Aristophanes Byzantius; ex recentioribus de Scuto multi dubitauerunt. Melampodia Strabonis, Athenaei et Clementis (nam minus claros auctores praetereo) testimoniis ad Hesiodum refertur, contra quorum auctoritatem Tzetzae ratio, qui carmen sine Hesiodi nomine citauit, nihil ualet. Astronomiam, quam Athenaeus Hesiodo abiudicat, reliqui omnes qui eius mentionem faciunt (Plinius, Plutarchus, schol. ad Arat., Tzetza) Ascraeo tribuunt. Aegimii auctorem plerique incertum habuisse uidentur. De reliquis carminibus, quorum memoria singulis fere locis exstat, nihil in hoc genere definiri potest.

Quae quum ita sint persuasum fere mihi est plurima carminum Hesiodiorum iam antiqua memoria pro Hesiodiis habita fuisse (aliquot etiam recentioris aetatis fraudibus poetae clarissimo supposita esse quis neget? uelut *Ἐπικήδειον εἰς βάτραχον*, carmen de salsamentis).

Hinc facile ad illius argumenti uim agnoscendam adduceremur, nisi obstarent quaedam dubitationes eius momentum admodum imminuentes.

Primum enim illa antiquitatis de auctore opinio non tantam uim et grauitatem habet, quantam uidetur habere. Nam quum antiquioribus temporibus ante Alexandrinos eius criticae artis, qua librorum auctores indagantur, neque desiderium esset ullum neque facultas aut copia, probatissimi autem Alexandrini his quaestionibus non multum operae darent, facillime fieri poterat, ut librorum falsi auctores et fingerentur et uulgarentur. Antiquiori enim aetate carmina raro auctorum nominibus inscribebantur neque poetae sui potissimum nominis gloriam in carminibus faciendis spectabant, neque frequens et uulgaris scriptionis usus erat; quibus de caussis auctorum personae, praesertim minus clarorum, magis magisque oblitescebant, ita ut earum memoria denique prorsus obscuraretur. Deinde uero quum litteratae aetatis docti homines de auctorum personis quaererent, factum est, ut nobili cuidam poetae, alicuius generis auctori, eiusdem generis opera adscriberent, uariis ducti rationibus saepe admodum miris, ipso probandi genere artis criticis nondum nidis egressae infantiam manifestantes. Potest etiam alia confusionis caussa cogitari, librorum collectoribus tribuenda. Nam si plura diuersorum auctorum, sed eiusdem generis, opera uno uolumine comprehendebantur, qua ratione Theogoniae Catalogus et Eoeae aut Opera alia didactici generis carmina uidentur subiuncta fuisse, facile poterat accidere, ut aut iam a primo collectore negligentia quadam auctorum singularum partium nomina non satis accurate consignarentur, aut codicibus laceratis plura carmina in unius formam coalescerent, id quod in nonnullis Aeschyli libris factum uidemus, ubi Agamemnonis inscriptio usque ad Coephororum finem continuatur. Praeterea fraude nonnulla carmina ad Hesiodum transferri potuisse quis neget? Quum enim antiquis temporibus difficile esset tales fraudes detegere uerosque auctores exquirere, neque omnino antiquitas talia magnopere

curaret, non mirum cuiquam uidebitur, si nonnulli suis operibus aliquam auctoritatem ita parare studebant, ut ea a claro aliquo auctore fingerent profecta esse aut pro uetustis uenditarent.

Deinde altera dubitatio mouetur Scuti conditione, quod carmen quum e duabus partibus diuersis ita compositum sit, ut initium Eoearum fragmentum contineat, deinde narratio pugnae inter Herculem et Cycnum commissae cum Scuti descriptione sequatur, hanc posteriorem partem alius auctoris esse atque priorem inter omnes fere constat. Sed Hesiodi nomen utraque fert. Putant igitur uiri docti diuersas partes ab Hesiodiae scholae poetis profectas esse. Iam uero ualde mirum est, quod posterioris partis auctor omnino non Hesiodum, sed Homerum est imitatus. Hanc rem iam antiqui senserunt grammatici, ueluti Aristophanes Byzantius in Argum. Scuti p. 91. Goettl. Cur igitur illius carminis pars non Homero tribuitur, ita ut de schola Homerica cogitetur? Atqui si duae diuersae scholae erant, praesertim inter se certantes, quomodo alterius poetae alterius principem imitari poterant? Quod si fecerunt, quomodo scholae nomen constare queat difficile est ad intelligendum.

Tertiam denique adde dubitationem, quae quamquam leuis uideri potest, non tamen est prorsus negligenda. Nam si Hesiodia schola maxime per Boeotiam florebat, exspectari potest eius memoriam apud Boeotos potissimum seruatam et carmina eius sectae pro Hesiodiis habita esse. Sed ipsi Boeoti praeter Opera Hesiodum quicquam carminum composuisse negabant teste Pausania IX, 31, 4. Quod iudicium antiqua fama niti uidetur; qua si etiam secta Hesiodia ferebatur, ita ut Hesiodi nomen pro schola poneretur, omnino illud iudicium de carminibus existere non poterat.

## § 6.

### De Operum et Theogoniae conditione.

Quum igitur argumentum illud e carminum Hesiodiorum multitudine ductum ita sit ambiguum, ut in utramque partem disputari queat, haec iam missum faciamus et ad aliud transeamus examinandum, quod Fr. Thierschius [a]) e superstitum carminum conditione deriuauit, in quibus diuersorum poetarum diuersis aetatibus uiuentium fragmenta inuenire sibi uisus est. Contra quam rationem primum hoc moneo, artem criticam in Hesiodi carminibus nondum eo prouectam esse, ut tuto nobis de eorum origine genuinaque forma iudicare liceat, neque eas partes satis exploratas esse quae poematum nexum uideantur interrumpere. Deinde uero etiamsi apparuerit, hodiernam carminum formam a natiua integritate esse alienissimam, tamen iure quaeritur, utrum Theogonia et Operibus diuersorum carminum farrago contineri, an, quae apta sententiarum conuenientia careant aut repugnantia quadam notabilia sint atque male in unius corporis complexionem coeant, posteriore aetate uariis modis addita et interpolata esse uideantur. Denique etiamsi illud, quod priore loco posui, demonstratum erit, id quod uix poterit fieri, tamen ne sic quidem omnem de schola aliqua dubitationem remotam esse concedimus, quippe quum nesciamus qua necessitudine illi poetae, quorum fragmenta in illis carminibus habeantur, coniuncti fuerint et a quo

---

a) Comment. Acad. Mon. 1813. p. 21. Auch dieser Ausweg wird uns verschlossen, wenn wir unsern Blick auf das Innere der Hesiodischen Gedichte wenden und in ihnen nicht die vollständigen Werke eines Mannes, sondern Bruchstücke verschiedener Sänger aus verschiedenen Zeitaltern erkennen, nicht unbedeutende Reste ehemals sehr mannichfaltiger und reichhaltiger Werke der epischen Poesie, wenn sich so die Aussicht über Hesiodus hinaus eröffnet und die Trümmer einer ganzen epischen Schule in Boeotien vor uns liegen.

collectio sit instituta. Sin uero hoc maiorem habet uerisimilitudinem, uariis posteriorum temporum additamentis et mutationibus pristinam carminum formam inquinatam esse, maiore etiam iure de scholae alicuius opera, in iis conspicua dubitare licet. Qui enim testari possumus omnes illas accessiones sectae cuiusdam studio continuo factas esse, eosque qui aut longiores partes aut paucos tantum singulosue uersus adderent, sodalitatis cuiusdam uinculo fuisse comprehensos? Potius, ut ait Nitzschius Melet. I. p. 125, interpolandi illam operam uerisimile est neque perpetuam fuisse neque omnino crebram, sed ab uno alteroue rhapsodo admissam et ita propagatam, ut alia exempla carminum locos insertos repeterent, alia minus.

## § 7.

### *De rebus quibusdam scholae opinioni obstantibus.*

Quodsi nec hoc argumento quicquam effici intelligitur, ab altera parte aliquot rationes inueniuntur, quae scholae opinioni uidentur repugnare. Nullum enim apud antiquos scriptores testimonium extat, quo illa opinio nunc uulgatissima nitatur. Homeridarum quidem nomen habemus, quo secta Homericum poesis genus colens et tractans significari uideatur: Hesiodidas uero quis unquam audiuit? At obiecerit quispiam extare similia testimonia, uelut Schol. Hom. Il. XVIII, 38. *οἱ περὶ Ἡσίοδον ἐντεῦθεν πλανηθέντες Νηρέως ἀνέγραψαν θυγατέρα καὶ Θέτιν.* Sextus Emp. adu. Math. p. 341. *ἔνθεν Ξενοφάνης διελέγχων τοὺς περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον.* Aristot. de Coel. III, 1. *μάλιστα μὲν οἱ περὶ Ἡσίοδον* (sc. *οὐδὲν ἀγέννητόν φασιν*). Metaph. II, c. 4. (p. 1000. Bekk.) *οἱ μὲν οὖν περὶ Ἡσίοδον καὶ πάντες ὅσοι θεόλογοι.* Quibus locis ne quis in posterum ita abutatur, ut scholae Hesiodiae indicium iis contineri dicat, omnino nullum ex iis argumentum recte peti posse moneo, quum *οἱ περὶ*

*τινα* locutio posterioris aetatis usu in eam significationem abierit, ut omnino a simplici nomine non differret (quae significatio apud scholiastam Homeri et Sextum Empiricum obtinet [a])), Aristoteliis autem locis ii designentur, qui Hesiodum in rebus mythologicis exponendis secuti sunt.

Praeterea autem si talis sectae siue, ut Goettlingius p. VI ait, familiae coniuncta opera extitisset, carmina Hesiodia sine dubio aliam formam accepissent, atque nunc ostendunt. Ex qua si coniecturam de eorum origine capere licet, hominis alicuius conatum nouum quoddam poesis genus condendi multo magis monstrant, quam artis diu et a magna poetarum eundem finem sequentium societate excultae perfectionem. Si autem commune aliquod studium atque consilium magnam poetarum multitudinem ad societatem quandam coniunxisset, quae inde ab antiquissimis temporibus florens et per plures aetates nouis aucta sociis semper ita se propagaret, ut posterius quodque genus a superiore institueretur et artis praecepta carminumque componendorum leges acciperet, ad altius praestantiae et perfectionis fastigium huius scholae ars et facultas coniunctis plurium studiis esset prouecta neque imperfectam illam argumentorum tractationem inueniremus, propter quam complurium poetarum reliquias in unum corpus consociatas esse existimauerunt.

Sed accedit etiam alia cogitatio, quae a schola Hesiodia nos reuocare uidetur. Si enim, quod omnes nunc concedunt, Hesiodia poesis maxime ad sacerdotes et rerum sacrarum ministros pertinebat, uates illi potius

a) Cf. Lehrs. in Zimmermanni Diurn. Antiq. litt. 1835. p. 453. — Apud Sextum nihil praeter Homeri et Hesiodi nomina significari apparet ex L. I. p. 57, ubi eandem rem sic refert: *Ὅμηρος δὲ καὶ Ἡσίοδος κατὰ τὸν Κολοφώνιον Ξενοφάνη ὡς πλεῖστα ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθέμιστα ἔργα*

*Κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.*

in templorum umbris delituisse, quam publico societatis uinculo uidentur copulati fuisse. Sic enim explicandum est, quod eorum personae obscuritate quadam premuntur omniumque praeter Hesiodum nomina ignorantur.

## § 8.

### *De personae Hesiodiae fide historica.*

Ex his rebus breuiter disputatis si istam de secta aliqua poetarum Hesiodum principem agnoscentium eiusque artem imitantium opinionem neque testimoniis firmari neque dubitandi rationibus carere apparet, multo etiam minus eorum sententia probabilis uidetur, qui Hesiodi gloria ex societate poetarum eum eponymum ferentium deriuata non contenti, ipsius personam nobis eripere et in totius aetatis notionem diffundere eiusque nomen ad artis significationem detorquere conantur; quemadmodum Goettlingius Praefat. p. XII ex Hesiodei nominis originatione dubitationem de eius persona mouit. Sic enim dicit: „fateor tamen me plus semel de Hesiodi „persona dubitasse, quum ipsa originatio nominis poetae „didacticum poesios genus aperte declaret; deriuandus „est enim Ἡσίοδος ab ἵημι et ὁδός, ut quasi ἡγεμὼν „ὁδοῦ uirtutis et scientiae i. e. parens philosophiae „esse uideatur; nam Ἡσίοδος est effictum ad analogiam „uocis τερψίνοος similium.“ (Cf. Welcker. ad Schwenckii librum, qui inscribitur „Etymolog. Mytholog. Andeut.“ p. 334. Leutsch de Theb. cycl. p. 18. N. 61). Sed si tale quid Hesiodi nomine significare uoluissent ueteres, non satis apto usi essent uocabulo. Desideratur enim uerbi ἡγεῖσθαι notio quae uerbo ἵημι inesse non uidetur. Neque prorsus simile est exemplum τερψίνοος. Nam τέρπειν νόον graece dicitur; sed dubito an nunquam ἱέναι ὁδὸν dictum sit, neque uideo quam notionem habere possit. (Cf. Nitzsch. Melet. II, 2. p. 7).

Sed sunt etiam aliae rationes, quibus admoneamur,

ne Hesiodi nomen ab hominis notione patiamur ad artis genus transferri. Primum enim Hesiodus ipse de se testimonia reliquit (Theog. 22—24. Op. 35 sq. 270 sqq. 633—40), quae ita comparata sunt, ut poetae personam quasi intueri uideamur. Deinde in Hesiodi multo minus quam in Homeri historia mythici inest. Fabulae ad eum pertinentes admodum exiguae sunt et quarum origo facile possit et non habita poesis ratione aut assumpta scholae notione explicari. Nulla de eius patria antiquae famae uarietas (nam quod ab aliis Ascraeus, ab aliis Cumaeus dicitur, id potius ex interpretatione uersuum quorundam Operum, quam ex antiquae memoriae discrepantia originem uidetur duxisse), nulla ciuitatum de carminum ei adscriptorum origine controuersia et contentio, nulla de eius itineribus memoria, quibus poesis migrationes uideri possint significari, nihil omnino earum fabularum, quibus Homeri historia et exornata est et implicata, ita ut multo facilius sit Hesiodiae quam Homericae sectae cogitationem refellere. Quodsi Hesiodi persona historicam quandam fidem testatamque memoriam habet, non sine aliqua temeritate ab iis agi intelligitur, qui poetae nomine, ne apto quidem ad eam rem, poesis genus significari uolunt; sed etiam iniuria est hominem optimum ex humano genere expulsum artium ordini inserere. Sed ut nomen concedamus fictum esse ad didacticae artis significationem, tamen ex ea re non sequitur etiam eius persona sectae alicuius consociationem designari. Quae societas eo minus uidetur statui posse, quod eius opera non solum non simplex, sed ne congrua quidem cum nomine fuit. Si enim Hesiodus ἡγεμὼν ὁδοῦ esset, ea secta intra poesis uere didacticae fines se continere debebat; neque intelligeretur, quomodo tot diuersi generis carmina eidem scholae adscribi potuissent, quorum maxima pars ab ea didacticae poesis forma, quae nomine indicata ad uirtutem et sapientiam uitaeque et morum emendationem

spectat, mirum quantum abhorret. Itaque ne etymologia quidem firmum argumentum praebet; omninoque uerendum est, ne etymologiarum lusus, in quo multi nunc studiosissime elaborant et acuminis laudem quaerunt, litteris perniciosior sit quam utilior.

Qua occasione data utar ad alias Hesiodii nominis etymologias afferendas, quae quam ineptae sint facile intelligitur, quanquam ueteres grammatici earum sunt auctores. Praemittam Lil. Gyraldi conatum (p. XIV. ap. Loesn. ed. Hes.): „Hesiodi igitur nomen a caste et pudice loquendo deductum uidetur *παρὰ τὸ ἵσιν ᾄδω.*" Putat igitur *Ἡσίοδος* esse pro *Ἡσιῳδός*. Ueterum autem uariae erant rationes. Audi Etymolog. M. p. 438, 20. *Ἡσίοδος, ὄνομα κύριον, ὁ τὴν αἰσίαν* [a]) *ὁδὸν πορευόμενος· Ἔργα γὰρ καὶ Ἡμέρας ἔγραψε πρὸς τὴν τοῦ βίου ἐργασίαν καὶ νομοθεσίαν, ἢ ὅτι ὁσίως ἐβάδισε· συνέτυχε γὰρ ταῖς Μούσαις καὶ οὐχ ὡς Θάμυρις διετέθη* (cf. Il. II, 595). *ὅθεν καὶ ποιητὴς ἄριστος. παρὰ τὸν ἥσω μέλλοντα καὶ τὸ ὁδός. τὰ γὰρ παρὰ μέλλοντα* (f. *μέλλοντας*) *συντιθέμενα τρέπει τὸ ω εἰς ι, μνήσω Μνησίθεος, στήσω Στησίχορος, οὕτως ἥσω Ἡσίοδος.* Similia, sed breuiora et hinc emendanda habet Et. Gud. p. 249, 49, unde dubito an pro *ὅτι ὁσίως ἐβάδισε* rescribendum sit in E. M. *ὅτι αἰσίως ἐβάδισε.* E simili fonte hausit grammaticus in Bachmanni Anecd. Gr. II. p. 445, 21. *Ἡσίοδος· Αἰσίαν ὁδὸν πορευόμενος.* Prorsus diuersam rationem iniit grammaticus in Crameri Anecd. Gr. IV. p. 273, 19 in epimerismis ex Herodiano, ut uidetur Cramero, depromptarum. *Ἡσίοδος γίνεται ἐκ τοῦ* [*ησις*] *ἧσις ἡ εὐφροσύνη καὶ τοῦ εἴδω τὸ γινώσκω. γίνεται ἡσιεῖδος, καὶ ἐκβολῇ τοῦ ι καὶ τροπῇ τοῦ ε εἰς ο Ἡσιόδος* (sic). Correxi locum, ita ut *ησις* eiicerem et post *γινώσκω* punctum ponerem. Similiter Proclus ad Op. u. 1. p. 22. Gaisf. *Ἡσίοδος*] *ἐκ τοῦ ἧσις*

a) Ad *τροπὴν τοῦ αι εἰς η* uidetur pertinere Aeolismus, quem notat in uoce *Ἡσίοδος* Etym. Gud.

(sic) ἡ εὐφρασύνη καὶ τοῦ εἴδω τὸ λέγω γίνεται Ἡσίοδος, ἐκβολῇ τοῦ ι καὶ τροπῇ τοῦ ε εἰς ο.

---

# Caput IV.

## De poetis Hesiodiis.

### § 1.

### *De carminum iis adscriptorum diuersitate.*

Ab hac digressione ad ipsam rem redeamus. Nam unum superest reiiciendum, quod cum scholae Hesiodiae rationibus est coniunctissimum. Nonnulli enim uiri docti, non contenti scholae ac principis notione, etiam asseclas et socios exquirere studuerunt. Uerum ea res uereor ne facilius etiam redargui possit, quum illud Hesiodios poetas inuestigandi studium e falsa profectum opinione omni fundamento iustaque ratione caruerit. Sed tamen quum et scholam et magistrum inuenisse sibi uiderentur, discipulorum etiam nomina erant inuestiganda. Atque circa Homeri carmina talis siue sectatorum siue aemulorum societas uersata esse, neque memoria eorum obscurata uidebatur. Creophylum Samium, Stasinum Cyprium, Arctinum Milesium, Leschem Lesbium, Agiam Troezenium, Eugammonem Cyrenaeum Homericae scholae addictos fuisse auctorisque rationem tenuisse existimabant. Itaque ipsa partium aequabilitas et symmetria quaedam flagitare uidebatur, ut etiam Hesiodo talis sectatorum sodalitas circumdaretur, ne magister nullos haberet discipulos. Iam uero quum auctores eorum carminum, quae a Theogoniae et Operum poeta facta non esse apparebat, tanta obscuritate premerentur, ut ne unius quidem nomen testatum haberetur (nam Cercopem quidam Homericum poetam esse

arbitrabantur: cf. Wuellner. de cycl. p. 50. Welcker. de cycl. p. 266 sq.), principia quaedam rationesque sibi fingebant, quas in constituendis Hesiodiae sectae sociis sequerentur; quarum altera ex artis genere, altera ex poetarum patriis petebatur. Cum enim schola Homerica Asiae oras insulasque occupasset, Hesiodia ipsius Graeciae finibus circumscribenda erat. Hae rationes in quos caderent, inuenti sunt Eumelus Corinthius, Cinaetho Lacedaemonius, Chersias Orchomenius, Carcinus Naupactius seu quisquis Naupactiorum auctor fuerit, et Asius Samius, (Cf. Leutschius de Theb. cycl. p. 18. N. 61). Qui poetae uereor ne inuiti in scholae societatem coeant, mortuique detrectent communionem, quam ne uiui quidem inierant. Quare uidendum est, num eos ex his uinculis liberare possimus; in qua quaestione largiamur talem sectam uere extitisse. Quaeritur igitur quo iure illos ad eam pertinuisse statuant. Atque ego quidem istas rationes sufficere nego. Nam ex artis similitudine argumentum propterea non licet petere, quod non ex sola principis alicuius imitatione et aemulatione posteriora opera antiquioribus similia proficisci solent; sed etiam ex iisdem uiuendi cogitandique rationibus per plures aetates efficacibus illa similitudo potest explicari. Deinde, id quod grauissimam dubitationem habet, illorum poetarum memoria ita comparata est, ut ex illorum carminibus ne unum quidem illam indolem referat, quam Goettlingius Hesiodi nomine significari existimat (ut ad uitae institutionem et uirtutis praecepta spectet).

Contra complura iis poemata adscribuntur, quae ad Homericae potius scholae, si ulla fuit, rationes uideantur accessisse.

Quod ut appareat iam breuiter illorum poetarum memoriam ita persequemur, ut de genealogiis nihil dicatur. In Eumeli nomen praeter Corinthiaca aliquot carmina sunt collata ab Hesiodiae artis forma, qualem

supra descripsimus, aliena, Titanomachia, Nosti, Europia; porro Bugonia, de qua nihil constat; etiam lyricis adnumerandus est propter ᾆσμα προςόδιον, quod Messeniorum gratia composuisse dicitur. Paus. IV, 4, 1; 33, 2. Cinaetho item complurium epopoeiarum auctor ferebatur, Oedipodiae, Heracleae, Iliadis paruae et Telegoniae. Asius etiam elegiacum genus coluit, ut ex Athenaeo III, p. 125 colligitur; de epicis poematis nihil scitur, nisi quod fragmentum ap. Athen. XII. p. 525. E. non e genealogico genere fuisse probabile est. De Chersia parum constat. De hoc igitur et Asio non est quod plura dicamus; sed de Eumelo et Cinaethone iam paullo accuratius exponendum uidetur.

Eumelo uidemus talia carmina adscribi, quae ab aliis scriptoribus ad cyclum et ad Homericos qui dicuntur poetas referuntur. Titanomachiae auctor dicitur a scholiasta Apollon. Rh. I, 1165, qui quum ad I, 554 e Gigantomachia sine poetae nomine citata aliquid de Chirone afferat, quod propter testimonium Clementis Alex. Strom. I. p. 360. Pott. (cf. Weichert. de Apoll. Rh. p. 199), ad Titanomachiam probabiliter referunt, altero loco de auctore uidetur dubitasse. Cuius dubitationis rationém cognoscimus ex Athen. VII. p. 277. D. *οἶδα ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἤ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος, ἐν δευτέρῳ οὕτως εἴρηκεν.* (Sequuntur duo uersus.) Cf. I, p. 83. ubi item Eumeli et Arctini memoria coniuncta est. Weichert. p. 197. Clemens Alexandrinus l. l. simpliciter *τὸν Τιτανομαχίαν γράψαντα* citat. De Europiae auctore, quae a scholiasta Il. *Z*, 131 et ab Eusebio Eumeli esse dicitur, dubitationem extitisse cognoscimus ex Pausania (IX, 5, 4, *ὁ τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας*) et Clemente Alex. (Strom. I, p. 349. *ὁ τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας*), quanquam alius poetae nomen ad nostram notitiam non peruenit. De Nostis haec tradidit schol. Pind. Ol. XIII, 31. *τοῦτο δὲ διὰ τὸν Εὔμηλ-*

*πον ὄντα Κορίνθιον καὶ γράψαντα νόστον τῶν Ἑλλήνων*, ubi Eumeli nomen summa cum probabilitate restituendum esse plures uiderunt (cf. Boeckh. praef. ad schol. Pind. p. XX. Weichert. p. 200. Welcker. de cycl. p. 274. Herm. de Mus. fluu. Epich. et Eum. Opusc. II. p. 299). A Pausania uero (I, 2, 1), Proclo et Clemente (VI, 2, 14. p. 264 Sylb.) Nosti Agiae (Augiae, Hagiae, Hegiae) Troezenio adscribuntur, a Suida Homero, ab Eustathio ad Od. p. 1796, 52 Colophonio cuidam; plerumque autem carmen sine auctore citatur. Apollod. II, 1, 4. Athen. VII. p. 281. B. Argum. ad Eurip. Med. I. p. 344. Matth. Schol. ad Aristoph. Equ. 1318. et ad Od. IV, 12. Paus. X, 28, 7; 29, 6; 30, 5. Cf. Welcker. p. 273—277. Mueller. de cycl. p. 126—132. Wuellner. p. 94.

Transimus ad Cinaethonem, Oedipodiae auctorem secundum marmor Borgianum (Heeren. in Bibl. Vett. Litt. et Artt. fasc. IV. p. 59). Sed non certa est hoc carmen eius posessio; nam a Pausania IX, 5, 11 sic affertur: *ὁ τὰ ἔπη ποιήσας, ἃ Οἰδιπόδια ὀνομάζουσιν*. Schol. ad Eur. Phoen. 1760 *οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράφοντες*. Telegoniam, quae Eusebio auctore Cinaethonis dicitur, alii Eugammoni Cyrenaico adscripserunt, inter quos est Proclus. De Heraclea (Schol. ad Apoll. Rh. I, 1357), si uera est Welckeri suspicio, Oechaliae Halosin idem carmen fuisse, cum Homero et Creophylo certat. Cf. Wuellner. p. 53. Welcker. p. 233. 248. Ilias parua ei ab Hellanico (grammatico) adiudicabatur (Schol. Eur. Troad. 822); sed plures hoc carmen sibi uindicant: Lesches (Mitylenaeus apud Proclum et Pausaniam, Pyrrhaeus in Tabula Iliaca), Homerus ipse (Ps. Herod. Vit. Hom. c. 16. et Suidas), Diodorus Erythraeus et Thestorides Phocaeensis (Schol. Vat. Eur. Troad. l. l.). Etiam Creophylus additur, quanquam dubia Welckeri p. 228 coniectura. Alii, ut Aristoteles Poet. c. 22, Pausanias III, 26, 7, Schol. ad Aristoph. Equ. 1053, Clem. Alexan-

drianus I. p. 381. Pott., auctoris nomen non addiderunt. Cf. Wuellner. p. 88. Mueller. p. 102.

Haec, quae breuiter exposui, si una cogitatione comprehendimus et reliqua epicorum carminum exempla, quae ad rem nostram non pertinentia praetermisi, assumimus, pauca tantum poemata epica inueniemus, quorum auctores tam certi fuerint, ut non etiam alii cuidam adscriberentur. Atque multo etiam latius eam rem olim patuisse multasque eiusmodi notitias temporum iniquitate nobis ereptas esse, facile est ad credendum. Nam quam manca sit atque tenuis nostra de antiqua poesi Graecorum epica cognitio, quippe quae magnam partem grammaticorum scholiastarumque fortuitis mentionibus nitatur, nemo harum litterarum peritus ignorat. Praeter illos Athenaeus et Pausanias grauissimi auctores sunt. At quot optimorum grammaticorum commentarii ad litterarum historiam pertinentes interierunt! Quanquam igitur nostra illius rei cognoscendae conditio est iniquissima, hoc tamen suspicari licet, uariorum auctorum unius eiusdemque poematis numerum longe maiorem fuisse, quam nunc scimus. Quae res quum satis mira sit, admoneri uidemur, ut caussas exquiramus, quibus factum sit, ut de singulorum carminum auctoribus tanta existeret dubitatio et controuersia. Atque si accurate antiquitatis memoriam perlustramus, hoc facile intelligimus, auctorum controuersiam maxime urbium gentiumque aemulatione niti. Etenim quum carmen aliquod laudem esset consecutum, ueri auctoris memoria obscurata, plures gentes et ciuitates ad se eius originem transferre studebant. Sic Cypria uidemus a Doricae et Ionicae gentis urbibus, quae fuerunt Cypri, uindicari, quarum altera Stasinum, altera Hegesinum auctorem ferebat. Cf. praeter Welckerum Ahrensium in Iahnii Annal. Phil. et Paed. 1830. XIII, 2. p. 167 sq. Plura exempla eius rei afferre meum nunc non est. Putamus igitur, si plures unius eiusdemque poematis

auctores citantur, eam diuersitatem non ex grammaticorum coniecturis, sed ex urbium gentiumque studiis ac contentionibus profectam esse. Nam hoc quidem non uidetur accidisse, ut plures eiusdem gentis aut urbis ciues unius carminis poetae dicerentur; sed eadem urbs plura saepe carmina sibi uindicabat. Sic Milesii praeter ea poemata, quae Arctini sine controuersia habentur, et Titanomachiam sibi arrogauerunt et Naupactiorum originem ad se transtulerunt et Aegimium suum dixerunt, (Athen. VII. p. 277. D. Paus. X, 38, 11. Athen. XI, 503). Hoc etiam a Lacedaemoniis et Corinthiis factum putamus; apud quos quum Cinaetho et Eumelus maximam epicam laudem essent consecuti, his potissimum carmina, quibus ita utebantur, ut ueri auctoris memoria esset oblitterata, adscripserunt. Itaque si Cinaetho Iliadis paruae, Telegoniae et Oedipodiae auctor dicebatur, hanc famam Lacedaemoniorum ambitione niti existimamus; Eumelum uero a Corinthiis Titanomachiae, quam Milesii suo Arctino tribuebant, Nostorum et Europiae poetam arbitramur dictum esse; ita ut non mirum sit alios eorum sententiae repugnasse et Pausaniam omnia haec poemata Eumelo abiudicasse (IV, 4, 1).

## § 2.

### *Parerga quaedam.*

Quae si uere disputata sunt, habemus quod admonitiones quasdam subiungamus. Primum enim hac obseruatione eorum suspicio confirmatur, qui scholiis Pindaricis Eumeli nomen pro Eumolpo reponendum putauerunt; neque quicquam ualere Ulricii (I, p. 407. cf. 422. N. 171) et Muelleri (de cyclo p. 127. N. 52) dubitationes intelligimus. Cum Ulricio autem de ignoto quodam Eumolpo Nostorum auctore cogitari uetat totius notationis ratio; nam quum Pindarus Corinthum propter poesis studium laudasset, scholiasta nobilissimum eius

urbis poetam nominare debebat. Deinde admonemur, ne apud Hieronymum (Eus. Chron. Ol. V. Cinaethon, Lacedaemonius poeta, qui Telegoniam scripsit, agnoscebatur) aliud carmen substituendum putemus. De qua re uarias uirorum doctorum opiniones infra exposui. Porro cauendum est, ne hanc Telegoniam, quae Cinaethoni tribuitur, a cyclica diuersam arbitremur, in qua opinione Wuellnerus p. 96 esse uidetur, neque dubitare debebat C. G. Muellerus p. 136. Neque eorum sententiam probabilem esse duco, qui, quae Cinaethoni tribuitur Telegonia, eam postea ab Eugammone retractatam esse opinantur et sic illius discrepantiae originem explicuisse sibi uidentur.

Eadem quae de Telegonia dixi in Iliadem paruam cadunt; quam si quis (ut Leutschius l. l., qui etiam in carminis nomine errat) Cinaethoni falso adscribi simpliciter contendit, omnino quaestionis uim et naturam perspexisse aut sensisse non uidetur. Etenim hoc agitur, ut communem carminum epicorum conditionem consideremus et singularum gentium illa sibi uindicantium iura examinemus. Atque si propterea, quod plures scriptores aliquod carmen certo cuidam poetae adscribant, hunc pro uero auctore habemus, uidendum est, ne hoc nimis studiose faciamus; neque reliqui poetae, de eiusdem carminis possessione certantes, tam simpliciter sunt reiiciendi. Difficillimum quidem est in ea qua laboramus testimoniorum inopia et tenuitate uerum auctorem inuestigare; sed hoc tamen tenere debemus, ignorationem potius profitendam, quam has quaestiones tam leuiter instituendas esse, ut si cui poetae a tribus uel quattuor scriptoribus, aliis autem ab uno tantum alteroue carmen quoddam tribuitur, illi potius principatum concedendum esse opinemur. Nam etiamsi dicimus, Cinaethoni a Lacedaemoniis, Leschae a Lesbiis, Thestoridae a Phocaeensibus Iliadem paruam, aut Eumelo a Corinthiis, Agiae a Troezeniis, Colophonio a

suis ciuibus Nostos esse datos, hoc maxime quaeritur, quae gens potiori iure usa fuerit; quod tam simpliciter diiudicari nequit. Demonstrabo hoc alio exemplo. Quum omnes fere recentiores Cinaethoni Iliadem paruam et Telegoniam abiudicarent, nemo ei Oedipodiam eripere conatus est. Cur? quia casu accidit, ut praeter hunc nulli certo poetae hoc carmen tribuatur, sed tantum ὁ ποιήσας et οἱ γράφοντες laudentur. Iam uero ii uehementer errare mihi uidentur, qui antiquis etiam temporibus Cinaethonem in hac re sine aemulo fuisse sibi persuadeant. Et profecto non maiore iure huius carminis, quam illorum auctor exhibetur. Quod ut facilius intelligatur, pauca de formulis illis citandi (ὁ ποιήσας, ὁ γράψας, οἱ συγγράψαντες, οἱ ποιηταί et sim.) monebo.

Has locutiones nonnulli ita interpretantur, quasi illi, qui iis usi sunt, neminem auctorem afferri significauerint. Plurali autem designari quidam existimant, aut complurium poetarum coniuncta opera unum carmen factum esse aut plures in eadem re elaborasse. Sic Wuellner. p. 94 plura poemata epica Nostorum nomine insignita extitisse putat. Cf. Welcker. p. 276 sq. Quarum opinionum nulla est ab omni parte uera, sed illud potius intelligimus, scriptores, quum illa citandi ratione uterentur, significare uoluisse plures eiusdem carminis afferri auctores eosque pari probabilitate. Iam quum neminem pro certo ponere possent, controuersiam uero breuitatis caussa explicare nollent, scripserunt illud ὁ ποιήσας aut simile quid. Accuratiores autem scriptores illa quidem formula utebantur, sed breuiter etiam significabant, quomodo intelligi eam uellent. Uera nos de hac re monuisse concedet qui cum simplicibus illis testimoniis talia testimonia comparauerit, qualia haec sunt: Athen. VII, 277. D. ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος. VIII, 344. B. ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη, εἴτε Κύπριός τίς ἐστιν ἢ Στασῖνος, ἢ ὅστις δήποτε

*χαίρει-ὀνομαζόμενος* (cf. XV, 682. E.). XI. p. 503. D. *καὶ ὁ τὸν Αἰγίμιον δὲ ποιήσας, εἴθ' Ἡσίοδός ἐστιν ἢ Κέρκωψ ὁ Μιλήσιος.* Schol. Vat. Eur. Troad. 822. *τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι, ὃν οἱ μὲν Θεστορίδην Φωκαέα φασίν, οἱ δὲ Κιναίθωνα τὸν Λακεδαιμόνιον, ὡς Ἑλλάνικος, οἱ δὲ Διόδωρον Ἐρυθραῖον.*

Similis erat in Chirone Comoedia controuersia. Athen. VIII. p. 364. A. *ὑπὸ τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος, εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν, εἴτε Νικόμαχος ὁ ῥυθμικὸς ἢ ὅστις δήποτε.* Cf. IX, 368. B.; 388. F.; XIV, 653, ubi habes breuiorem citandi rationem.

Si igitur *ὁ ποιήσας* dicitur, non incertus quidam poeta, ut uulgo loquuntur, laudatur, sed inter plures certos controuersiam esse indicatur. Itaque Oedipodiam quoque olim aliis praeter Cinaethonem adscriptam fuisse credimus, quam famae discrepantiam quum dirimere nollent Pausanias et scholiasta Euripideus, posuerunt illa *ὁ ποιήσας* et *οἱ γράφοντες*, non, quo nullum auctorem ferri aut plures in eo carmine componendo elaborasse significarent, sed ut plures poetas nominari declararent [a]). Qui igitur Oedipodiam maiore cum iure ad Cinaethonem referri existimant, pariter errare uidentur, atque ii, qui Europiam existiment Eumelo sine ulla dubitatione attribui posse.

---

a) De praesenti *γράφοντες* non mala est coniectura Wuellneri p. 58, *γραφόντας* scribendum esse, ita ut sit aoristi 2. forma. Sed nescio an ita sit explicandum: ii, qui scripsisse *nunc feruntur*; quam sententiam non satis accurate per praesens uerbi scribendi expresserunt. Quanquam obstant talia *Ἀριστοτέλης, γράφων τὴν Ὀρχομενίων πολιτείαν.* — Unum uidetur addendum esse. Non nunquam sane concedimus ei, qui *ὁ ποιήσας* et similia scribebat, nullum certi poetae nomen cognitum fuisse. Hoc cadere uidetur in Pausaniam, Eoeas semper ita citanti: *ὁ ποιήσας, ὁ συνθεὶς, τὰ ἔπη λέγει, ἃ ὀνομάζουσιν Ἠοίας* et sim. — Nam illius carminis nemo praeter Hesiodum, cui a Pausania siue suam siue grammatici alicuius sententiam secuto abiudicabatur, antiqua memoria ferebatur auctor.

## § 3.

### *De illorum poetarum cum cyclo coniunctione.*

Sed de his rebus quasi ἐν παρέργῳ satis disputatum esto. Iam exponendum est, quid utilitatis e superiore disputatione ad eam quam nunc agimus quaestionem redundet. Uidimus Eumelo et Cinaethoni talia carmina adscribi, quae ex Homerica schola deriuari solent, Titanomachiam, Nostos, Iliadem paruam, Telegoniam. Quare nihil caussae erit, cur Europiam et Oedipodiam in cyclo fuisse negemus, quanquam Welckerus, qui p. 37 Oedipodiam concedit, Europiam excludit p. 40, Muellerus uero Oedipodiam prorsus neglexit. Neque Welckero repugnabimus acriter, qui p. 233, 248 Heracleam Cinaethonis et carmen de Oechalia capta, quod Homero et Creophylo tribuitur, non diuersa fuisse suspicatus est; quae coniectura eo probabilior est quod Creophyli poema a Pausania IV, 2, 2 Heraclea dicitur. Welcker. p. 232. Iam uero si Cinaethoni et Eumelo carmina, quae cyclica fuisse constat, adscribebantur, cyclus uero, ut existimant (certe totus Welckeri liber hanc sententiam persequitur; cf. etiam Wuellner. p. 38), ex Homericorum poetarum operibus compositus erat, non uideo quomodo Lacedaemonius et Corinthius poeta Hesiodiae sectae adnumerari possint. At dicat aliquis, falso his illa carmina tribui. Concedimus; sed quum id iam ab ipsorum ciuitatibus antiquo tempore factum esse intellexerimus, ab ipsa antiquitate nullum scholarum discrimen agnosci apparet. Si quis autem illud scholarum institutum tenere uult, nullo modo unum eundemque poetam utrique sectae simul adscribere debebit; qua re ipsa sectarum notio tollitur; neque intelligitur, quid sibi omnino uelit scholarum cogitatio, nisi altera ab altera certis quibusdam finibus separata erat et utraque certos poetas suos habebat.

## § 4.

### De eorum patriis et cum Hesiodo nexu.

Si igitur eam rationem, quae ex artis similitudine ducitur, nihil ualere ad sectarum opinionem confirmandam recte disputauimus, iam de altera ad poetarum patriam pertinente quaerendum est, qua item nihil efficitur. Nam, id quod cautos nos reddere debet, parum adhuc de Hesiodiae poesis per Graeciam propagatione constat, neque quisquam eam rem pertractare cogitauit. Sed est ea quaestio propter testimoniorum inopiam difficillima, in qua magnopere cauendum est, ne fabulis quibusdam par fides atque certissimis testimoniis habeatur, id quod in illud ex sepulcris argumentum cadit. Quare antequam huic rationi aliquid tribuamus, quaesitum esse oportet, primum, quo tempore Hesiodiae poesis notitia ad quamque Graeciae ciuitatem peruenerit, deinde utrum in singulis urbibus publicum in festis diebus certaminibusque solemnibus usum habuerit, an intra priuatam uitae instituendae utilitatem constiterit. Quae quaestiones nisi absolutae erunt, non poterit ex poetarum patriis coniectura de eorum cum Hesiodo coniunctione fieri. Uerum quum illae res incertae sint, tamen ea, quae scimus, ab ista nos reuocant opinione. Hesiodiam poesin Boeoticam uulgo ita dicunt, ut sectam eam maxime in Boeotia floruisse existiment. Sed mirum quod praeter Hesiodum et ignobilem Chersiam neminem nouimus Boeotum, qui Hesiodiae sectae socius uideri queat; nam de poematum Hesiodiorum patriis non ita constat, ut pleraque sine dubitatione possimus referre ad Boeotiam. Addunt Euboeam et Phocidem, quanquam de Hesiodiae poesis in his terris usu et flore nihil traditum est praeter fabulosum certamen Chalcidense. Uolunt etiam Locrensium genti Hesiodiorum carminum tum notitiam tum imitationem adscribere, primum propter carmina Naupactia ad Eoearum, ut opinantur similitu-

dinem expressa (quanquam utrum opus antiquius fuerit, nescitur), deinde propter Locrensium de Hesiodi morte fabulas. His regionibus aliqua certe cum probabilitate Hesiodia poesis tribui possit; sed quomodo Corinthum, quomodo Lacedaemonem addere liceat, non intelligo, quum nulla illarum de Hesiodo fabularum ad has terras pertineat. Atque si propter diuersam de Homeri patria famam uariaque eius per Asiae oras et insulas itinera in iis sedibus, ubi aut natus ferebatur aut commoratus esse, Homericam sectam non sine aliqua ratione statuunt, Hesiodus neque a Lacedaemoniis neque a Corinthiis pro ciue habitus est, neque illas regiones adiisse aut carmen ibi fecisse traditur. Asius autem Samius eo minus in hanc societatem adduci debebat, quod Samii potius Homericae poesi operam dedisse creduntur. Welcker. p. 222 sq. Nos quidem minime negamus in eadem urbe aut regione plura poesis genera florere potuisse; sed hoc tantum agimus, ut ex patria poetarum argumentum peti non posse demonstremus.

Non magis aut cognationis uinculo aut hospitalitatis necessitudine aut magistri nomine Ascraeus cum quoquam eorum, qui Hesiodii dicuntur, antiqua fama coniunctus est. Si igitur uiri docti ex eo, quod Arctinus Homeri discipulus fuisse (Welcker. p. 211), Creophylus eum hospitio excepisse uel adeo instituisse (p. 222 sq.), Stasinus eius filiam uxorem duxisse et Cypria carmina ab eo accepisse (p. 301) dicuntur, et quae sunt aliae eiusmodi fabulae, iure de schola aliqua Homerica coniecturam facere sibi uidebantur, ii qui Hesiodiam defendent, nihil simile poterunt afferre. Neque ullum carmen extat, de quo cum Hesiodo quisquam illorum poetarum certet; atque hi ipsi ita suam possessionem tenent, ut Hesiodus ne unum quidem carmen iis adscriptorum arrogare sibi possit. Hoc autem eo magis mirum est, quod quum de Naupactiorum auctore con-

trouersia esset, nemo tamen id carmen Hesiodium dixit, quanquam eius poetae memoria Naupactiorum fabulis ferebatur. Praeterea eo, quod etiam Milesiorum ciuitas huius poematis originem uindicabat, illud efficitur, diuersa poesis genera non certis sedibus circumscripta et separata fuisse. Nam etiamsi concedimus, Charonem, quem sequitur Pausanias X, 38, 11, recte indicasse, tamen Milesii tale carmen suum dicere non poterant, nisi etiam in ea regione similia poemata facta essent. Sed utcunque hoc se habet, Milesiorum auctoritate ualde eorum opinio labefactatur, qui Naupactia Hesiodiae scholae carmen fuisse opinantur, quum non perspiciatur, quomodo Milesii Hesiodiam poesin, si sedibus erat ab Homerica seiuncta, sibi adscribere potuerint.

Ex altera autem parte multa poemata, quae Homericae scholae adscribuntur, ad eas regiones referuntur, in quibus Hesiodia poesis (i. e. didacticum et genealogicum genus) floruisse creditur. Nam si Welckerus p. 41 dicit, cyclicorum, i. e. Homericorum, poetarum neminem praeter Agiam et Hegesinum, Atthidis auctorem, uideri ad ipsam Graeciam iure referendum esse, primum illud miramur, quod ab Agia Nostos et ab Arctino Titanomachiam potius quam ab Eumelo composita putat; deinde quod Cinaethonem, cui nonnulla cyclica poemata a quibusdam tribuebantur ex Lacedaemonio Chium fecit neque diuersum a Cynaetho rhapsodo habet; quae opinio quam improbabilis sit, uix est quod dicam. Praeterea autem de Thebaidis, Epigonorum, Alcmaeonidis, Minyadis, Europiae, Danaidis patriis minime ita constat, ut non liceat suspicari, nonnulla horum poematum in Boeotia aut aliis Hesiodiae sectae sedibus composita esse. Uerum ea res quum longiorem requirat disputationem, quam hoc loco institui potest, hoc monuisse sufficiat, poetarum patriis in hac re non magnum tribui posse comprobandi momentum.

## §. 6.

### *Auctoris de schola Hesiodia iudicium.*

Postquam omnia, quae mihi contra uulgarem de schola Hesiodia opinionem dicenda uidebantur, ita exposui, ut singula argumenta examinarem et ostenderem, ea nihil momenti inesse, restat, ut breuiter dicatur, quid superioris disputationis effecisse mihi uidear, et quid ueri illam opinionem habere putem. Scholae nomen cum audimus, praeceptoris et discipulorum cogitationem et societatis cuiusdam animo concipimus. Quam notionem si uiri docti cum scholae nomine coniungunt, Hesiodiam scholam nullo modo agnoscimus, utpote non satis firmis rationibus et argumentis demonstratam. Quomodo autem sectae uocabulum uoluerint intelligi, nemo eorum, qui illo utuntur, perspicue explicuit. Itaque qui Hesiodiam scholam defendere uolent, iis ante omnia id agendum erit, ut uocabuli notionem interpretentur. Plurimi autem eo sic uidentur uti, ut Hesiodiam poesin, profectam e sacerdotali illo Thracum genere artis, quod heroica aetate in tranquillos Parnassi, Heliconis et Cithaeronis lucos se receperant, et post Troiana tempora noua incrementa capientem continua poetarum serie usque ad ea tempora, quibus Hesiodus et artis formam excoluit et generis auctoritatem firmauit, propagatam esse existiment, a quo nouus poetarum ordo deinceps ita originem deriuauerit, ut artis legibus et praeceptis per plures aetates traditis illum et principem agnoscerent et inter se coniuncti eandem poesis formam tenerent assiduoque studio per uarias Graeciae regiones diuulgarent. Talem opinionem negamus ueram esse; certe nulla argumentorum necessitate ad eam amplectendam cogimur. Nam quod ad antiquiorem aetatem et ad illam Hesiodiae poesis cum Orphica coniunctionem attinet, de ea in tanta rei obscuritate praestat nihil dicere, quam temere hariolari.

Posterioribus autem temporibus societatis alicuius poetarum uno nomine comprehensorum et idem consilium sequentium nullum prorsus uestigium extat. Imitatos esse multos postea eam poesis formam, quae a claro aliquo poeta non dico inuenta, sed exculta et ad artis perfectionem prouecta populi studia tenebat et publico fauore fruebatur, et rationi consentaneum est et e reliquiarum comparatione colligitur. Concedimus etiam poetae gloriam aliorum studia excitasse ad idem consequendum; concedimus Hesiodi memoriam eorum opera et auctam esse et propagatam; sed societatem fuisse non concedimus. Maxime autem contra eos pugnamus, qui Hesiodiae sectae uestigia in Locrensium, Corinthiorum, Lacedaemoniorum poesi epica deprehendere sibi uisi sunt, in qua nec imitationis Hesiodiae certa documenta comparent nec poetarum cum Hesiodi nomine ulla coniunctio tradita est. Quare ita tantum scholae siue sectae Hesiodiae nomen tenere licebit, ut ad generum discrimina notanda adhibeatur, de quibus quid sentiremus supra dictum est. Atque hanc putamus illius opinionis laudem esse, quod ea factum est, ut epicorum generum differentiae et clarius perspicerentur et exponerentur accuratius.

# COMMENTATIONUM

## PARS POSTERIOR SPECIALIS.

# LIBER I.

## De carminibus Hesiodi deperditis singulatim disputatur.

## Prooemium.

*Carminum Hesiodiorum index.*

Numerum carminum Hesiodo adscriptorum significauit Proclus ad Hes. p. 7. Gaisf. ed. Oxon., quem exscripsit Tzetza p. 16: *Συνεγράψατο δὲ ὁ τοιοῦτος Ἡσίοδος βίβλους ἑκκαίδεκα, Ὅμηρος δὲ ὁ παλαιὸς ιγ* [a]). Sed nomina omnium sedecim carminum nemo ueterum exhibuit, et Proclus quidem praeter *Ἔργα καὶ Ἡμέρας* quattuor tantum affert: *Ἀσπίδα, Θεογονίαν, Ἡρωογονίαν, Γυναικῶν κατάλογον.* Pariter imperfectus est apud Suidam Hesiodiorum carminum index: *Ποιήματα δὲ αὐτοῦ ταῦτα· Θεογονία, Ἔργα καὶ Ἡμέραι, Ἀσπίς, Γυναικῶν κατάλογος ἐν βιβλίοις ε', Ἐπικήδειος εἰς βάτραχόν τινα ἐρώμενον αὐτοῦ, περὶ Ἰδαίων δακτύλων, καὶ ἄλλα πολλά.* Sed longe grauius est Pausaniae testimonium IX, 31, 4 et 5: *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένῃ δόξῃ λέγουσιν, ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιήσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα· καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἔριδας λέγοντες· καί μοι μόλυβδον ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγή, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένον· ἐγγέγραπται δὲ αὐτῷ τὰ Ἔργα. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα κεχωρισμένη τῆς προτέρας, ὡς πολύν τινα ἐπῶν ὁ Ἡσίοδος ἀριθμὸν ποιήσειεν· ἐς γυναῖκάς τε ᾀδόμενα καὶ ἃς μεγάλας*

a) Homericorum carminum nomina a Proclo significatorum leguntur in Tzetza versibus apud Fabricium B. G. I, p. 375 H. cf. Welcker. de cycl. p. 412. N. 622.

*ἐπονομάζουσιν* *'Ηοίας*, *καὶ Θεόγονίαν τε καὶ ἐς τὸν μάντιν Μελάμποδα· καὶ ὡς Θησεὺς εἰς τὸν ᾅδην ὁμοῦ. Πειρίϑῳ καταβαίη· παραίνεσίς τε* (*παραινέσεις τε* Pors.) *Χείρωνος ἐπὶ διδασκαλίᾳ δὴ τῇ Ἀχιλλέως καὶ ὅσα ἐπὶ ἔργοις τε καὶ ἡμέραις. οἱ δὲ αὐτοὶ λέγουσιν καὶ ὡς μαντικὴν Ἡσίοδος διδαχϑείη παρὰ Ἀκαρνάνων· καὶ ἔστιν ἔπη μαντικά, ὁπόσα τε ἐπελεξάμεϑα καὶ ἡμεῖς καὶ ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν.* Praeterea etiam alia carmina, a Proclo, Suida et Pausania praetermissa, Hesiodo tribuuntur, ueluti *Αἰγίμιος* (Steph. Byz. u. *Ἀβαντίς*), *Ἀστρὸνομία* siue *ἀστρικὴ βίβλος* (Athen. Schol. Arat., Tzetza, Plut., Plinius), *Κήυκος γάμος* (Schol. Apoll. Rhod., Athen.), *Ἐπιϑαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν* (Tzetza), carmen bucolicum (Fulgent.).

Haec omnia si numeramus, multitudo nominum a Proclo positum numerum ita excedit, ut differentiae caussae facile possint excogitari. Aut enim nonnulla illorum carminum partes tantum aliorum erant, aut Proclus unum alterumue Hesiodo abiudicabat, aut omnino cognitum non habebat. Sed haec quum de singulis carminibus incerta sint, Procli index nullo modo restitui potest. Neque uidetur Proclus omnia illa carmina ante oculos habuisse, sed numerum illum ex antiquioris grammatici libro deriuasse, forte ex Callimachi opere, quod *Πίναξ τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν* inscribebatur.

Ceterum in carminibus Hesiodo adscriptis facile duo genera distingui possunt, quae in Pausaniae testimonio significata uidentur, ita ut alterum a uerbis *παραινέσεις τε* incipiat. Horum generum alterum argumenti uere didactici, alterum mythologici est; secundum quam partitionem iam Hesiodiorum carminum indicem exhibebo.

A. Mythologicum genus.

I. *Θεογονία*
II. *Κατάλογος* } (*Ἡρωογονία. Ἡρωικὴ γενεαλογία. Ἡρωινῶν γυναικῶν κατάλογος.*)
III. *Ἠοῖαι μεγάλαι*

IV. Ἀσπὶς Ἡρακλέους, V. Κήυκος γάμος, VI. Ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν — Haec fortasse ad Eoeas pertinebant.

VII. Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασις. (Incerta est inscriptionis forma).

VIII. Αἰγίμιος.

IX. Μελαμποδία.

X. Περὶ Ἰδαίων Δακτύλων.

B. Didacticum genus:

XI. Ἔργα καὶ Ἡμέραι

XII. Ὀρνιθομαντεία, XIII. Ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν — Ἔπη μαντικά

(XI–XIV: Ἔργα μεγάλα?)

XIV. Χείρωνος ὑποθῆκαι

XV. Ἐπικήδειος εἰς βάτραχον.

XVI. Ἀστρονομία.

Habes sedecim carmina, a Proclo fortasse significata. Dubium est, quot carmina genealogica numerauerit Proclus, aut is quem secutus est. Singulos libros numeratos esse, ita ut Catalogus quinque, Aegimius minimum duo, Melampodia tres aut plures numeros expleret, credi uix potest. Nam si eodem modo in Homericis carminibus numerandis egissent, Ilias et Odyssea duodequinquaginta βιβλία effecissent; et tamen tredecim tantummodo Homero tribuuntur. Eoeas autem Proclus praetermittit, et genealogicis carminibus Ἡρωογονίαν et Κατάλογον nomina attribuit. Sed sunt etiam aliae dubitationes, quibus admoneamur, ne indicem Proclium a nobis restitutum credamus. Hoc uero maiore cum fiducia pronuntiari potest, aliquot aliorum nominum, quae praeter illa in carminum Hesiodiorum indicibus poni solent, nullam habendam esse rationem, ueluti Γῆς περιόδου, θείων λόγων, Κεραμέων, Φοινικικῶν, ὕμνων, quae aut corruptis aut male intellectis testimoniis nituntur.

De omnibus his carminibus et inscriptionibus iam paullo accuratius commentabimur.

## A. De genealogici siue mythologici generis carminibus.

## Caput I.

### De extrema Theogoniae parte eiusque cum Catalogo aut Eoeis coniunctione.

### § 1.

*Uirorum doctorum sententiae.*

Theogoniam ipsam a nostris disputationibus quanquam seclusimus, tamen de extrema eius parte, qua inde a uersu 963 heroum aliquot origines e dearum uirorumque mortalium congressu prognatorum exponuntur, accurate dicendum est, propterea quod ea pars omnibus fere uiris doctis, qui de hac re scripserunt, non ad Theogoniam ipsam pertinere, sed diuersa genealogicorum carminum fragmenta est uisa comprehendere. Quare operae pretium erit huius iudicii argumenta accuratius considerare, atque quam uim habeant et momentum expendere. Quod antequam fieri possit, singulorum opiniones proferendae sunt. Et Wolfius quidem ad Theog. v. 987. p. 140 sententiam suam, e qua plurimi nunc pendent, his uerbis significauit: „hanc extremam partem carminis conflatam puto ex aliis poetae carminibus, nominatim ex illo catalogo, recisis fortasse multis quae uberius ibi tractata erant.“ Heynius apud Wolfium p. 158 haec scripsit: „A v. 963 noui carminis initium fieri putandum est. Sequebatur nunc ἡρωογονία, quae complectebatur primum natos ex deabus, quae cum mortalibus congressae erant usque ad uersum 1019; tum prognatos e mulieribus mortalibus, quae cum diis erant congressae. Haec altera pars

interiit, nisi pars eius superent, Clypeus Herculis." Wolfium et Heynium probant Thierschius de Hes. p. 29 Not. Creuzerus Epp. ad Herm. p. 223. Hermannus ep. ad Creuz. de Myth. tract. p. 123. Leutschius in Ephem. Litt. Hal. 1831. N. 188. p. 221. Lehmannus ad fr. Hes. p. 11 sq. Ulricius Hist. ep. poes. Gr. p. 362 sq. Et Creuzerus quidem atque Vossius Epist. Myth. I, p. 102. Antisymb. I p. 299 etiam de Eoeis cogitant. Ab horum omnium sententia discedit Muetzelli disputatio (De emendat. Theog. Hes. p. 503 sq.), cuius haec fere summa est. Tria fuisse praeter Theogoniam statuit Hesiodi e genealogico genere carmina; unum de dearum et uirorum mortalium amoribus, alterum de mulierum mortalium cum diis congressu; ab his diuersas fuisse Eoeas uel Catalogum; duo priora carmina etiam Heroogoniam dici, in corpore carminum Hesiodiorum post Theogoniam posita et in quibusdam libris una inscriptione insignita fuisse. Sed postea omnem carminis ambitum deturpatum esse, et non solum ea, quibus deorum e mortalibus feminis proles celebrata fuisset, interiisse, sed etiam proximam partem grauiter mutilatam esse.

## § 2.

### *Extrema Theogoniae pars non pertinuit ad Catalogum aut Eoeas.*

Habes grauissimorum uirorum doctorum sententias quanta potui fide expositas, quibus nostram iudicationem subiiciemus. Ac primum quidem Wolfius eo uidetur errare, quod e *Καταλόγου γυναικῶν* fragmentis extremam Theogoniae partem constare arbitratur. Hoc enim carmen f e m i n a r u m illustrium recensum, neque uero d e a r u m, continuisse, et inscriptio ostendit et fragmenta confirmant, in quibus ne unum quidem inuenias, quo deae alicuius amores et progenies celebrentur. Idem cadit in Eoeas, de quibus eo minus cogitari

debebat, quod ei carmini solemnis erat transitus formula ἢ οἵη, cuius in hac Theogoniae parte nullum omnino uestigium superest. Uide Muetzellium p. 503. Sed omnino concedi nequit, ex aliorum carminum fragmentis Theogoniae exitum compositum esse. Difficile est enim ad intelligendum, a quo, qua de caussa et quomodo illa conglutinatio facta sit. Nam duo tantum modi cogitari possunt, quibus hoc acciderit, quorum alter in casu positus, alter ex hominis alicuius opera ac studio repetendus uidetur. Iam ut primum de casu dicam, in codice illo cui Theogoniam debemus, huic reliqua Hesiodi genealogica carmina adnexa fuisse aliquis credat; quo libro in fine mutilato reliquisque partibus deperditis euenerit, ut nonnulli uersus diuersis antiqui libri locis extantes retinerentur et postea nescio a quo collecta in ordinem redigerentur. At profecto credibile non est, casum ita lusisse, ut non solum omnes uersus integri superessent, sed etiam singulae genealogiae nihil damni acciperent, neque quidquam ad sententiarum integritatem aut plenam uerborum structuram desideraretur. At dicat aliquis extremam Theogoniae partem ex aliorum scriptorum testimoniis congestam et cum ipso carmine ita coniunctam esse, ut unius carminis species efficeretur. At mirum esset, in aliorum scriptorum libris omnes hos uersus citatos fuisse, quorum nunc uix unus et alter reperitur. Atque illud dubitationem aliquam mouet, quod non reliqua quoque fragmenta eadem ratione collecta habemus.

## § 3.

### *De testimoniorum ui et auctoritate.*

Sed extant, inquiunt, ueterum scriptorum testimonia, quibus efficitur illos uersus olim non in Theogonia, sed in aliis carminibus lectos fuisse. Quae sunt ista testimonia? Audiamus testes et examinemus. Wolfius ad u. 987 nescire se ait, an suspicio sua

confirmetur Pausaniae loco I, 3, 1: — καὶ φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον, ὃν κάλλιστον γενόμενόν φασιν ὑπὸ Ἡμέρας ἐρασθείσης ἁρπασθῆναι καὶ οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα· καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ. ταῦτα ἄλλοι τε καὶ Ἡσίοδος εἴρηκεν ἐν ἔπεσι τοῖς ἐς τὰς γυναῖκας. Haec uerba ad Theog. u. 985 sqq. spectare cum Wolfio existimauerunt Heynius ad Apollod. Tom. II. p. 324 (ed. II). Muetzellius p. 507, Ulricius p. 368 et ex iis coniecturam ceperunt, „quos hodie in Theogonia legimus de Phaethonte uersus, a Pausania in diuerso eiusdem poetae carmine fuisse repertos." Sed si Pausaniae testimonium cum Hesiodi uersibus comparamus, primum Phaethontis matrem in Theogonia Ἠῶ, apud Pausaniam Ἡμέραν dici uidemus; deinde Cephalo pulcritudinis laudem tribuit Pausanias, quae apud Hesiodum potius ad Phaethontem pertinet; tum in Theogoniae uersibus Uenus, apud Pausaniam mater ipsa Phaethontem templi custodem constituit, nisi apud hunc Cephalus sacerdos fit, id quod mihi quidem uerisimilius uidetur. Wolfii autem coniectura, ὃν καὶ ἡ Ἀφροδίτη φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ scribendum esse, quam emendationem iam Staueren. Misc. Obs. Uol. X, 2. p. 363 proposuerat, non maiorem probabilitatem habet, quam Heynii suspicio, καὶ φύλακα — ναοῦ uerba ab interpolatore, cui Hesiodi carmen in animo haeserit, addita esse existimantis. Accedit quarta differentia in eo posita, quod Hesiodus Phaethontem raptum esse narrat, Pausanias Cephalum. Denique illud non negligendum est, quod carmen de dearum et uirorum amoribus non apte poterat uerbis ἔπη τὰ ἐς τὰς γυναῖκας significari. Quae quum ita sint, Muetzellii de hoc loco disputationem minus probo, quam Goettlingii sententiam, qui Pausaniae testimonium ad Catalogum mulierum refert. At id Muetzellius ait probari non posse; in illo enim carmine Phaethontem Clymenes et Solis filium fuisse. In qua sententia duplex uidetur error esse. Primum enim Hesiodus Phaethontem non

Solis et Clymenes, sed Clymeni et Meropes filium dixerat, ut ad fragm. CLXXXIV. docuimus, deinde haec genealogia probabilius ad Astronomiam, quam ad Catalogum refertur, ad quem quo iure dixerit pertinere eam uir doctissimus, prorsus non intelligo.

Haec si recte disputata sunt, e Pausaniae uerbis argumentum peti nullo pacto potest. Sed Lehmannus p. 12. Wolfii coniecturam ait uersibus quibusdam a Laur. Lydo conseruatis maxime confirmari. Latinos et Graecos appellari dicit ἀπὸ Λατίνου καὶ Γραίκου τῶν ἀδελφῶν, ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν καταλόγοις·

Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον,
Κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος
Πανδώρη Διὶ πατρὶ, θεῶν σημάντορι πάντων,
Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι τέκε Γραῖκον μενεχάρμην.

Iam si hos uersus examinemus Lydique uerba consideramus, diuersam in Catalogis de Latino fabulam expositam fuisse intelligimus. In illo enim carmine Latinus et Graecus Iouis et Pandorae filii perhibebantur; at Theog. u. 1011 sq. Latinus est Ulixis e Circe filius. Tantum igitur abest ut illud testimonium Wolfii suspicionem confirmet, ut contra eam pugnet quam maxime. Sed quum uerba Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον (quae Schowius non recte ita posuit, ut hexametri finem faciant) a Lydo e Catalogis citari uideantur, et tamen in nostra carminis parte extent, hoc argumento Lehmannus usus uidetur, ut a Lydo ea in Catalogo inuenta fuisse comprobaret. Quare accuratius de illo testimonio quaerendum uidetur. Ac statim diligenter consideranti illud perspicuum est, inter uerba Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον et tres qui additi sunt uersus nullum aut orationis aut sententiae uinculum interesse (cf. Mueller. Etrusc. I, p. 189), ita ut e diuersis laciniis conflatum esse appareat fragmentum. Praeterea quum Lydus uersus illos propterea afferat, ut Latinum et Graecum fratres fuisse comprobet, hoc autem iis minime efficiatur, nemo

dubitabit testimonium mancum mutilatumque dicere, quod quomodo emendandum sit, quaeri potest. Atque Creuzerus quidem ep. ad Herm. p. 222 rem in incerto relinquit, dubitans an Lydi testimonium ad Theogoniam spectet; Goettlingius autem ad Th. u. 1013 p. 86 sic corrigendum censet: τῶν ἀδελφῶν, ὥς φησιν Ἡσίοδος· Γραῖκόν τ' ἠδὲ Λατῖνον (quam emendationem etiam Theogoniae uersui adhibendam existimat). His in margine adiectum esse: ἐν Καταλόγοις· Κούρῃ δ' ἐν κτλ.; quae uerba post in textum recepta ineptum occupauerint locum. Sed quominus Lydi tempore in Hesiodi codicibus Γραῖκόν τ' scriptum fuisse putemus, prohibet schol. ad Apollon. Rhod. III, 200 (cf. Eustath. ad Od. p. 1796), neque idonea emendationis caussa adest, quum alia eaque probabiliore ratione difficultas remoueri posse uideatur. Multo enim uerisimilius est Lydum sic scripsisse: ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν Καταλόγοις· Κούρῃ — μενεχάρμην, quibus aliquis, qui diuersam fabulam in Theogonia narrari meminerat, in margine adscripsit Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον, quae uerba post in contextum admissa testimonii integritatem corruperunt. Cf. Herm. Opusc. VI, 1, p. 193. Lydus autem tribus illis Catalogi uersibus quartum addidisse uidetur, quo Latini mentio fiebat. Num uero ille recte a Muetzellio sit sic restitutus:

μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι τέκε Γραῖκον μενεχάρμην,
ἄγριον, ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε,

ualde incertum est, neque ego crediderim propterea, quod Catalogi auctorem, quum diuersam de Latino fabulam narraret, non credibile est uersu Theogoniae ita usurum fuisse, ut uocabuli ἄγριον longe alia esset ratio. (Uide adn. ad fr. V).

Postquam etiam Lydi testimonium aduersariis extorsimus, unus superest Seruii locus ad Virg. Aen. XII, 164: „Ut etiam in septimo diximus, Latinus secundum Hesiodum in Ἀσπιδοποιΐᾳ Ulyssis et Circes filius fuit."

Cui multum tribuere uidetur Leutschius Ephem. Hal. l. l. p. 221. Sed quum praeter Scutum Herculis nullum sit carmen, quod Seruiano uocabulo Ἀσπιδοποΐα significatum esse possit, ab hoc autem Ulixeae fabulae memoriam alienam esse appareat, nulla est dubitatio, quin nomen illud corruptum sit, cuius corruptelae caussam Muetzellius p. 508 probabiliter ostendit. Quare Leutschius l. l. et Creuzerus frustra contra Clericum [ad Theog. u. 1011] disputare censendi sunt. Burmannus „in Θεογονίᾳ" edidit. Sed Seruiano testimonio aliqua fides eo possit accedere, quod Felicianus antiqui commentatoris ad Aristot. Eth. Nic. III. p. 43 uerba ἐν ταῖς μεγάλαις ἐν αἷς (fr. CLI) sic reddidit: „Quod uerbum apud Hesiodum quoque in hac significatione usurpatur cum in Scuti fabrica Alcmenam etc." In qua interpretatione iudicanda non consentio cum Gaisfordo, qui in suo codice Felicianum diuersam scripturam inuenisse existimat ad fr. 43. Potius eandem corruptelam ab eo repertam fuisse credo, cuius cum emendationem circumspiceret, meminerat Aspidis Hesiodiae, in quo carmine Herculis laudes celebrantur. Itaque etiam illud fragmentum ad idem poema pertinuisse statuebat. U. Goettl. ad fr. 96.

## §. 4.
## *De Catalogi differentia.*

Haec fere sunt testimonia, quibus uiri docti ad illam opinionem comprobandam usi sunt. Quae si recte tractauimus, tantum abest, ut iis efficiatur, quod efficere uoluerunt uiri docti, ut comprobent in catalogis diuersas fabulas fuisse enarratas et illud carmen diuersum ab hac Theogoniae parte fuisse. Idem efficitur Iasonis fabula, quae in Catalogis aliter, atque in his Theogoniae uersibus (992 sq.) exposita erat. Cf. fr. XXII — XXIV. Etiam Achillis genealogia in catalogis copiosius enarrabatur (cf. fr. LXXXIXXIV sqq.), quam Theog.

u. 1006 sq. fieri uidemus. Ad illud carmen spectare uidentur Gellii uerba III, 11: „*Accius in primo didascalicon leuibus admodum argumentis utitur, per quae ostendit Hesiodum natu priorem: quod Homerus (inquit) quum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus non addidit, quam rem procul dubio (inquit) dixisset, nisi ab Hesiodo iam dictum uideretur.*“ Quod testimonium ad Theogoniae uersus referre non debebat Muetzellius p. 507, in quibus non magis quam in Iliadis uersu primo, Peleus quis esset, dictum est.

Itaque quum maximam fere fabularum partem, quae Theog. 969 — 1018 continentur, in Catalogis aliter expositam esse manifestum paene sit, nemo iam de Wolfii coniectura tuenda cogitabit. Quare non miror Muetzellium, quanquam non omnibus momentis accurate perpensis, eam repudiasse, qui quae ipse disputauit, quum ne uno quidem argumento aut testimonio confirmauerit, ita dicta sunt, ut assensionem aut persuasionem in legentium animis efficiant nullam et in sola opinione posita esse uideantur. Uidetur autem uir doctus propterea quoque extremam partem a carmine abiudicasse, quod nullum horum uersuum ab antiquo scriptore ad Theogoniam referri existimaret, quae ratio etiam Soetbeerium mouit, ut Theogoniam uersu 962 clauderet. Sed scholiasta Apollon. Rhod. III, 200 luculentissimo testimonio u. 1011 — 1013 e Theogonia laudat: *Ἡσίοδος δέ φησιν ἐν τῇ Θεογονίᾳ τὴν Κίρκην τοῦ Ἡλίου θυγατέρα εἶναι ἐν τοῖςδε τοῖς ἔπεσιν· Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ κτλ.* Accedit Pindari scholiasta ad Pyth. IV, 18: *ἐπεὶ καὶ Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ ἀθάνατον Μήδειάν φησι,* quae non ad u. 960, ubi nihil de Medeae immortalitate dicitur, ut Boeckhio ad l. l. et Muetzellio p. 502 uisum est, sed ad u. 992 sqq. pertinent, ubi Medea in earum numero ponitur, quae

θνητοῖσι παρ' ἀνδράσιν εὐνηθεῖσαι
ἀθάναται γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.

Sed his testimoniis abuteretur, si quis hos uersus ab ipso Theogoniae poeta additos esse iis efficere uellet. Nam quanquam Klausenius (Mus. Rhen. III, 3. p. 448) eos cum carminis consilio apte coniunctos esse e prooemio ostendere studuit, tamen propter ipsius prooemii dubiam conditionem eius disputatio pluribus partibus artificiosior quam uerior nullam persuadendi necessitatem habet. Concedi quidem potest non abhorrere hanc Theogoniae partem ab ipsius carminis consilio et posse ab ipso Theogoniae auctore additam esse, sed necessaria ratione cum Theogonia coniunctam esse uix effici poterit. Qua de re quomodo perpensis omnibus rationibus atque momentis statuamus, breuiter iam deinceps exponemus.

## § 5.

### *De illa parte quid statuendum sit, exponitur.*

Superiore disputatione hoc effecisse nobis uidemur, ut eorum opiniones, qui e diuersis Hesiodi carminibus extremos Theogoniae uersus conflatos esse arbitrantur, nullo pacto probabiles esse appareat. E qua re sequitur neque de Catalogi neque de Eoearum fragmentis huc comportatis cogitari posse. Muetzellii uero sententiam quamuis scite excogitatam nullo argumento firmari uidimus. Repugnat autem ei, quod u. 963 sqq. nullam continent noui carminis incipientis significationem. Quis enim poematis alicuius initium ab his uersibus faciat?

Ὑμεῖς μὲν νῦν χαίρετ' Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

Ab altera autem parte transitus, qui hoc et proximis fit uersibus ita comparatus est, ut non uideatur unius carminis eiusque talis, quod in deorum originibus explicandis uersetur, partes coniungere. Nam illud χαίρετε indicio uidetur esse, ipsius Theogoniae argumentum iam

relinqui. Quare ita existimo, hanc ultimam carminis partem a posteriore quodam poeta Theogoniae additam esse, quum etiam eorum, qui deorum dearumue et hominum mortalium congressu nati essent, mentionem ad Theogoniae integritatem necessariam duceret. Posterioris certe aetatis indicium contineri uidetur Latini memoria Tyrrhenorum regis. Nostra coniectura si probabilis est, fortasse teneri possunt u. 979—983, quos inde a Clerico omnes pro spuriis habuerunt, quippe natos e u. 287 sqq. Nam quae praeter apertam imitationem prolata sunt argumenta ad eorum fidem labefactandam, ea uix uidentur sufficere. Wolfius quidem Graece dici posse *ἐν φιλότητι Ἀφροδίτης* negauit adnotatione a Goettlingio repetita, ita ut hic uideatur consentire. Ad quod argumentum refutandum sufficiat admonuisse de Eoearum fragmento in schol. Pind. IV, 35 (fr. CXLV [53 Goettl.] u. 3). Goettlingius autem *παῖδα βροτῶν κάρτιστον ἁπάντων* ineptum esse dixit, quum Geryoneus non minus fuisset deus quam Typhoeus. Sed hoc fortasse defendi poterit, si meminerimus secundum Hesiodum u. 276 sq. Geryonei patrem, Chrysaorem, e Medusa, mortali femina, procreatum fuisse; Geryoneum uero ipsum etiam u. 289 ab Hercule interfectum perhiberi. *Βροτῶν* uero hoc loco nihil significat, nisi mortalium unum fuisse Geryoneum (cf. Schol. ad Theog. u. 142). Quod autem Muetzellius hos uersus ex parte licentius compositos dicit, hoc qua in re cernatur, non intelligo, nisi et ipse Wolfiano argumento cessit aut in *βοῶν* uocabuli contractione offendit, quanquam Theogoniae auctor *θεῶν* u. 44 et Homerus Il. X, 373 *ἐΰξοον* contrahere ausi sunt. Immo potius hi ipsi uersus argumento esse possunt, nostram de tota hac Theogoniae parte coniecturam ueri aliquid habere. Nam Theogoniae auctorem minime haec eiusdem rei repetitio decebat. Poetam autem recentiorem nonnulla ex ipsa Theogonia imitatione expressisse non mirum

uidetur. Poetae autem alicuius studio, non librariorum culpae, hos uersus (979 sqq.) deberi facile intelliget, qui eorum a u. 287 sqq. diuersitatem consideranerit et animaduerterit, eos ad totius huius partis rationem accommodatos esse. Loco enim priore Chrysaoris mentio est primaria, hoc autem deae nomen prae coniuge effertur, quoniam hoc maxime agit poeta, ut dearum exhibeat catalogum.

## § 6.

### *De ultimis quattuor Theogoniae uersibus.*

Superest, ut de postremis quattuor Theogoniae uersibus dicatur, quos Goettlingius a poeta aliquo additos esse credit, qui transitum ad heroinarum catalogum pararet; Muetzellius autem pro singularis carminis de deorum feminarumque mortalium amoribus initio habet. De qua re antequam quid nobis uideatur exponamus, de eorum interpretatione dicendum est. Sic autem uerba νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε intelligenda esse existimamus, ut eae feminae significari putentur, quae cum diis immortalibus concubuerint, id quod ipsa rerum apto ordine narrandi ratio docet. Atque miror Wolfii iudicium (ad u. 1020) uerba γυναικῶν φῦλον ad mulieres mortales ab heroibus coniugio habitas referentis, auctore, ut uidetur, Heynio in Comment. de Theog. ab Hes. condita p. 153. Not. b, quem postea aliter iudicasse ex iis apparet, quae ad Wolfium scripta in huius editione p. 158 extant. Nobiscum consentit Muetzellius p. 503, dissentit Lehmannus p. 12. Suspicamur igitur, si nostra Theogoniae exemplaria in fine manca sunt, sic fere poetam perrexisse:

ὅσσαι ὑπ' ἀθανάτοισι θεοῖς φιλότητι καὶ εὐνῇ
δμηθεῖσαι γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.

Atque sane fieri poterat, ut idem, qui praecedentes uersus addiderat, etiam earum mulierum, quae cum

diis concubuerant, recensum subiungeret, eumque diuersum ab eo carmine, quod uulgo *Γυναικῶν κατάλογος* appellatur. Nam ab his uersibus catalogum heroinarum illum celeberrimum incepisse propterea non credibile est, quod hoc carmine, ut proximo capite demonstrabimus, argumentum a Theogonia alienum tractabatur, extremi autem Theogoniae uersus ita comparati sunt, ut ab iis noui carminis initium fieri nullo modo potuerit. Omnino autem difficillimum est parumque fructuosum de illorum uersuum consilio accuratius quaerere, quum ne hoc quidem pro certo affirmare liceat, aliquam carminis partem, quae deorum et mulierum amores continebat, intercidisse. Nam si reputamus eam rem non potuisse tam breui carmine absolui, quam dearum est recensus, et idem argumentum notissimo illo *γυναικῶν καταλόγῳ* tractatum fuisse, dubitatio subnasci potest, an idem poeta, qui dearum recensum Theogoniae addiderat, nihil praeterea ad huius ambitum amplificandum contulerit. Quanquam ne dubitandi quidem iusta est ratio. Quare quum omnia de horum uersuum usu incerta sint, id uidetur confidentius negari posse, quod Goettlingius praef. XXVI pro certo posuit, a u. 1021 Eoearum initium fuisse factum. Quis enim poeta integrum aliquod carmen, quod prooemio suo et Musarum inuocatione carere uix poterat, sic inciperet:

Ἀλλὰ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε κτλ.

Neque ex eo huic quaestioni ulla lux affertur, quod postremi illi uersus a nonnullis codicibus absunt. Cf. Bandin. Catal. II, p. 95. 142, Gaisf. Poet. min. II, p. 132. Append. ad Vol. I, p. XI, Muetzell. p. 215. 241. Goettl. ad u. 1019.

# Caput II.

## De Catalogo et Eoeis.

### § 1.

### *De Catalogi nominibus.*

Quorum carminum caussa antecedens disputationis caput praemisimus, de his ipsis iam quaestio est instituenda. Haec autem carmina mortalium feminarum cum diis et heroibus congressus heroumque inde pregnatorum stirpes celebrabant, id quod tum e multis fragmentis apparet, tum e carminum inscriptionibus colligi potest, tum ueterum scriptorum testimoniis confirmatur. De quibus rebus deinceps exponendum est, ita quidem, ut a scriptorum testimoniis fiat initium. Maximus Tyrius Diss. XXXII, 4 Homerum dicit poesin non diuisisse, ita ut in singulos singula carmina pangeret, sed omnes aequabiliter comprehendisse; aliter uero rem instituisse Hesiodum, qui *χωρὶς μὲν τῶν ἡρώων, ἀπὸ γυναικῶν ἀρχόμενος, καταλέγει τὰ γένη, ὅστις ἐξ ἧς ἔφυ· χωρὶς δὲ αὐτῷ πεποίηνται οἱ θεῖοι λόγοι, ἅμα τοῖς λόγοις Θεογονία· χωρὶς δ' αὖ ὠφελεῖ τὰ εἰς τὸν βίον, ἔργα τε ἃ δραστέον καὶ ἡμέρας ἐν αἷς δραστέον.* Dio Chrysostomus Or. de Regno II (T. I. p. 77. Rsk.). *Οὐ μέντοι Ἡσίοδος δοκεῖ μοι οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοεῖν τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν, ὅσον ἐλείπετο Ὁμήρου. Πῶς λέγεις; Ὅτι ἐκείνου περὶ τῶν ἡρώων ποιήσαντος αὐτὸς ἐποίησε γυναικῶν κατάλογον καὶ τῷ ὄντι γυναικωνῖτιν ὕμνησε, παραχωρήσας Ὁμήρῳ τοὺς ἄνδρας ἐπαινέσαι.* Hunc respicit Eustathius ad Hom. Il. p. 745, 50 (643 Bas.) ——— *Ἡσίοδον, ὃς Ὁμήρου, καθά τις παλαιὸς ἔφη, τὸν ἡρωικὸν ἀνδρῶνα σεμνύναντος, αὐτὸς ἐν τῷ τῶν ἡρωΐδων καταλόγῳ τῆς γυναικωνίτιδος ποιητὴς γέγονεν* Id. ad Od. λ. p. 1680, 30 (429) *Πάνυ δεξιῶς ὁ ποιητὴς τὴν ῥαψῳδίαν ταύτην ἡρώων ἅμα καὶ ἡρωΐδων πεποίηκε κατάλογον,*

*Ἡσιόδου μόνον γυναικῶν ποιησαμένου κατάλογον.* Ex his testimoniis apparet errasse Valesium ad Harpocrat. p. 77 (T. II. p. 400. ed. Lips. 1824), qui praeter feminarum etiam uirorum catalogum ab Hesiodo scriptum esse opinatur, et hoc carmen a Schol. ad Hom. Il. 13, 336 significari putat. Cf. Vales. Emendatt. Addend. p. 222, Langbaen. ad Longin. περὶ ὕψους p. 56. ed. Toll. Eadem carmina respexit Lucianus T. V. p. 259 διηγουμένου σοῦ τὸν πολὺν, ὡς καὶ παρ' Ἡσιόδῳ, κατάλογον ὧν ἀρχῆθεν ἠράσθης. Sed uerbis ἔτι δὲ γυναικῶν ἀρετάς (disp. c. Hes. Tom. VIII. p. 147) Op. 700 sq., non mulierum catalogum, ut Lehmannus p. 9 arbitratur, significari, totius loci Lucianei ratio docet. Addi possunt corrupta Maximi Tyrii uerba Diss. XXIV, 9: Ἡσιόδῳ δὲ ᾀδίδουσιν αἱ Μοῦσαι τί ἄλλο ἢ γυναικῶν ἔρωτας καὶ ἀνδρῶν καὶ ποταμῶν ἔρωτας καὶ βασιλέων καὶ φυτῶν, quorum certa emendatio non in promptu est; hariolari autem non uacat. In his igitur carminibus mulierum mortalium connubia partim cum deis (Menander rhet. p. 628. Ald. Tom. IX. p. 268 Walz. πολλὰ δὲ καὶ αὐτῷ (Ἡσιόδῳ) ἐν τοῖς καταλόγοις γυναικῶν περὶ θεῶν συνουσίας καὶ γάμου) partim cum heroibus (Seru. ad Uirg. Aen. VII, 268: *Hesiodus etiam* περὶ γυναικῶν *inducit multas heroidas optasse nuptias uirorum fortium*) instituta canebantur.

Iam plures tituli inueniuntur, ad haec carmina pertinentes, ueluti ἔπη ἐς τὰς γυναῖκας siue τὰ ἐς τὰς γυναῖκας ᾀδόμενα (Paus. I, 3, 1. IX, 31, 5), περὶ γυναικῶν (Seruius l. l.), κατάλογος γυναικῶν (Paus. I, 43, 1. Schol. Uen. Il. Ξ, 200. Od. α, 98. Paus. III, 24, 7, ubi Hesiodi nomen deest; Diomedes gramm. p. 480 Putsch. Proclus et Tzetz. ad Hes. p. 9 et 19 Gaisf.), γυναικῶν ἡρωινῶν Κατάλογος ἐν βιβλίοις ε' (Suidas u. Ἡσίοδος), Κατάλογος simpliciter (Strabo I, p. 42 Cas. Eustath. ad Od. p. 1484, 65. ad Il. p. 13, 44. Phauor. Ecl. p. 361, 9. Schol. ad Scut. p. 92 Goettl.),

*Κατάλογοι* (Schol. Il. β, 336, Laur. Lyd. I, c. 4. Proclus ad Hes. p. 4 Gsf.). Catalogi siue Catalogorum plures libri citantur; primus a Schol. Apoll. III, 1086, Eud. p. 108. Steph. Byz. u. *Γερηνία* (*Ἡσίοδος ἐν πρώτῳ Καταλόγων*); secundus ab Herodiano *περὶ μον. λέξ.* p. 18 (*παρ' Ἡσιόδῳ ἐν δευτέρῳ*); tertius ab eodem p. 42, 12, Apollon. Dysc. p. 125 A. *Ἡσίοδος ἐν τρίτῳ*), Schol. Apoll. Rhod. II, 181 (*ἐν δὲ τῷ γ' καταλόγῳ*. Par. *τῶν καταλόγων*, ut Eud. p. 415), Harpocrat. u. *Μακροκέφαλοι* (*Ἡσίοδος ἐν τρίτῳ γυναικῶν καταλόγῳ*), Harp. Suid. et Phot. u. *Ὑπὸ γῆν οἰκ.* (*ἐν γ' καταλόγου*); quartus in Argumento Scut. Herc. p. 92 Goettl. (*ἐν τῷ δ' καταλόγῳ*. Cod. Rhed. *ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν Καταλόγων*). *Κατάλογοι* plurali numero carmen utrum propter plures libros, in quos diuisum erat, an singularum gentium, quae singulis partibus tractabantur, ratione habita dictum sit, dubitari potest. Posterius tamen mihi magis placet propter duo testimonia, quorum uno (Schol. ad Hes. Theog. 142) *Λευκιππίδων* (non *Λευκιππιδῶν*) *κατάλογος* citatur, altero Eustathius ad Od. p. 1746, 19 dicit Herodianum uocabuli *κνέος* usum attulisse *ἐκ τοῦ παρὰ Ἡσιόδῳ καταλόγου περὶ τῶν Προιτίδων*, ita ut citetur ὁ *παρὰ Ἡσιόδῳ περὶ τῶν Προιτίδων κατάλογος*. Nouam sibi fecit inscriptionem Proclus ad Hes. p. 4 (Gaisf.), *ἡρωϊκὴν γενεαλογίαν*, qua usus est etiam Tzetza, Exeg. Il. p. 126 et ad Lycophr. 176. 284. 393 Hesiodum *ἐν τῇ ἡρωϊκῇ γενεαλογίᾳ* laudans, quam citandi rationem non antiquiorum scriptorum auctoritate traditam, sed ab ipso Proclo fictam esse, ex eo colligi potest, quod ea nemo praeter illum eiusque sectatorem est usus. Neque tamen infelix fuit grammaticus in nouo titulo fingendo. Quum enim eo carmine et mulieres et heroes ex iis prognati canerentur, plerumque autem matrum ratio potior haberetur, pari iure ex iis, in quorum originibus argumentum uersabatur, carminis nomen deriuari poterat. Egregie hoc confirmatur Maximi Tyrii uerbis: *χωρὶς μὲν*

*τῶν ἡρώων, ἀπὸ γυναικῶν ἀρχόμενος, καταλέγει τὰ γένη, ὅστις ἐξ ἧς ἔφυ*, quibus, quum non recte intelligeret, male usus est Ulricius p. 364, iniuria Heinrichium Prol. ad Scut. Herc. p. LIII uituperans. Simile nomen eiusdem carminis uideri potest *Ἡρωογονία* apud eundem Proclum ad Hesiodum p. 9, l. 8 (Gaisf.), quo auctore usus est Tzetza p. 19, 19. Sed Lehmanno p. 11 hoc titulo ea Theogoniae pars, de qua antecedente capite disputauimus, significari uisa est. Et habet sane ea coniectura quo commendetur. Primum enim hoc nomen Theogoniae et mulierum Catalogo interposuit Proclus; deinde a Catalogo discernere uidetur, ita ut non credibile uideri possit eum idem opus bis diuerso nomine ennumerasse. Sed si meminerimus eum p. 4 sic srcibere: *μετὰ τὴν ἡρωϊκὴν γενεαλογίαν καὶ τοὺς καταλόγους κτλ.*, et si reputauerimus, non uerisimile esse, Procli aetate illam Theogoniae partem propriam habuisse inscriptionem, profecto non dubitabimus Leutschio (Ephem. Hal. 1831 p. 221) assentire illam coniecturam reiicienti. Adhibuit igitur Proclus duo nomina ad idem carmen significandum, alterum ab antiquitate traditum, alterum, ut carminis argumentum accuratius designaret, a se fictum.

Omnibus his nominibus unum carmen significari admodum uerisimile est; e quorum discrepantia si quis concludere uelit, non certam aliquam carmini inscriptionem fuisse, uereor ne nimium huic rei tribuat. Nam longe frequentissimum est (*γυναικῶν*) *Κατάλογος* siue *Κατάλογοι*, reliqua autem, ut quodque aptissimum uidebatur, e carminis natura ficta uidentur. Sic etiam Theogoniam antiqui auctores nonnunquam aliis nominibus citauerunt, usi quibusdam sermonis ambagibus aut e carminis forma argumentoque petitis, aut cum rerum tractatione coniunctis. Talia sunt *γενεαλογία, θεῶν γενεαλογία, κατάλογος Θεογονίας*, aut Hesiodus inter theologos refertur, et *περὶ θεῶν* et *θεῶν γένεσιν* scripsisse

dicitur. Quarum rerum testimonia collegit Muetzellius p. 355 sq.

## § 2.

### *De Eoearum et Catalogi diuersitate.*

Sed iam aliud uocabulum accedit, de quo difficilior et impeditior est quaestio, *Ἠοῖαι* siue *Ἠοῖαι μεγάλαι*. Quod nomen utrum et ipsum ad Catalogi significationem adhibitum fuerit, an diuersum carmen designauerit, magna etiamnum est inter uiros doctos dissensio et controuersia. Quare non inutile neque a meo consilio alienum duxi, totam quaestionem de integro suscipere, licet noui quid inuenturum me non sperarem. Sed rem ordine exponam. Ac testimonia quidem ueterum scriptorum ad hanc rem pertinentia inter se discrepare et pugnare uidentur, ita ut neque ii, qui unum carmen fuisse statuunt, neque qui Eoeas a Catalogo diuersas putant, testimoniorum auctoritate destituti sint. Nam qui diuersa illis nominibus carmina existimant significari, his possunt auctoribus uti: Schol. ad Apoll. Rhod. II, 181: *Πεπηρῶσθαι δὲ Φινέα φησὶν Ἡσίοδος, ἐν μεγάλαις Ἠοίαις, ὅτι Φρίξῳ τὴν [εἰς Σκυθίαν] ὁδὸν ἐμήνυσεν· ἐν δὲ τῷ γ' καταλόγῳ* (*τῶν Καταλόγων* P.), *ἐπειδὴ τὸν μακρὸν χρόνον τῆς ὄψεως προέκρινεν.* ad IV, 57: *Τὸν δὲ Ἐνδυμίωνα Ἡσίοδος μὲν Ἀεθλίου τοῦ Διὸς καὶ Καλύκης παῖδα λέγει, παρὰ Διὸς εἰληφότα δῶρον, αὐτὸν μὲν ταμίαν εἶναι θανάτου. — — — ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις λέγεται τὸν Ἐνδυμίωνα ἀνενεχθῆναι ὑπὸ Διὸς εἰς οὐρανόν κτλ.* Ubi quae primo loco posita sunt ex Catalogo petita esse, facile est ad suspicandum. Schol. ad Scut. Herc. p. 92 Goettl. *Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ γ' φησὶν αὐτοῦ εἶναι τὴν Ἀσπίδα ἔκ τε τοῦ χαρακτῆρος καὶ ἐκ τοῦ τὸν Ἰόλαον ἐν τῷ Καταλόγῳ εὑρίσκειν ἡνιοχοῦντα τῷ Ἡρακλεῖ;* quo testimonio Catalogus ab Eoeis discerni uidetur. Apollonius ut Scutum Herculis Hesiodo uindicaret, ita argumentatus est, ut etiam in Catalogo, sicut in Scuto,

Iolaum Herculis aurigam esse diceret, et ex hac narrationis congruentia colligeret, Hesiodum non minus Scuti quam Catalogi auctorem esse. Iam quum id carmen Eoearum partem fuisse constet, Apollonii iudicio Catalogus ab Eoeis discerni uidetur. Quanquam sunt quae contra dici iure uideantur posse. Nam Apollonii testimonium non ad Eoearum fragmentum, sed ad pugnae Herculeae narrationem pertinet. Iam uero nescimus, num iam Apollonii aetate hodierna carminis forma extiterit, an diuersarum partium conglutinatio postea sit facta. Quam dubitationem profiteri debebat Ulricius p. 365. n. 210. Certius est Pausaniae testimonium IX, 31, 5: *ἐς γυναῖκάς τε ᾀδόμενα καὶ ἃς μεγάλας ἐπονομάζουσιν Ἠοίας* a), de quo postea accuratius dicetur. Addi potest Schol. ad Apoll. Rhod. I, 747, cuius uerba fr. CXXVI posui. Quae si quis cum Eoearum fragmento in Scuti initio posito accurate comparauerit, has narrationis differentias inueniet: primum in Eoeis Amphitryo Electryonis percussor dicitur, apud scholiastam caedes eius Teleboïs tribuitur; deinde in Eoearum fragmento iam ante Electryonis mortem Amphitryo Alcmenae maritus est, apud scholiastam post eam Alcmena ei nubit. Uide O. Mueller. Dor. II, p. 478 et Ulricium l. l. Haec igitur coniuncta tantam uim habent, ut Eoeas et Catalogum pro diuersis carminibus habere non dubitaremus, nisi alia testimonia extarent contrarium comprobantia. Et in hoc genere est uetus scholion ad Scut. Herc. l. l. *Τῆς Ἀσπίδος ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ δ' Καταλόγῳ φέρεται μέχρι στίχων ν' καὶ ς'* (Ald. et cod. Rehd. *ν' καὶ ϛ'* corr. Sam. Petit. comment. ad Leg. Att. p. 462). Iam quum Scuti initium ex Eoeis petitum esse *ἢ οἵη* doceat u. 1, hae et quartus Catalogi liber non diuersa erant.

---

a) His Pausaniae uerbis manifestum errorem contineri censet Fritzschius de Daetalens. p. 103, cuius iudicii ego nullam uideo rationem.

Accedit Hesychius *Ἠοῖαι ὁ κατάλογος Ἡσιόδου.* Etym. Gud. p. 246, 23: *Ἠοῖαι· ἔστι κατὰ λόγος* (sic) *Ἡσιόδου.*

## § 3.

Haec testimoniorum repugnantia ita, si fieri potest, remouenda est, ut neutro genere falsi quid tradi statuatur. Nam alteram partem simpliciter respuere eique fidem abrogare sine rationis necessitate, profecto non est prudentis critici; quo nomine uituperandus est Ukricius, qui quae posteriore loco posui testimonia temere reiicit p. 363. n. 205. Aeque imprudenter ii iudicant, qui scholio ad Scutum et Hesychio tantum tribuunt auctoritatis, ut Pausaniam et Apollonii scholiastam negligant. Nec magis ii probandi sunt, qui unum aut alterum illorum locorum emendatione quam dicunt adhibita ad suae opinionis confirmationem cogere instituunt. In quam reprehensionem incurrit Lehmannus, qui quum Bekkerus Schleiermachero auctore apud Pausaniam *καὶ* ante *ἃς μεγάλας* deleuisset, illam particulam non eiiciendam sed transponendam (*ἃς καὶ*) contulit. Has igitur uias quum deserendas esse intellexissem, diu cogitaui de meliore testimoniorum inter se conciliandorum ratione. In qua inuestigatione perspexi, omnem fere inter uiros doctos sententiarum diuersitatem, de qua postea exponem, a diuersorum temporum confusione originem duxisse. Itaque duas aetates probe discernendas esse existimo; quo facto illa testimoniorum repugnantia non dico remouetur, sed nullam esse apparet. Harum aetatum altera est ea, qua carmina facta sunt; alteram posteriora grammaticorum tempora dico.

Iam si quaeritur, utrum duobus nominibus unum an duo carmina significari uideantur, illud tempus maxime respiciendum esse patet, quo carmina primum in lucem prodierunt. De quo tempore ut primo loco

dicam, dubium esse nequit, quin olim duo diuersa poemata extiterint, id quod Apolloniani scholiastae testimoniis efficitur. Etenim fieri nullo modo potuit, ut poeta in unum idemque carmen diuersas eiusdem fabulae narrationes reciperet. Sed ut hoc largiamur, quomodo scholiasta in duabus enuntiationibus deinceps ex uno poemate diuersae fabulae testimonia petere ipsiusque carminis nomen uariare poterat? Quare sic iudicandum est, ut antiquis temporibus Eoeas a Catalogo diuersas fuisse statuamus. Postero autem tempore haec carmina tum propter argumenti similitudinem tum propter Hesiodi nomen utrique impositum, collecta et in unum corpus redacta sunt, ita quidem, ut, cum Catalogus tres libros comprehenderet, Eoeis quarti nomen daretur, id quod e scholio illo Hesiodio colligitur. Neque incredibile est eas etiam quintum librum, cuius Suidas meminit, effecisse; quanquam id incertum est, quum antiquorum scriptorum nemo praeterea quinti libri fecerit mentionem. Hac igitur coniectura probata, cui quid obstet non uideo, utrique testimoniorum generi suus honos constare poterit. Quum igitur Eoeae cum Catalogo in unius carminis genealogici formam coniunctae essent, quod a quo factum sit prorsus nescitur, ueteribus scriptoribus illo carminum corpore ita uti licebat, ut aut priscam differentiam spectarent, Eoeisque peculiare nomen tribuerent, aut utrumque carmen pro uno haberent idque Catalogi nomine significarent. Atque ad hoc corpus referenda uidentur illa nomina, de quibus supra exposui. Nec mirum est, quod a plurimis scriptoribus unum tantum genealogicum Hesiodo tribui solet. Hi enim illam collectionem spectabant.

Quanquam uero statuimus Catalogi nomine totum corpus inscriptum fuisse, tamen omni modo eorum sententiae repugnamus, qui etiam Eoearum nomen illius collectionis indicem fuisse existimant. Nullum enim

fragmentum e tribus prioribus libris citatur, in quo illa transeundi formula ἢ οἵη compareat. Itaque nulla omnino ratio perspicitur, cur his Eoearum titulus fuerit inditus. Probabilis esset illa opinio, si fragmentum unum idemque ab alio scriptore ex Eoeis citaretur, ab alio uni trium catalogi librorum assignaretur. Cuius rei nullum inuenitur uestigium.

Iam si ad hanc disputationem diuersa scriptorum ueterum testimonia examinamus et exigimus, tantum abest, ut inter se pugnent, ut egregie ad nostrae sententiae confirmationem congruere uideantur. Maxime autem Pausaniae uerbis coniectura proposita nititur: ἐς γυναῖκάς τε ᾀδόμενα καὶ ἃς μεγάλας ἐπονομάζουσιν Ἠοίας, quibus quum aperte duo carmina discernantur, *Κατάλογος γυναικῶν* et *Ἠοῖαι μεγάλαι*, Eoeis alterum etiam nomen fuisse ex ἐπί praepositione cum nominandi uerbo coniuncta colligi potest; ita ut uerbis illis haec subesse uideatur sententia: „alii multa carmina ad Hesiodi nomen referunt, ueluti *Κατάλογον* mulierum et id carmen, quod praeterquam quod Catalogi titulo comprehenditur, etiam peculiari Eoearum nomine inscribitur." *Καὶ* aut omitti aut transponi totius loci ratio uetat, maxime τε illud post *Θεογονίαν* positum. Nam hoc quidem recte dicitur: *Κατάλογόν τε καὶ Ἠοίας καὶ Θεογονίαν τε καὶ Μελαμποδίαν καὶ Θησέως κατάβασιν*, nec tamen hoc: *Κατάλογόν τε καὶ Θεογονίαν τε καὶ Μελαμποδίαν καὶ Θ. κατάβασιν*, ad quam breuitatem copiosiorem Pausaniae locutionem manente particularum τε et καὶ ratione redigere licet. Atque posterior ratio, quae est uitiosa, scriptori ista emendatione obtruditur. Quare qui καὶ illud aut eiiciunt aut loco suo mouent, etiam τε post *Θεογονίαν* expellere coguntur. Quod si quis facere in animum induxerit, uideat ne temeritatis crimen subeat. Si autem Lehmannus ex eo, quod Pausanias Eoearum septies (immo octies praeter uerba laudata),

Catalogi autem semel (immo bis) mentionem fecisset, Eoeas pro Catalogo positas esse collegit p. 13, id non satis prudenter iudicatum uidetur, quum eundem hominem eidem carmini diuersa nomina dedisse non ualde credibile sit, et ex eo ipso, quod modo Catalogi modo Eoearum nomen posuit, colligi posse uideatur; eum carminum diuersitatem agnouisse. De qua re non dubitabimus, si scriptorem reputauerimus Catalogum confidenter ascribere Hesiodo (I, 43, 1: *οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν Καταλόγῳ γυναικῶν.* Cf. I, 3, 1; non repugnat III, 24, 7); Eoeas autem ne uno quidem loco ad Hesiodi auctoritatem referre. Citauit enim eas semper sine alicuius auctoris nomine, cuius rei exempla haec sunt II, 2, 3: *πεποίηται δὲ ἐν μεγάλαις Ἠοίαις.* II, 16, 4: *τὰ ἔπη λέγει, ἃ δὴ Ἕλληνες καλοῦσιν Ἠοίας μεγάλας.* II, 26, 2: *κατὰ — τὰ ἔπη τὰς μεγάλας Ἠοίας.* IV, 2, 1: *ἐπελεξάμεν τάς τε Ἠοίας καλουμένας καὶ τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια*, et paullo post: *λεγούσας τὰς μεγάλας οἶδα Ἠοίας.* VI, 26, 10: *κατὰ τὰ ἔπη τὰς μεγάλας Ἠοίας.* IX, 36, 6: *ὁ τὰ ἔπη συνθεὶς ἃς μεγάλας Ἠοίας καλοῦσιν Ἕλληνες.* 40, 5: *ὁ τὰ ἔπη τὰς μεγάλας Ἠοίας ποιήσας.* X, 31, 5: *αἱ δὲ Ἠοῖαι καλούμεναι.* Ex his apparet iis locis, ubi Hesiodus carminis nomine non addito citatur, Eoeas non debere intelligi, ueluti II, 6, 5. II, 26, 6; I, 3, 1 autem Catalogum non Eoeas significari uerbis *ἐν ἔπεσι τοῖς ἐς τὰς γυναῖκας.* Nisi igitur Pausaniam pro leuissimo auctore habere uolumus, facere non poterimus, quin eum carmina illa distinxisse statuamus. Cuius auctoritati minime repugnat Hesychii glossa, qui quum Eoearum nomen explicare uellet, Catalogi uocabulo apte uti poterat, quum illae quoque hac inscriptione comprehenderentur. Neque opus est Heinsii emendatione *ὁ δ' κατάλογος* corrigentis, cui Etymologici Gudiani auctoritas obstat. Longe aliter res se haberet, si aliquo testimonio Eoeas pro omnibus Catalogi libris dictas fuisse doceremur.

## § 4.

### *De uirorum doctorum sententiis.*

Iam firmata et ab omni parte munita sententia nostra, quae infra disputatione de illorum carminum argumento instituenda magis etiam comprobabitur, pauca de uirorum doctorum opinionibus dicam, quarum refutatio ex iis, quae modo diximus, peti potest. Quibus ne iniuria fiat, sane concedendum est, uniuersam horum carminum memoriam ita comparatam esse, ut error, quo confundebantur, admodum fuerit procliuis, quum non modo utriusque argumentum simile fuisse uideatur, sed etiam Catalogi mulierum nomen ad Eoearum naturam significandam optime quadret. Accedit, quod plerique scriptores unum tantum genealogicum carmen Hesiodo adscribere uidentur. His de caussis, quibus aliae etiam addi possunt, excusandi sunt ii, a quorum sententia discedendum esse supra demonstraui; et ego potius, si illas res neglexissem, inconsiderantiae et temeritatis essem accusandus.

Atque iam per aliquot saecula inter uiros doctos controuersia de hac re agitata est; sed plurimi non accurate et dedita opera quaesiuerunt, breuiterque tantum et quasi ἐν παρέργῳ quid sentirent significarunt. Quare eorum iudiciis non multum est tribuendum; satisque habeo priorum philologorum libros indicasse, ubi de ea re dixerunt. Canter. Nou. Lectt. IV, c. 3. p. 254—256. Meursius Att. Lectt. II, c. 20. p. 96—98. Valesius Emendat. p. 222. Add. Samuel. Petitus ad Leg. Att. p. 461—465. Langbaen. ad Longin. περὶ ὕψους p. 56 ed. Toll. Interpretes ad Suid. u. Ἡσίοδος; ad Hesychium u. Ἠοῖαι; ad Steph. Byz. u. Γερηνία; ad Strabonem ed. Friedem. p. 343 sq. Ruhnkenius Ep. crit. p. 289. Heyn. ad Apoll. II, p. 347. Voss. Epp. myth. I, p. 103. Heinrich. ad Scut. Herc. p. XLVII. Quorum errores diligenter

exponere et copiose refutare, labor est pariter inutilis ac molestus. Plerique enim Catalogum et Eoeas confuderunt, aut si diuersa carmina statuebant, quomodo id explicandum esset non ostenderunt; nec quisquam fere eorum idoneis rationibus suam opinionem confirmauit. Multa de hac re disputauit Harlesius ad Fabr. Bibl. Gr. I. p. 578—582; a quo diuersa miscentur, ita ut non satis appareat, quam sententiam animo conceptam habuerit. Apertius, quanquam breuiter, quid sentiret exposuit Groddeckius in Bibl. Vett. Litt. et Artt. fasc. II, p. 80—83; cuius disputatione in mea coniectura ualde confirmatus sum. Suspicatur autem posteriore tempore carmina genealogica, a uariis ignotisque auctoribus composita, in unum corpus redacta esse, cui Hesiodi nomen in hoc genere clarum sit impositum; Eoeas uero Hesiodi, quum magna essent auctoritate, etiam facta collectione nomen suum retinuisse, sed tamen pro parte reliqui corporis habitas fuisse. His quum ego fere assentiar, illud tamen non concedendum uidetur, quod de maiore Eoearum auctoritate dicit; neque ostendit, utrum Eoearum inscriptionem ad totum corpus pertinuisse existimauerit, nec ne. A Groddeckii sententia fere non recedit Leutschii iudicium breuiter significatum in libro de Thebaide cyclica p. 7 Not.

Uenio ad Thierschii sententiam, qui (in commentatione de Hesiodi carminibus eorumque ad Homerica ratione p. 29 Not.) carmen de heroinis eorumque filiis, *κατάλογον γυναικῶν*, a quinque rhapsodiis magnarum Eoearum diuersum fuisse dicit; quod unde haustum sit, inuestigare non possum, nisi e Groddeckii sententia, quem auctorem affert, non recte intellecta originem duxit. Thierschii memoriae Lehmanniani iudicii subiungo indicationem, qui uir „de Hesiodi carm. deperditis" paullo negligentius, quam pro libelli consilio, de ea re disputauit, neque antiquorum scriptorum testi-

moniis sat diligenter est usus, neque omnino certam sententiam uidetur animo informasse. De Eoearum cum Catalogo coniunctione sic existimat p. 13, Eoeas in amplius Catalogorum carmen receptas fuisse; quae sententia ut est probabilis, ita illud non uerum uidetur, quod omnem quinque librorum complexum Eoearum nomine nuncupatum fuisse dicit. Cuius sententiae auctorem praeter Pausaniam emendatum (correctione iam ab Harlesio ad Fabr. B. G. I. p. 580 praerepta) et Hesychium etiam Hermesianactem profert in Eleg. ad Leont. u. 21 sq.

*Φημὶ δὲ καὶ πατρῷον ἀποπρολιπόντα μέλαθρον*
*Ἡσίοδον πάσης ἤρανον ἱστορίης*
*Ἀσκραίην ἐςικέσθαι ἐρῶνθ' a) Ἑλικωνίδα κώμην·*
*Ἔνθεν ὅγ' Ἠοίην μνώμενος Ἀσκραϊκὴν*
*Πόλλ' ἔπαθεν, πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους.*
*Ὕμνων ἐκ πρώτης παιδὸς ἀναρχόμενος.*

Quibus uersibus quid efficiatur, ne uerbo quidem significauit, quanquam p. 9 accuratam de iis disputationem pollicitus. Uidetur autem Ruhnkenii auctoritate adductus esse, qui haec ad illos uersos adnotauit: „Sunt igitur *βίβλοι λόγων* nihil aliud nisi *Κατάλογος γυναικῶν*. Nam ut *λέγειν* interdum dicitur pro *καταλέγειν* recensere, sic *λόγος* et *κατάλογος* recensio." Uellem demonstauisset uir summus *λόγος* pro *κατάλογος* dici potuisse. Omnino autem quam sit periculosum et prudenti critico indignum, tali teste uti, egregie docuit Leutschius, seuerus sed iustus Lehmanniani libri censor. In uulgata opinione etiam Goettlingius est praef. ad Hes. XXVI, ubi haec posuit: „*Καταλόγους* et *Ἠοίας* fuisse nomen unius librorum „corporis ex eo patet quod etc." Uidetur autem eo errare uir doctissimus, quod etiam in prioribus tribus

a) Sic omnino scribendum. Uulgo *ἔχονθ'*. Cod. Ven. *ἔχωνθ'*. Multa de his uersibus disputauerunt Sam. Petitus l. c. et Ilgenius Opusc. Phil. I. p. 262. Cf. Leutsch. in Ephem. Litt. Hall. 1831. N. 188.

Catalogi libris formula ἢ οἵη poetam usum fuisse arbitratur. Uerba eius haec sunt: „Ad mythologicum genus pertinent Κατάλογοι γυναικῶν, dicti etiam Ἠοῖαι ab repetito carminis initio. Horum initium habemus in ultimis Theogoniae uersibus. — Quos deinde ita sequebantur laudes heroinarum, ut praemissis quibusdam uersibus talis uere argumenti de prima heroina ab Ioue adamata:

Ἧς ἐμίγη φιλότητι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Κάλλεϊ καινυμένης ἐφ' ὁμήλικας εὐφυΐῃ τε,
Οἵη ἔην Νιόβη,

adiiceretur postea ἢ οἵη Ἀλκμήνη uel simile quid de ceteris heroinis." Similiter iudicauerunt Heynius, Wolfius, Vossius, Heinrichius, Muetzellius, quorum libros supra significaui. Hos ita sequitur Bodius (Hist. ep. poes. Gr. p. 449 sqq.), ut inter Catalogum et Eoeas magnas ne minimum quidem statuat discrimen fuisse. *Eoeas* autem et *magnas Eoeas* ita discernendas esse suspicatur, ut illo nomine singuli libri significari putentur, hoc autem totum de feminis carmen inscriptum fuisse statuatur. Sed apud scholiastam Apollonii Rhod. II, 178 (161), quem in testimonium aduocat, tertius Catalogi liber et μεγάλαι Ἠοῖαι inter se opponuntur. E qua re apparet non uerum esse istud inter Eoeas et magnas Eoeas discrimen. Deinde Pausaniam dicit non uideri Catalogum ab Eoeis distinguere; de qua re quid statuendum sit, supra docuimus. Neque possumus assentire, si καὶ in Pausaniae loco IX, 31, 5 cum Bekkero eiiciendum esse censet. Sed quid plura contra Bodium disputem, qui in hac re e Goettlingii et Lehmanni sententiis pendet; quod ne falso dictum uideatur, uno exemplo demonstrabo. Quum Lehmannus p. 9 dixisset, Lucianum (tom. III. p. 259. Bip.) carmen dicere ἡρώων κατάλογον, Bodius hoc transscribere non recusauit, quanquam nec libri numerus recte indicatus est (Lehmannus enim t. V. p. 259 scribere uolebat), neque Lucianus ista

appellatione est usus. Deinde cum Lehmanno non recte de altero Luciani loco (t. VIII. p. 147) iudicauit, ubi non ἔρωτας sed ἀρετὰς legitur. Ueriora nos supra docuimus. Nec uerum est quod dicit Κατάλογοι plurali numero carmen nominari apud unum Homeri scholiastam ad Il. B, 336. Plura exempla e superiore commentatione petere licet.

Superest, ut Ulricii mentio fiat, qui p. 363 a uulgari opinione uehementer dissentiens Eoeas a Catalogo prorsus diuersas neque ullam horum carminum coniunctionem fuisse iudicauit, tanta Pausaniae et scholiastae Apolloniano fide habita, ut ueteris scholii Scuto praefixi et Suidae auctoritatem reiiciendam putaret, Hesychium uero prorsus negligeret. a)

## § 5.

### *De nominis Ἠοῖαι significatu.*

Sequitur, ut de horum carminum argumento quaeratur, quo facilius appareat meam de eorum diuersitate sententiam a ueritate non abhorrere. Quod antequam faciam, pauca de Eoearum nomine eiusque explicatione exponam. De cuius nominis interpretatione diu inter uiros doctos est dubitatum, miraeque et saepe ridiculae explicationes prolatae sunt, quarum aliquot commemorabo, ut harum commentationum seueritas hilaritate quadam et re iocosa mitigetur. Lepida sunt quae Gedoyn. in Hist. de l'Acad. des Inscr. et des bell. Lett. t. VII. p. 107 sq. disputat: „Strabon, Pausanias et Athenée „citent quelquefois un ouvrage fort ancien et si in„connu, qu'un savant interprète n'en a pas même en„tendu le titre; cet ouvrage est ce que les Grecs nom„moient ἠοῖαι μεγάλαι, Eoeae magnae. Amasée dans sa

a) Proxime ad ea, quae supra disputaui, accedit Caesaris disputatio in Zimmermanni Ephem. Ant. stud. 1835. N. 67.

„version latine de Pausanias rend ces mots tantost par „*Eoeae magnae*, tantost par *Magnae Matutinae*, et „une fois par *Orientalia Matutina*, variation qui mar- „que, qu'il n'entendoit pas ce qu'il traduisoit.“ Deinde ipse paullo saniora docet, sed p. 109 bellam coniecturam profert, cuius fructum lectoribus huiusce libelli subtrahere nefas puto: „Mais que l'on ait appellé ἠοῖαι, „c'est une bizarrerie étrange, puisque c'est un mot, qui „ne présente rien à l'esprit, un mot corrompu, formé „de l'article ἡ au singulier (!), que l'on dépouille de son „aspiration pour le joindre avec l'adjectif pluriel οἶαι.“ Similes ineptias commemorant Heinrichius p. XLIX et Lehmannus p. 14. N. 2. Postea quidem intellectum est, de qua re nunc nemo dubitat, carminis nomen a formula ἢ οἵη, qua singulae narrationes inter se coniungebantur, deriuatum esse; sed qua significatione illa uocabula posita fuissent, et quomodo poeta rem instituisset, ut aptus euaderet ille transeundi modus, diu ignorabatur et nunc uix cognitum habetur coniecturae probabilitate. Testimonia autem desunt. Ineptissimas esse patet Graecas Tzetzae et I. Diaconi Pediasimi interpretationes, quorum ille in Exeg. ad Scut. u. 1 haec posuit: ἡ οἵη, ἡ ὁποία, ἡ θαυμαστή· ἐπὶ θαύματος δὲ εἴρηται τὸ οἵη, ἢ παρέλκεται, alter scholia paraphrastica (p. 60 Heinr.) sic incipit: Ἡ Ἀλκμήνη ἡ μεγάλη καταλιποῦσα κτλ. Librarii autem plerumque ἢ οἵη in ἠοίη corrumpere solebant (cf. fr. CXLIII, CXLIV, aliam corruptelam uide fr. CXXXVI), cui eam significationem tribuebant, qua hoc adiectiuum Hom. Od. *Θ*, 29 legitur. Schol. ad Il. *T*, 342. ἠῶ, ὅθεν καὶ τὸ „ἠοίη προλιποῦσα δόμους.“ [a]) Paullo meliora sunt, quae dicit Canterus Nou. Lectt. l. l. „Hesiodus scripsit μεγάλας Ἠοίας, in quibus prae-

a) Etiam inter recentiores uiros doctos erant, qui sic emendarent, ueluti Guielus ad Scut. u. 1. „Scribendum omnino uidetur ἠοίη, Matutina, Eoea.“

„clarissimas quasque mulieres et heroinas perpetuo carmine celebrauit, uel ut singulas pro exemplo poneret, „uel ut unam aliquam illustrissimam cum reliquis con„tenderet. Hinc dictae sunt *'Hoῖαι*, quod singulae si„militudines ab *ἢ οἵη* inciperent." Fuerunt etiam, qui Hermesianactis uersibus adducti Hesiodum heroinas cum amica sua comparasse crederent; quod longe ineptius quam Canterianum commentum est. In horum numero est Samuel. Petitus ad Legg. Att. p. 463. Prorsus a uero aberrauit Robinsonus, qui (ad Sc. u. 1) pro *ἢ οἵη* scribere uolebat *ἡ οἵη*, ita ut esset „*illa sola*". Heinrichius p. 110 ad u. 1 fluctuat coniectando: „Poterat „utique carminis tenor ita ductus esse, ut poeta ab „illustris alicuius feminae laude ordiretur eamque se„quentibus feminis compararet, hac fere ratione: Ista „tam praeclara fuit femina quam Leda, ***aut quam*** „(*ἢ οἵη*) Alcmena. Potest quoque alia partium con„iunctio assumi, forte huiusmodi: Dic mihi, Musa, „qualis fuerit haec, a u t q u a l i s illa, a u t q u a l i s „Alcmena. Sed nolumus coniecturis indulgere" etc. Prior ratio non apta est; alteram adsciuerunt Thierschius p. 29 not. et Lehmannus p. 14. Sed omnium maxime probabile est, quod Goettlingius ad Sc. u. 1 ostendit, initium carminis praemisso aliquo prooemio huius fere tenoris fuisse:

*Ἀλλὰ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, καλλιέπειαι*
*Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,*
*Ἧις ἐμίγη φιλότητι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*
*Κάλλεϊ καινυμένης ἐφ' ὁμήλικας εὐφυΐῃ τε*
*Οἵη ἔην Νιόβη* et deinde *ἢ οἵη Σεμέλη*

et *ἢ οἵη προλιποῦσα κτλ.*; modo ne quis credat quos hodie in Theogoniae fine legimus uersus, eos olim in Eoearum initio positas fuisse. Quale autem prooemium uir doctus intellexerit, ex iis apparet, quae ad u. 106 adnotauit. Putat etiam carmen de aetatibus, quod nunc legitur Opp. 106—201, olim in Eoearum initio posi-

tum fuisse; cuius rei testimonium affert Eunapii uerba (p. 41. Boiss.) τούτου δὲ τοῦ γένους (οὐ γὰρ τὰς Ἡσιόδου Ἠοίας ἔσπευδον γράφειν) ἀπόῤῥοιαί τινες ὥσπερ ἀστέρων περιελείφθησαν; quibus quomodo illud efficiatur ego non assequor; et ipse aliter iudicat praef. p. XIX. not. **. Sed etiam hoc loco illorum uerborum sententiam non satis recte intelligere uidetur. Eoeae igitur a repetito singularum partium initio nomen acceperunt; de qua appellandi ratione uide Bentleium ad Hor. Sat. I, 3, 7. Heynium ad Uirg. Ecl. II, 24 et Add. et Corr. t. IV. p. 212. Heinrichius p. L. ex eo, quod Pausanias a Graecis ista carmina Ἠοίας μεγάλας uocari dicit colligi posse existimat, eam inscriptionem non a Grammaticis profectam esse; „imo," ait, „ea sincera et genuina „est, non quidem, quod nemini in mentem ueniat, ab „ipso carminis auctore profecta, sed eo tempore nata, „quo multiplicato carminum numero singula singulis „titulis insigniri coeperant; atque omnino antiquiorem „aetatem talis appellandi simplicitas uidetur coarguere." Haec probabiliter dicta sunt. Cf. Lehrs. p. 15.

## § 6.

### *De Catalogi argumento.*

De argumento utriusque carminis in uniuersum quidem facile dici potest; sed quae argumenti et tractationis diuersitas inter Catalogi libros et Eoeas intercesserit, quae fabulae in utroque tractatae et quo ordine fuerint positae, ea quaestio est admodum obscura et difficilis, nec tamen prorsus negligenda, quippe quum ad carminum adumbrationem et iudicationem necessaria uideatur. Ante omnia autem uidendum est, num probabili quadam ratione Catalogi narrationes ab Eoearum fabulis discerni possint. Itaque eas reliquias, quas ex hoc aut illo carmine sumptas esse constat, inter se comparaui et quaesiui, quae fuisset utrique tractationis

propria ratio. In qua peruestigatione aliquod discrimen obseruasse mihi uideor. Catalogi enim auctor hoc consilium uidetur secutus esse, ut celeberrimarum omnium stirpium origines exponeret et clarissimas res ad earum historiam pertinentes comprehenderet; ita ut Catalogi genealogiae non unius aut alterius terrae rationem haberent, sed totius Graeciae stemma fuisse uideantur. Nam reliquiae pertinent ad diuersissimas gentes, ad Deucalionis et Hellenis stirpem, ad Inachi prolem, ad Pelasgi gentem, ad Archaicas fabulas, ad res Lacedaemoniorum, Messeniorum, Atheniensium, Boeotorum et Aetolorum. Itaque optimum uidebatur fragmenta sic disponere, ut, quae ad unam gentem pertinere uiderentur, ea deinceps collocarentur. Initium autem poeta ab eo cepit, a quo omnes Graeci generis originem deriuabant, a Prometheo, cuius e Pandora filius erat Deucalion. Deucalion uxorem ducit Pyrrham, e qua Hellenem genuit. Sequebatur Hellenis proles, Dorus, Aeolus, Xuthus, quorum stirpes deinceps canebantur. Primo loco Aeolidarum familiam posuisse uidetur poeta; Aeoli filii erant Cretheus, Athamas, Sisyphus, Salmoneus, Perieres, quorum familias poeta deinceps persecutus uidetur. Ad Salmonei familiam pertinebat Tyro, quae ex Neptuno filios habebat Peliam et Neleum (Apollod. I, 9, 8), cuius historiae in Catalogi libro primo traditae praeclara aliquot fragmenta habemus (XVI sq.). Neleus Herculi, qui Iphigeniam interfecerat, lustrationem denegauerat, eiusque filii illum ignominiose tractauerant. Horum nomina erant Taurus, Asterius, Pylaon, Deimachus, Eurybius, Epidaus, Rhodius, Eurymenes, Euagoras, Alastor, Nestor et Periclymenus (Apollod. I, 9, 9, 1), quae nomina ante eos uersus posita fuisse puto, quos fr. XVI collocaui. Hercules igitur Nelidis bellum intulit, Pylumque oppugnauit; sed Periclymeno uiuente urbem capere non poterat. Huic enim Neptunus facultatem dederat quas uellet corporis formas induendi. Postquam uero

in apem transformatus in Herculis curru consedit, a Minerua cognitus et ab Hercule interfectus est. Quo occiso Hercules urbem expugnauit, omnesque Nelidas interfecit praeter Nestorem, qui quum Gereni uersaretur solus euasit (cf. O. Mueller. Dor. II. p. 479 [a]). Ad Nelidarum stirpem referendi uidentur etiam ii uersus, quos Eustath. ad Od. p. 1796 seruauit, de Nestoris filia Polycasta, quae e Telemacho Persepolin genuit; altera Nestoris filia erat Pisidice.

Sed omnia fabularum genera, quae Catalogo continebantur, hoc modo percensere, non uidetur a nobis exigi. Ex hoc uno exemplo, cui postea alterum addemus, apparebit, qua ratione carminis tenor institutus fuerit.

## § 7.

### *De Eoearum argumento.*

A Catalogo Eoearum argumentum et consilium ita diuersum fuisse suspicor, ut huius carminis auctor potissimum mulieres mortales, quae cum deis rem habuissent, et earum prolem celebraret, neque, ut Catalogi poeta, omnes gentes perpetuo carmine pertractaret. Multo autem minorem fabularum copiam Eoeae comprehendisse neque tam late uidentur patuisse; sed singulae narrationes multo uberius et copiosius exponebantur, ita ut carmen sine dubio maiorem haberet poeticam uirtutem. De narrandi ubertate et copia coniectura fieri potest tum ex insigni fragmento, quod Scuto praemissum est, tum ex Eunapii uerbis supra § 5 allatis, quorum haec sententia uidetur esse: „nolo

a) Hanc narrationem in I. catalogi libro locum habuisse iam Heynius ad Apollod. II. p. 62 uiderat. Quam dubitationem mouit Muellerus l. l., ea nullius est momenti, quum omnes Stephani libri numerum habeant; neque uerum uidit Meursius Lectt. Att. II. c. 20. p. 98, qui ueterum editionum scripturam Ἡσίοδος καταλόγων sic mutauit: Ἡσ. καταλόγῳ γ'.

enim in huius generis partibus percensendis tam copiosus esse, quam Eoearum auctor." Ad hanc carminis naturam refero etiam adiectiuum *μεγάλαι*, quod Eoearum nomini plerumque addi solet. [a])

Obseruasse autem mihi uideor, in cuiusque Eoeae [b]) initio positum fuisse heroinae alicuius nomen, quacum deus aliquis concubuerat; neque ullum testimonium inuenitur, quo probari possit, heroinarum et heroum amores, hoc carmine celebratos fuisse. Fieri quidem poterat, ut in eorum recensione, qui heroina et deo nati erant, nonnullae nuptiae inter heroes et heroinas factae commemorarentur; sed in genealogiarum principiis, ἢ οἵη uerbis factis, semper heroina cum deo aliquo posita erat. Quod ne temere dictum uideatur, Eoearum initia, quae supersunt, perlustremus. In Scuti initio Alcmena et Iuppiter nominantur; fr. CXLI excipiebat Coronidis nomen, quae ex Apolline Aesculapium genuit; fr. CXLIII Cyrenae et Apollinis amores celebrabantur; fr. CXLIV.

Ἠ οἵη Ὑρίῃ πυκινόφρων Μηκιονίκη,
Ἣ τέκεν Εὔφημον γαιηόχῳ Ἐννοσιγαίῳ,

ipsa dei et mulieris nomina habemus. Quae fr. CXLVI posui, de Antiopa dicta fuisse docui, quacum Iuppiter congressus Amphionem et Zethum genuit (Apollod. III, 10, 1, 4. Asius fr. I. Hom. Od. XI, 260). Etiam id, quod supra significaui, non totius Graeciae fabulas carmen comprehendisse, ex hac expositione apparuit. Nam omnes illae feminae, Alcmena, Coronis, Mecionice,

---

a) Omittitur perraro; semel apud Pausaniam (fr. CLVII), apud Schol. Soph. (fr. CXLIX) et apud Eunapium. In reliquis testimoniis omnibus additum est.

b) Sic dicere licet, quum unam quamque genealogiam Eoeam fuisse dictam e Schol. Pind. P. IX, 6 appareat: ἀπὸ δὲ Ἠοίας Ἡσιόδου τὴν ἱστορίαν ἔλαβεν ὁ Πίνδαρος, ἧς ἡ ἀρχή, ubi Lehmannus p. 62 inconsiderate dubitauit an Ἠοιῶν scribendum esset. Nam ἧς non ad ἱστορίαν sed ad Ἠοίας referendum esse patet.

Cyrena et Antiopa aut ad Thessaliam aut ad Boeotiam pertinent, unde Lehmannus de poetae patria coniecturam fieri posse monuit.

## § 8.

### *De argumentorum differentia disputatio continuatur.*

Uno praeterea argumento Catalogi et Eoearum diuersitatem comprobare placet, quod propterea huic loco reposui, quia res est altioris peruestigationis. Plures erant de Aesculapii origine fabulae, una Epidaurior um, altera Messeniorum, tertia Thessalica; e quibus prima, a Pausania II, 26, 4 narrata, huc non pertinet; Messeniacae tantum et Thessalicae ratio est habenda, quarum alteram in Catalogo, alteram in Eoeis expositam fuisse demonstrabimus. Pausanias quinta paragrapho sic pergit: *Λέγεται δὲ καὶ ἄλλος ἐπ' αὐτῷ λόγος· Κορωνίδα κυοῦσαν Ἀσκληπιὸν Ἴσχυϊ τῷ Ἐλάτου συγγενέσθαι· καὶ τὴν μὲν ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἀρτέμιδος ἀμυνομένης τῆς ἐς τὸν Ἀπόλλωνα ὕβρεως, ἐξημμένης δὲ ἤδη τῆς πυρᾶς ἁρπάσαι λέγεται τὸν παῖδα Ἑρμῆς ἀπὸ τῆς φλογός. Ὁ δὲ τρίτος τῶν λόγων ἥκιστα (ἐμοὶ δοκεῖν) ἀληθής ἐστιν, Ἀρσινόης ποιήσας εἶναι τῆς Λευκίππου παῖδα Ἀσκληπιόν. Ἀπολλοφάνει γὰρ τῷ Ἀρκάδι ἐς Δελφοὺς ἐλθόντι καὶ ἐρομένῳ τὸν θεὸν, εἰ γένοιτο ἐξ Ἀρσινόης Ἀσκληπιὸς καὶ Μεσσηνίοις πολίτης εἴη, ἔχρησεν ἡ Πυθία·*

*Ὦ μέγα χάρμα βροτοῖς βλαστὼν, Ἀσκληπιέ, πᾶσιν,*
*Ὃν Φλεγυηῒς ἔτικτεν ἐμοὶ φιλότητι μιγεῖσα*
*Ἱμερόεσσα Κορωνὶς ἐνὶ κραναῇ Ἐπιδαύρῳ.*

*Οὗτος ὁ χρησμὸς δηλοῖ μάλιστα οὐκ ὄντα Ἀσκληπιὸν Ἀρσινόης* a) *ἀλλὰ Ἡσίοδον ἢ τῶν τινα ἐμπεποιηκότων*

a) Sed tamen nullam dubitationis significationem addit IV, 3, 2; 31, 9, ubi Pausanias eiusdem fabulae meminit eamque Messeniorum fuisse indicat. Etiam Apollodorus III, 10, 3, 7 duplicem famam affert, ubi de Arsinoe dicit: *ἡ δὲ Ἀσκληπιὸν γεννᾷ*, et deinde sic pergit: *τινὲς δὲ Ἀσκληπιὸν οὐκ ἐξ Ἀρσινόης τῆς Λευκίππου λέγουσιν, ἀλλ' ἐκ Κορωνίδος τῆς Φλεγύου.*

ἐς τὰ Ἡσιόδου τὰ ἔπη συνθέντα ἐς τὴν Μεσσηνίων χάριν. Hoc testimonio docemur in Hesiodio aliquo carmine sermonem de Arsinoa, Aesculapii matre, fuisse, neque dubitari potest, quin hoc in Catalogo factum sit, cuius pars Leucippidum Catalogus erat (Schol. Hes. Theog. 142). Pausaniae testimonium non ad Eoeas spectare eo efficitur, quod is hoc carmen omnino Hesiodo abiudicabat, ut supra docuimus. Iam habemus memorabile scholion ad Pind. Pyth. III, 14, quo carmine poeta fabulam de Coronide copiose celebrat. Scholiastae uerba haec sunt: οἱ μὲν Ἀρσινόης, οἱ δὲ Κορωνίδος φασὶν αὐτὸν εἶναι. Ἀσκληπιάδης δέ φησι τὴν Ἀρσινόην Λευκίππου εἶναι τοῦ Περιήρους, ἧς καὶ Ἀπόλλωνος Ἀσκληπιὸς καὶ θυγάτηρ Ἐριῶπις.

Ἡ δ' ἔτεκ' ἐν μεγάροις Ἀσκληπιόν, ὄρχαμον ἀνδρῶν,
Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐϋπλόκαμόν τ' Ἐριῶπιν·

καὶ Ἀρσινόης ὁμοίως·

Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα Διὸς καὶ Λητοῦς υἱῷ
Τίκτ' Ἀσκληπιὸν υἱόν, ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Quae si paullo accuratius examinamus, facile intelligimus non posse non corrupta esse. Asclepiadem illum diuersum esse a claro Tragodumenon auctore, Myrleanumque significari Werferus (Act. Mon. Phil. II. p. 498 sq. cll. p. 539) ita docuit, ut dubitatio possit nulla esse. Idem illud quoque ostendit, uersus allatos non esse Asclepiadis. Quare coniectura, in quam Boeckhius et Hermannus Opusc. VI, 1. p. 261 inciderunt, eam sibi iam a Werfero praereptam esse, ut uidetur, nescientes, admodum est probabilis, aut librariorum culpa in codicibus poetae alicuius nomen intercidisse, aut scholiastam negligenter Asclepiadis commentariis usum poetae nomen omisisse. Iam omnes ita consentiunt, ut Hesiodi nomen excidisse suspicentur, quae coniectura duplici argumento firmari potest, primum illo Pausaniae testimonio, deinde quod Asclepiades etiam alibi Hesiodo auctore usus est

eiusque uersum attulit. Schol. Pind. ad Pyth. IV, 35. Ὁ δὲ Ἀσκληπιάδης τὰ ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις παρατίθεται. Uerba autem καὶ Ἀρσινόης ὁμοίως, in quibus Boeckhius poetae alicuius nomen latere coniecit, ita corrigenda censet, ut περὶ post καὶ addatur. Quae emendatio si, ut quisque concedet, admodum est probabilis, noua oritur difficultas, in eo posita, quod duo habemus disticha ex uno carmine quibus nihil diuersi continetur. Quam tautologiam poetae tribuere, iniuria esset; a qua ut poetam defendamus, coniecturam liceat proponere, quae quum paullo audacior sit, tamen ex eo excusationem et fortasse probabilitatem habebit, quod nescimus quam corrupta sit hodierna scholii conditio. Uerba enim καὶ περὶ Ἀρσινόης ὁμοίως prorsus intolerabilia uidentur, si etiam in prioribus uersibus ἡ de Arsinoe intelligitur. Quum autem Hermanniana emendatio magnam habeat ueri speciem, scholiasta autem duplicis de Aesculapii matre famae mentionem fecerit, nescio an priores duo uersus ad Coronidem referendi sint. Si igitur ante uersus illos haec fere excidisse statuimus: Καὶ περὶ μὲν οὖν τῆς Κορωνίδος ὁ Ἡσίοδος οὕτω φησί· Ἡ δ' ἔτεκ' ἐν κτλ. — καὶ περὶ Ἀρσινόης δὲ ὁμοίως· Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα κτλ., omnes difficultates remotae sunt. Quas tollendi ratio si paullulum uiolentior uideatur, hoc certe concedendum erit, uocabula καὶ περὶ Ἀρσινόης ὁμοίως indicare in prioribus uersibus non de Arsinoe sermonem fuisse. Sed fortasse magis alicui placeat alia emendandi uia, qua uerba καὶ Ἀρσινόης ὁμοίως pro integris haberi possunt. Quod fieri potest, si haec statuimus intercidisse: Ἡσίοδος δὲ καὶ Κορωνίδος αὐτόν φησιν ἐν τοῖςδε τοῖς ἔπεσιν quibus post uersus allatos recte haec subiunguntur: καὶ Ἀρσινόης ὁμοίως.

Si igitur duo posteriores uersus Hesiodi sunt, in Leucippidum Catalogo locum habuerunt; quo nomine ea Catalogorum pars significari uidetur, quae Leucippi filias celebrabat. Leucippus enim, Perieris Aeolidae

filius, tres filias habebat, Hilairam, Phoeben et Arsinoen. Duae priores a Dioscuris rapiebantur (Apollod. III, 10, 3), quae res sine dubio illa carminis parte narrabatur (cf. Heyn. ad Apollod. t. II. p. 290. Werfer. p. 501 sq.). Hanc fabulam excepisse uidetur Messeniorum de Arsinoa et Aesculapio fama, cuius narratio a uersibus incipiebat hisce:

*Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα Διὸς καὶ Λητοῦς υἱῷ*
*Τίκτ' Ἀσκληπιὸν υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε.*

Deinceps sine dubio Aesculapii a Chirone educati et instituti artemque medicam exercentis historia sequebatur. Qui quum etiam mortuos in uitam reuocaret (cf. Apollod. III, 10, 3, 4. Schol. Pind. Pyth. III, 96. Klein. Fr. Stesich. p. 73), a Ioue fulmine interfectus est. Huc pertinet fr. CI. Apollo autem iratus Cyclopes, Iouis ministros, qui fulmen fabricati erant, occidit. Hanc rem in Catalogo expositam fuisse egregio testimonio schol. ad Theog. 142 constat; quod quum a uiris doctis perperam intellectum sit, paullo accuratius examinandum uidetur. Itaque integrum adscribam. Ad hunc Theogoniae uersum: *οἱ δ' ἤτοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν*, haec adnotata sunt: *Κράτης ἀντὶ τούτου ἄλλον στίχον παρατίθεται· οἱ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες. πῶς γὰρ τοὺς αὐτοὺς θεοῖς ἐναλιγκίους λέγει καὶ ἐν τῷ τῶν Λευκιππίδων καταλόγῳ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ; ἢ ὅτι κατὰ κάλλος καὶ μέγεθος θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν, ἢ ὅτι οὐ πάντας τοὺς ἐκ τῶν θεῶν γεγονότας ἀθανάτους εἶναι συμβαίνει. ἐν γὰρ τοῖς ἑξῆς Γηρυόνην, θνητὸν ὄντα, Χρυσάορος λέγει παῖδα· ὁ δὲ Χρυσάωρ Μεδούσης ἦν. πῶς δὲ καὶ αὐτὴ ἡ Μέδουσα ἀναιρεῖται ὑφ' Ἡρακλέους* (uoluit *ὑπὸ Περσέως* uir bonus) *καὶ ὁ Ὄρθρος κύων ἀπ' ἀθανάτων γεννηθέντας*, Muetzellius p. 284 de uersu illo, quem scholiasta affert, sic dicit: „Qui uersus utrum a Cratete confictus an ex ueteri exemplari erutus sit, propter scholiastae breui-

loquentiam diiudicari nequit." b) Goettlingius autem illum uersum alius recensionis esse indicat, coniungendum cum u. 144, 145, ita ut hi tres uersus in diuersa recensione pro u. 142, 143 positi fuerint. Mirum est uiros doctissimos tantopere potuisse a uero aberrare; quod iis non accidisset, si rectius de uerbi *παρατίθεσθαι* significatione iudicassent, neque postrema scholii uerba, quae uocabula *ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ* sequuntur, neglexissent. Nam *παρατίθεσθαι* nihil aliud significat nisi „auctorem citare, laudare," quae notio apud Grammaticos tam usitata est, ut uix opus uideatur exempla afferre. Sic Schol. Pind. Pyth. IV, 35. *Ἀσκληπιάδης τὰ ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις παρατίθεται.* Etym. Gud. p. 276, 41. *ταῦτα παρατίθεται ἐν δελτὰ Σιμωνίδης.* Strabo VII. c. 3. p. 300 Cos. *Ἡσίοδος μάρτυς ἐν τοῖς ὑπ' Ἐρατοσθένους παρατεθεῖσιν ἔπεσιν.* Athenaeus XII. p. 525. E. *περὶ δὲ τῆς Σαμίων τρυφῆς ἱστορῶν παρατίθεται Ἀσίου ποιήματα.* Sed quid plura? Iam si Crates illum uersum neque ipse finxerat, neque in suum Theogoniae exemplar receperat, sed in commentariis suis simpliciter citauerat, quaeritur, unde uersus petitus fuerit. Hoc non difficile uidetur ad inueniendum, modo de reliquis scholii uerbis rectius statuatur. In quorum interpretatione ii mihi uidentur errare, qui uerbis *πῶς γὰρ* caussam significari existimant, cur Crates uersum Theogoniae intulerit. Nam si sequentia *ἢ ὅτι — ἢ ὅτι* consideramus, nulla dubitatio potest esse, quin uerbis *πῶς γὰρ κτλ.* *ζήτημα* siue *ἀπόρημα* (Lehrs. Arist. p. 228 sq.) contineatur, cuius *λύσεις* a uerbis *ἢ ὅτι* incipiunt, ita ut *γὰρ* illud non caussam antecedentis enuntiati significet, sed ita positum sit, ut interrogationem inducat. Itaque totius testimonii haec

---

b) Nec mutasse sententiam uirum doctissimum ex iis apparet, quae nuperrime in Zimmermanni Ephem. antiqq. litt. 1838. N. 11. p. 91 scripsit.

est sententia. Crates in commentariis c) suis pro Theogoniae uersu, quo Cyclopes diis similes dicuntur, alium citauerat, quo mortales esse perhibebantur. Iam profertur ζήτημα, d) quomodo Hesiodus Cyclopes diis similes dicere potuerit, quum in Leucippidum catalogo, carmine eiusdem auctoris, de eorum morte sermo sit. Haec difficultas deinde duplici ratione soluitur. Quarum sententiarum si aliqua est cohaerentia, dubitari nequit, quin uersus ille a Cratete citatus in illo Catalogo locum habuerit; in quo carmine cum Cyclopes interfecti dicerentur, eos mortales appellari consentaneum erat. Quare quum aptissimum locum uersus in illo poemate habuerit, eum uere ex illo petitum esse totius scholii ratio docet; Crates enim uersum illum e Catalogo citauerat et dixerat, Cyclopum ibi caedem ab Apolline perpetratam narrari. Deinde aut ipse aut scholii auctor quaerit, quomodo poeta adeo sibi repugnare potuerit. Quod nunc ex coniectura protuli, de eo neminem dubitaturum confido, si ipsos Cratetis commentarios haberemus. Ceterum hoc exemplum cautos nos reddere debet in ueterum grammaticorum studiis ex uno testimonio censendis. Nam e superiore disputatione facile apparebit aut falsissimum esse aut certe omni ratione carere Muetzellii de Cratetis curis criticis Theogoniae nauatis iudicium p. 285: „Deinde, id quod grauius etiam est, quoniam exemplum paullo ante expromptum aut insigni temeritate Cratetem carmina tractasse demonstrat aut exemplaria usurpasse ualde ab reliquis

c) De horum ratione et natura Muetzellius l. l. sic iudicat: „Sed ueri est tamen simile, eum tum sententiarum difficultates studiose perquisiuisse et pertractasse, tum altiorem poetae sensum operose illustrasse."

d) Quod utrum ex ipsius Cratetis commentariis petitum, an a scholiasta prolatum sit, dubitari potest; sed utcunque statuitur, nostra disputatio non infringitur. Mihi illud magis placet, Cratetem esse ζητήματος auctorem.

discrepantia, Crateteus carminis textus non fieri poterat quin multum ab Alexandrinorum criticorum labore dissideret" et q. s.

Sed redeo ad Catalogi tenorem. Interfectis Cyclopibus Apollo in exilium ire coactus Admeto seruiuit; de qua seruitute ab Hesiodo memorata testimonium est apud Schol. Eur. Alc. I. (fr. CIII.) De reliquae narrationis ordine accuratius quaerere non attinet. Hoc demonstrasse mihi uideor, in Catalogo Arsinoam Aesculapii matrem dictam fuisse e Messeniorum fama. Praeter hanc erat Thessalorum de Coronide fabula, de qua uide Odofr. Mueller. Orchom. p. 199 sqq. Hanc in Eoeis tractatam fuisse e fragmentis intelligitur, quae CXLI sq. posui. Uersibus e Strabone citatis

*Ἢ οἵη Διδύμους ἱεροὺς ναίουσα κολωνοὺς*
*Δωτίῳ ἐν πεδίῳ πολυβότρυος ἄντ' Ἀμύροιο*
*Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἀδμής,*

talis fortasse additus erat:

*Κάλλει κεκασμένη, θυγάτηρ Φλεγύαο, Κορωνίς.*

Hunc excipere poterant duo a Schol. Pind. seruati, de quibus supra dixi:

*Ἡ δ' ἔτεκ' ἐν μεγάροις Ἀσκληπιόν, ὄρχαμον ἀνδρῶν,*
*Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐϋπλόκαμόν τ' Ἐριῶπιν.*

Postea autem Coronis Ischyi, Elati filio, nupsit, quas nuptias Pindarus Pyth. III, 11—27 praeclare celebrat, Apollodorus III, 10, 3, 8 breuiter memorat, et auctor Hymni Hom. in Apoll. Pyth. u. 31 respicit. Hae res Apollini a coruo nuntiabantur, quem deus iratus ex albo nigrum fecit. Uersus ad hanc rem pertinentes habet schol. Pind. P. III, 48. (fr. CXLII); et corruptissimos mutilatosque schol. ad u. 14, ex qua corruptela facile de totius scholii conditione coniectura capi potest, unde fortasse nostrae de eo disputationi aliqua probabilitas poterit aut certe excusatio parari. Reliquam Eoeae

partem restituere quum sit difficile, tum ne opus quidem uidetur esse.

Iam si in Catalogo aliam, aliam in Eoeis narrationem de uno eodemque deo fuisse demonstrauimus, facile nobis concedetur, quod pluribus etiam et certioribus argumentis supra effecimus, diuersa haec carmina fuisse. Quare facere non possum, quin mirer Lehmanni de his fabulis uerba p. 54: „Consulto de iis postremo disputaui, ut unusquisque unum fuisse *Λευκιππίδων κατάλογον* et *Ἠοίας* poema et, quod perspicue inde efficitur, Eoeis quoque Catalogorum nomen impositum fuisse intelligat.“ Quod quomodo efficiatur, non docet. Goettlingius autem ut multa, ita hanc quoque rem prorsus neglexit, et fragmenta huc spectantia perturbato ordine posuit. Hermannus (Opusc. VI, 1, 260 sq.) de hac re monuit, sed ita, ut quaestio nihil utilitatis accipiat; neque Pflugkius (praef. ad Eur. Alcest.) multum profecit. Omnium optima, sed erroribus commixta sunt, quae Werferus l. l. p. 498 sqq. disputauit. Quae Bodius sit commentus, ex ipsius libro p. 452, si placeat, cognoscantur. —

## § 9.

### *Antiquitatis de carminum auctore iudicium.*

Iam ad aliam quaestionem accedimus, quae est de auctore et aetate carminum genealogicorum, Hesiodo adscriptorum; in qua cum fontium antiquitate et auctoritate destituti simus, res iterum ad coniectandi probabilitatem redit. Nam nec Herodotus, nec Thucydides, nec Plato, nec Aristoteles testimonium de his carminibus ullum reliquerunt, sed tota fere eorum cognitio grammaticorum, plerumque Alexandrinorum, studiis et scholiastarum adnotationibus, illorum eruditionem nec satis plene plerumque nec semper incorrupte referentium debetur. Deinde noua difficultas nobis eo creatur, quod

duo carmina discernimus, ita ut, quod de altero constat, minime debeat etiam ad alterum referri. Nam ea quidem, quae de Catalogis traduntur, etiam de Eoeis dicta uideri possunt; testimonia uero ad Eoeas pertinentia ad totum genealogiarum corpus non licet tuto referre. In qua re illud incommode accidit, quod quanquam aetatis uestigia quaedam in carminum illorum reliquiis supersunt, tamen propter testimoniorum ambiguitatem saepe nescias, de utro carmine intelligas.

Primum igitur de auctore quaeramus. Non uni poetae Catalogum et Eoeas tribui posse, nunc inter omnes fere uiros doctos constat (Groddeck. l. l. p. 83. Thiersch. p. 29. Lehm. p. 14. Goettl. p. XXVI. Ulric. p. 364), ne iis quidem dissentientibus, qui Eoeas a Catalogo non diuersas fuisse existimant. Argumenta eius rei afferri solent, Phinei et Endymionis fabulae in Eoeis aliter atque in Catalogo expositae. Quibus addi potest de Aesculapii matre diuersitas. Quanquam non ita certum est ex ea re iudicium, ut omnis dubitatio abesse debeat. Quod ad ueteres scriptores et grammaticos attinet, nemo fere haec carmina ante Pausaniam Hesiodo uidetur abiudicasse. Pauca de ea re monuit Goettlingius p. XXVII, quae nec plena sunt neque ab omni parte uera. Quare operae pretium erit diligentius hanc quaestionem tractare, ut appareat, quo iure Hesiodus auctor habeatur. Sunt autem sat multi scriptores iique non spernendi, quos Hesiodo haec carmina tribuisse demonstrari potest. Praetermitto dubium schol. Apoll. Rhod. IV, 284 de *Hecataea* testimonium. Sed *Simonides* (genealogus, ut puto) aliquot uersus, quos Tzetza ex heroica genealogia laudat (fr. CXXXVI), teste Etymologico Gud. p. 276, 41 citauerat, eosque, ut uidetur, Hesiodo tribuerat. Eosdem *Posidonius Apolloniata* cum Hesiodi nomine attulerat, Tzetz. Exeg. Il. p. 4, 10 *Ποσειδώνιος ὁ Ἀπολλωνιάτης, ὁ τῷ Ἡσιόδῳ μέμψιν ἐπάγων, ὡς παραφθείραντι τινὰς Ὁμήρου λέξεις, τὸν Ὀϊλέα Ἰλέα*

λέγοντα. cf. p. 120, 10. *Philochorus* Hesiodum pro Eoearum auctore habebat, id quod e Strab. VII. p. 328. Cas. intelligitur: Φιλόχορος δέ φησι καὶ τὸν περὶ Δωδώνην τόπον, ὥσπερ τὴν Εὔβοιαν, Ἑλλοπίαν κληθῆναι· καὶ γὰρ Ἡσίοδον οὕτως λέγειν, et iam duo uersus afferuntur, quos Eoearum esse schol. Soph. Trach. 1174 docet. Cf. fr. CIL. *Asclepiades* (siue Archias) in Anthol. Pal. IX, 64 Hesiodo aperte haec carmina adscripsit:

Οὗ σὺ [Ἡσίοδε] κορεσσάμενος μακάρων γένος, ἔργα τε μαλπαῖς
Καὶ γένος ἀρχαίων ἔγραφες ἡμιθέων.

*Eratosthenes* apud Strabonem VII. p. 299. Cas. dicit: Οὐ θαυμαστὸν δ' εἶναι περὶ Ὁμήρου· καὶ γὰρ τοὺς ἔτι νεωτέρους πολλὰ ἀγνοεῖν καὶ τερατολογεῖν· Ἡσίοδον μὲν Ἡμίκυνας λέγοντα καὶ Μεγαλοκεφάλους καὶ Πυγμαίους. Haec ad tertium Catalogi librum pertinere, apparet ex iis testimoniis, quae fr. LXXI sq. posui. De eodem Eratosthene uide fr. LXXIX. De illo carmine nescio an intelligendum sit etiam *Herodoti* testimonium fr. LXXV, ita ut hic quoque Catalogum ad Hesiodi auctoritatem retulisse uideatur, quanquam dubitat, num Homerus Epigonorum auctor fuerit. Neque *Apollodorus* Catalogum Hesiodi esse negauit. Strabo VIII. p. 370. Καὶ Ἀπολλόδωρος δὲ μόνους τοὺς ἐν τῷ Θετταλίᾳ καλεῖσθαί φησιν Ἕλληνας· — Ἡσίοδον μέντοι — ἤδη εἰδέναι καὶ Ἕλληνας λεγομένους τοὺς σύμπαντας καὶ Πανέλληνας, περὶ τῶν Προιτίδων λέγοντα, ὡς Πανέλληνες ἐμνήστευον αὐτάς. De Proeti filiabus in Catalogo sermonem fuisse docet Eustathius p. 1746. 6. Uide fr. XXXVIII. Eoeas autem *Artemon* Hesiodi esse dixit. Schol. Pind. Pyth. III, 48. ἐπαινεῖ τὸν Πίνδαρον Ἀρτέμων — — — τὸν δὲ περὶ τὸν κόρακα μῦθόν φησι καὶ Ἡσίοδον μνημονεύοντα λέγειν οὕτω. fr. CXLII. In eorum, qui Hesiodum Catalogi auctorem dicebant, numero erat etiam *Apollonius Rhodius*, qui cum ad Scutum Hesiodo uindicandum eo argumento uteretur, ut in Catalogo quoque Iolaum Herculis auri-

gam esse diceret, hunc librum Ascraeo poetae non poterat abiudicare. Idem cadit in *Cratetem* apud schol. Theog. 142; de quo testimonio supra disputauimus. *Aristarchum* et *Aristophanem* Grammaticos longe grauissimos Goettlingius dicit de auctore dubitasse; sed quae eius rei testimonia affert ex iis prorsus nihil sequi patet. Nam Aristophanis iudicium (Grammat. ad Sc. p. 92. Goettl.) non ad Eoearum fragmentum, sed ad reliquam poematis partem pertinuisse facile perspicitur. De Aristarcho autem testimonia sunt Schol. Il. Ω, 25 et Eustath. p. 1337, 33. *Ἀρίσταρχος δὲ διὰ τὴν μαχλοσύνης λέξιν ἀθετεῖ τὸν στίχον· νεωτέρων γὰρ ἡ λέξις καὶ Ἡσιόδειος, ἐκείνου πρώτου χρησαμένου αὐτῇ ἐπὶ τῶν Προίτου θυγατέρων.* E quibus mihi quidem apparere uidetur Aristarchum carmen, quo de Proeti filiabus canebatur (erat autem Catalogus), Hesiodo adscripsisse. De eodem Aristarcho, Hesiodium aliquod carmen (probabiliter Catalogum) citante testimonium est schol. ad Il. Ψ, 638. *Ἀρίσταρχος δὲ διδύμους ἀκούει οὐχ οὕτως — — ἀλλὰ τοὺς διφυεῖς, δύο ἔχοντας σώματα, Ἡσιόδῳ μάρτυρι χρώμενος, καὶ τοὺς συμπεφυκότας ἀλλήλοις.* Cf. fr. XIV. Recentiores grammaticos, uelut Herodianum qui saepius Catalogum Hesiodi nomine addito citauit, praetermitto, neque de reliquis scriptoribus, quibus fragmenta debemus, dicendum uidetur; quorum testimonia e nostra collectione cognosci possunt. Ex iis autem, quae dixi, facile apparebit, iam antiquos et probatos scriptores haec carmina Hesiodo adscripsisse; quae res eo maiorem habet uim et grauitatem, quod ne unus quidem antiquiorum auctorum dubitasse uidetur. Nullum certe testimonium extat. Quare nescimus, qua auctoritate aut ratione ductus Pausanias, cum Catalogum Hesiodo confidenter adscriberet, Eoeae cui tribuendae essent auctori, in incerto reliquerit. Neque posteriorum scriptorum quisquam repertus est, qui Catalogum Hesiodi poema esse negaret. Eoeae autem nonnunquam sine auctoris

nomine afferuntur; ex qua re si quis colligeret de eo ab illis Grammaticis dubitatum fuisse, meo quidem iudicio temere iudicaret; quanquam *schol. Apollon.* IV, 57 Eoeas sine auctoris nomine citatas Hesiodi memoriae ita opponit, ut eas alii poetae tribuisse uideri possit. Sed ea re nihil effici docet simile testimonium ad II, 181, ubi Eoeae et Catalogus tanquam diuersa eiusdem Hesiodi poemata inter se opponuntur. Huius nomen additum est etiam ad II, 1123, omissum autem I, 118 et IV, 828. Idem de *scholiis Pindaricis* obseruare licet, in quibus ad Pyth. IV, 35 et Isthm. V, 53 Eoearum memoria Hesiodi auctoritate caret, cum cuius nomine afferuntur Pyth. IX, 6; ad Pyth. III, 14 aliqua dubitationis significatio addita est: *ἐν δὲ τοῖς εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένοις ἔπεσι φέρεται ταῦτα περὶ Κορωνίδος.* Apud reliquos scriptores Eoeis semper Hesiodi nomen adiunctum est.

Postquam igitur carminum genealogicorum Hesiodi nomen ferentium memoriam per totam antiquitatem, quantum quidem per testimoniorum numerum et conditionem licebat, persecuti sumus, hoc iam pro certo ponere possumus, neque Eoeas neque Catalogum a quoquam ueterum scriptorum ante Pausaniam uiuentium ab Hesiodo abiudicata esse; Pausaniam autem Catalogum quidem pro Hesiodio carmine habuisse, Eoearum autem auctor quis esset, nescire se professum esse. Cuius iudicii quem auctorem aut quas rationes Pausanias habuerit, pariter ignoratur, atque cur Theogoniam Hesiodium carmen esse negauerit VIII, 18, 1. *Ἡσίοδος μὲν ἐν Θεογονίᾳ πεποίηκεν (Ἡσιόδου γὰρ δὴ ἔπη τὴν Θεογονίαν εἰσὶν οἳ νομίζουσιν).* IX, 27, 2. *Ἡσίοδον ἢ τὸν Ἡσιόδῳ Θεογονίαν ἐσποιήσαντα.* IX, 36, 5. *Ἡσίοδος δὲ ἐν Θεογονίᾳ (προσιέσθω δὲ ὅτῳ φίλον τὴν Θεογονίαν).* Muetzellius p. 315 de hac re sic iudicat: „Nam ut in *Eoeis*, sic in hoc carmine Hesiodo abiudicando nequaquam reconditam quandam rationem secutus est ex rerum con-

templatione, siue ex obseruatione sermonis antiqui sollerter repetitum; uerum cessit Boeotorum narrationi Heliconis accolarum, inter quos integerrimam antiquitatis memoriam conseruari potuisse existimauerit. Quae quanquam non sine specie aliqua ueri dicta sunt, tamen aliquid dubitationis ex eo mihi oritur, quod Catalogum Hesiodi poema esse testatur. Quare suspicor eum in iudicio de Eoearum auctore grammatici alicuius sententiam probasse, qui Eoeas Hesiodi esse negauerat.

Explorato antiquitatis iudicio sequitur, ut ex ipsis carminum reliquiis inuestigetur, utrum reuera illa poemata Hesiodo adscribenda uideantur, an recentioris aetatis uestigia contineant.

## § 10.

### *De carminum aetate.*

Ac nemo fere nunc est, qui haec genealogica carmina Operum et Theogoniae auctori tribuenda esse censat et antiquitatis iudicium, sane quidem a nemine dum exploratum, sua assensione comprobet. Cuius sententiae nisi grauissimae adsunt rationes ii qui probatissimorum scriptorum testimoniis repugnantes nouam iudicandi rationem inierunt, uix poterunt temeritatis reprehensionem effugere. Et sane, si quid historicis argumentis e carminum ipsorum reliquiis deriuandis tribuendum est, nullo pacto intelligitur, quomodo illa carmina ei aetati conueniant, qua Ascraeus poeta grauissimorum auctorum testimoniis traditur floruisse. De qua quanquam inter ueteres grammaticos et chronologos magna fuit dissensio, ii tamen uidentur non ita multam a uero aberrare, qui Hesiodum centum aut paullo pluribus annis ante Olympiadum initium uixisse statuunt. Sed multo recentiore tempore haec poemata composita esse, certis potest argumentis effici, quae eatenus tantum aliquam ambiguitatem habent, quod ad utrum carmen referenda sint plerumque definire nequeas.

Prime autem loco ea argumenta ponam, quae aut certa ratione aut magna probabilitate ad Catalogum aut Eoeas pertinent, deinde ea breuiter comprehendam, quae quo referenda sint minus apparet. Ac de Eoearum quidem aetate nescio an certissimum argumentum Cyrenae fabula contineatur, quam Nympham, ut Pindarus Pyth. IX, 5 ait, Apollo;

*ὁ χαιτάεις ἀνεμοσφαράγων ἐκ Παλίου κόλπων ποτὲ*
*Λατοΐδας*
*ἅρπασ', ἔνεικέ τε χρυσέῳ παρθένον ἀγροτέραν δίφρῳ,*
*τόθι νιν πολυμήλου*
*καὶ πολυκαρποτάτας θῆκε δέσποιναν χθονὸς*
*ῥίζαν ἀπείρου τρίταν εὐήρατον θάλλοισαν οἰκεῖν.*

Huius narrationis fons erant Eoeae Hesiodi. Nam sic ait scholiasta ad h. l. *ἀπὸ δὲ Ἠοίας Ἡσιόδου τὴν ἱστορίαν ἔλαβεν ὁ Πίνδαρος, ἧς ἡ ἀρχή·*

*Ἢ οἵη Φθίῃ Χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσα*
*Πηνειοῦ παρ' ὕδωρ καλὴ ναίεσκε Κυρήνη.*

Cum reges Cyrenaeorum a Minyis generis originem deriuarent, colonia autem Cyrenaica oraculi Delphici auctoritate deducta esset, inde orta est illa fabula, qua Nympha Cyrena, cuius genus item ad Minyas referebatur, ab Apolline rapta et in Libyam translata dicebatur. Cf. O. Mueller. Orch. p. 344—358. Proleg. ad Myth. p. 63. 143. Vossii Epist. Myth. II, p. 95. Iam quum ille mythus non ante Cyrenam conditam oriri non potuerit, carmen, quo continebatur, post eam aetatem i. e. post. Ol. XXXVII, 2 (Cf. Clint. F. H. I. p. 204) factum esse apparet. Sic argumentatus est Muellerus, recte, ut uidetur; quanquam Cyrenae aedificatio etiam ad Ol. V, 2 refertur. Cf. Clinton p. 154. Alia fabula cum hac coniuncta ejusdem temporis indicium habet Schol. Apoll. IV, 209: *Ἡσίοδος δὲ καὶ Πίνδαρος καὶ Ἀντίμαχος εἰς Λιβύην διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φασιν ἐλθεῖν αὐτοὺς (τοὺς Ἀργοναύτας) καὶ βαστάσαντας τὴν*

*Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι.* Cf. Mueller. Orch. p. 357. Prol. p. 143.

Extant etiam alia posterioris aetatis signa, ad carmina genealogica, ut uidetur, referenda; ueluti quod Hesiodus dicitur cursores sine subligaculis certantes induxisse. Schol. ad Il. Ψ, 683 e cod. U. *Κατὰ τὴν ιδ' Ὀλυμπιάδα, ἐφ' Ἱππομένους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, Ὀλυμπίασι στάδιον θεόντων ἐν περιζώμασι συνέβη ἕνα αὐτῶν Ἔρσιππον* (*Ὄρσιππον* AD. *Ὄρσιππον* Eustath.) *ἐμποδισθέντα ὑπὸ τοῦ περιζώματος πεσεῖν καὶ τελευτῆσαι· ὅθεν ἐθεσπίσθη γυμνοὺς ἀγωνίζεσθαι μέχρι τοῦ νῦν. — νεώτερος οὖν Ἡσίοδος, γυμνὸν εἰσάγων Ἱππομένη ἀγωνιζόμενον τῇ Ἀταλάντῃ.* De Olympiadis numero, qua hic mos inductus sit, ambigitur. D. refert ad Ol. XXXII; cod. A. corrupta habet *τ' καὶ β'*. Cf. Boeckh. Corp. Inscript. I, p. 554. Goettling. praef. XVII. Cum igitur certamina sine cestis instituendi consuetudo post Ol. XIV demum orta sit, carmen quo hic mos ad heroica etiam tempora transferebatur, illa aetate recentius esse efficitur. Cf. Voss. Epist. Myth. p. 95.

Deinde mirabilia quaedam ab Hesiodo in poesin inducta esse dicuntur, ad quod genus pertinent grypes (Schol. Aesch. Prom. 793: *περὶ ὧν Ἡσίοδος πρῶτος ἐτερατεύσατο*), Longicipites, Semicanes, Pygmaei (Strab. VII. p. 299 Cas. *Ἡσίοδον μὲν Ἡμίκυνας λέγοντα καὶ Μεγαλοκεφάλους καὶ Πυγμαίους.* Cf. I, p. 43). Quorum monstrorum in Catalogo mentionem factam esse probabiliter colligitur ex Harpocr. u. *Μακροκέφαλοι· ἔθνος ἐστὶν οὕτω καλούμενον, οὗ καὶ Ἡσίοδος ἐν τρίτῳ καταλόγῳ μέμνηται.* Horum notitia non ante Colaei Samii itinera (Herod. IV, 152) Ol. XXX facta ad Graecos non peruenit (ficta enim sunt a nautis popularium admirationem captantibus), ita ut etiam his rebus Catalogi aetas quodammodo constitui possit.

Eorundem itinerum tempore aucta est terrarum atque populorum notitia, maxime occidentales Europae regio-

nes incolentium. Atque Hesiodo iam cogniti sunt Ligyes, (Strabo VII, p. 300) et Tyrrheni (I, p. 23). Latini etiam memoria Tyrrhenis imperantis, quae extat in ultimis Theogoniae uersibus (1013), eiusdem aetatis indicium continet.

Meminerat Hesiodus in Ulixis erroribus enarrandis (quos ad Catalogum referimus), etiam Ὀρτυγίας τοῦ πρὸς Συρακούσαις νησίου (Strab. I, p. 23), quod Muellerus Dor. I, p. 377 carmine post Syracusas conditas composito factum esse probabiliter suspicatur. Cf. ad fr. LXXIX.

Etiam Aegypti iam paullo accuratius cognitae uestigia in Hesiodi carminibus reperiebantur; e quo genere Busiris mentio est, quam Theo. Progymn. c. 6. (Walz. Rhet. Gr. I, p. 277) ex Hesiodo refert: κατὰ γὰρ Ἡσίοδον πρεσβύτερος Ἡρακλέους ἐστὶν ὁ Βούσιρις ἕνδεκα γενεαῖς. Cf. Mueller. Prol. p. 175.

Atque in uniuersum ad Hesiodum multa referebantur, quae posterioris essent aetatis, maxime rerum mysticarum initia; de quibus Lobeckium (Aglaoph. p. 308—310) audi sic disputantem: „Templi Eleusinii appositique ad custodiam draconis primus, quod litteris extet, Hesiodus memoriam prodidit Strab. IX, 393. Neque solemnium lustralium, quibus caedes expiantur, antiquior auctor extat. Didymus enim in Schol. Il. II, 336 quum narrasset Herculem interfecto Iphito a Neleo petiuisse ut se expiaret ab eoque repulsum arma ad Pylum expugnandam conuertisse, testem facit Hesiodum: ἱστορεῖ Ἡσίοδος ἐν καταλόγοις. — — Ad ultimum, si quaeritur, qua aetate prima medicinae auguralis, aruspicinae et ostentorum uestigia se ostendant, idem occurrit Hesiodus, seculi mystici quasi antecursor. Hic enim praebia et herbas magicas praedicauit, scripsitque Ὀρνιθομαντείαν Diebus subiunctam, Melampodiam, libros fatidicos (ἔπη μαντικά) et ostentarium siue ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν. Eiusdem de Curetibus et Satyris Bacchi Cybe-

laeque ministris extat testimonium Fr. XIII (Ddf.) omnium, quae habentur antiquissimum et Lactantius LXI. Fab. IV breuiter expositis Midae rebus, quem Matris magnae filium uocat, addit: „*sic cum Hesiodo consentit Ouidius.*“

## § 11.

Quae superiore paragrapho comprehendimus serioris aetatis uestigia in deperditis Hesiodi carminibus conspicua, eorum multa ad Eoeas et Catalogum pertinere aut certis testimoniis constat aut magna est probabilitas; nonnulla concedimus ad alia carmina referenda esse. Iam uero supra uidimus poemata illa genealogica per totam antiquitatem usque ad Pausaniae tempora pro Hesiodiis ita esse habita ut ad ipsum illum Hesiodum, qui etiam Theogoniam et Opera composuisse credebatur, non ad scholam poetarum eum principem atque quasi antesignanum agnoscentium referrentur. Cuius iudicii ueritatem duabus tantum rationibus, quarum tamen neutra probabilis uidetur, defendere aliquis possit, aut ita, ut Hesiodum (i. e. Operum et Theogoniae auctorem) eo demum tempore, quo illa carmina facta esse argumentis supra positis euincitur (i. e. circa Ol. XXX) floruisse dicat, aut ita, ut, quibus rebus genealogicorum carminum aetatem non ultra Ol. XX—XXX recedere demonstrauimus, eas non ab eorum auctore profectas esse sed recentioris temporis interpolationibus deberi contendat. Harum rationum neutram diximus probari posse; nam priori, qua utitur Vossius l. l. (Cf. Antiq. Geogr. p. XVI. XX. XXVI et Antisymb. I, p. 289), tum totius fere antiquitatis auctoritas repugnat, tum carminum superstitum indoles antiquiorem aetatem prae se ferentium obstat. Quanquam enim magna ueterum de Hesiodi aetate controuersia est et discrepantia, tamen probatissimorum auctorum testimonia (quae post Fabricium comprehendit Clinton. F. H.

I, p. 359 sqq. N. O.) ita consentiunt, ut Hesiodum saeculo fere antiquiorem faciant Olympiadum initio. Quod autem nonnulli Hesiodum ad Ol. XI referebant (Tzetz. Chil. XIII, 165. Procl. Γέν. Ἡσ. p. XLII. Goettl.), id eo minus in hac re ualet, quod etiam Homerus a quibusdam Archilochi aequalis discebatur. Euseb. Praep. Eu. X, 11: ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ὑπήγαγον σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες· ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασε περὶ Ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν, κατὰ Γύγην τὸν Λυδόν, τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον ἔτεσι πεντακοσίοις. Clem. Alex. I, p. 327 huius opinionis auctorem affert Theopompum. Cf. Clinton. p. 147.

Quod autem ad interpolationem attinet, res illae recentiorem aetatem prodentes nimis multae sunt, quam ut ea ratio ullam probabilitatem habere possit. Concedimus quidem carmina illa progressu temporum uarie immutata et aucta esse additamentis, quorum accessionem non solum ipsorum indoles facile patiebatur, sed etiam antiquis testimoniis memoriae proditum habemus; ueluti ab Aeliano U. H. XII, 36: Ἡσίοδος δὲ ἐννέα καὶ δέκα (Niobae liberos dicit), εἰ μὴ ἄρα οὐκ εἰσιν Ἡσιόδου τὰ ἔπη· ἀλλ' ὡς πολλὰ καὶ ἄλλα κατέψευσται αὐτοῦ; quanquam dubitari potest utrum totum carmen in quo illa Niobae memoria extabat Aelianus significauerit, an eam partem eius, quae ad Niobam pertinebat. Non magis certum est, uerbis πολλὰ καὶ ἄλλα utrum ad singulos quosdam uersus, an ad integra carmina referenda sint. Certius quid de Pausaniae uerbis (II, 26, 6) statuere licet: οὗτος ὁ χρησμὸς δηλοῖ μάλιστα οὐκ ὄντα Ἀσκληπιὸν Ἀρσινόης, ἀλλὰ Ἡσίοδον ἢ τῶν τινα ἐμπεποιηκότων ἐς τὰ Ἡσιόδου τὰ ἔπη συνθέντα εἰς τὴν Μεσσηνίων χάριν. In quibus τῶν τινα ἐμπεποιηκότων ἐς τὰ Ἡσιόδου uerba tantum aliquid ualent, quum antiquitatis indicium de Hesiodiorum carminum conditione ab genuina integritate aliena testentur. Nam quod ad eam catalogi (ibi enim Arsinoes fabulam locum habuisse supra de-

monstrauimus) partem attinet, qua Messeniorum de Aesculapio narratio continebatur, ea quominus interpolata habeatur, illud obstat, quod Pausaniae iudicium fluctuasse uidetur (*Ἡσίοδον ἢ κτλ.*), et si dubitabat, dubitationis ratio non certo testimonio, sed ipsius coniectura nitebatur, cuius examinandae facultas etiam nobis est concessa, cum ipse argumentum afferat. Ex eo intelligitur *ἐς τὴν Μεσσηνίων χάριν* uerbis item scriptoris explicationem, non antiquam famam contineri, neque probari posse Heinrichii (Epimenid. p. 152 et 159) argumentationem, qui ad eorum explicationem musici certaminis in Ithomaeis instituti Pausan. IV, 33, 3) memoriam adhibuit.

Si praeterea Theogoniae et Operum exempla assumimus, quibus antiquis criticis interpolatorum operam conspicuam esse persuasum erat, neque *Ceycis Nuptiarum* (quas Plutarchus *εἰς τὰ Ἡσιόδου παρεμβεβλῆσθαι* dicit Symposiac. VIII, 8) conditionem negligimus, nullo modo dubium esse potest, quin genealogica carmina magnam experta sint interpolandi operam. Sed tamen ea cogitatione non licebit omnia illa exempla remouere, quibus recentioris aetatis uestigia deprehendimus. Quare prudentissime ita agemus, ut haec poemata contra antiquitatis auctoritatem a Theogoniae et Operum auctore abiudicemus et post Ol. XXX composita credamus.

---

## Caput III.

### De Scuto Herculis.

#### § 1.

*De Eoearum fragmento carmini praemisso.*

Ab Eoeis aptissimus est ad Scutum Herculis transitus; quod tamen illarum partem fuisse primus pronuntiauit Canterus Nou. Lectt. IV, c. 3. p. 256, huius

sententiae auctorem se habere uirum doctissimum, Io. Auratum, professus. Quam sententiam licet postea multi amplecterentur, uelut Flor. Christ. ad Aristoph. Pac. 832 (Tom. IV, p. 527) aliique, tamen non deerant, qui eam sibi persuaderi negarent; in quibus est Langbaenius ad Longin. l. l., hoc potissimum argumento usus, quod Eoeae et Scutum Herculis ut distincta opera a Suida et Tzetza (addere poterat Proclum ad Hes. l. l., quem Tzetza auctorem sequitur [a])) laudarentur. Quae ratio quam infirma sit, facile est coarguere. Etenim illi scriptores, quum Eoeas ex aliorum tantum testimoniis cognitas haberent, Scutum autem ut Hesiodium carmen circumferri uiderent, facile poterant in eum errorem induci, ut alterum carmen ab altero prorsus diuersum esse existimarent. Nec tamen plane ineptum est aut falsum Langbaenii iudicium, quum non totum carmen, quale nunc habemus, sed sex tantum et quinquaginta uersus priores Eoearum partem fuisse constet. De qua re ut omnis nunc absit dubitatio, Heinrichius egregia disputatione, Scuti editioni praemissa (Proleg. p. LV—LXVII), effecit. Certum autem de ea re testimonium extat, cujus auctoritas et fides nulla ratione in dubium uocari potest. Schol. ad Scut. p. 92 Goettl. *Τῆς Ἀσπίδος ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ δ' Καταλόγῳ* [*ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν Καταλόγων* REHD.] *φέρεται μέχρι στίχων ν' καὶ ς'* [b]), quae non Tzetzaeo ingeniolo conficta, sed e doctissimae antiquitatis eruditione seruata esse ipsa testimonii ratio docet et facile ex iis, quae subiecta sunt, intelligitur.

Ad hoc testimonium aliae rationes aeque graues accedunt, quarum prima est commissura inter u. 56 et

---

a) Ceterum neque Suidas neque Tzetza neque Proclus Eoeas nominant, sed *Κατάλογον*. Nititur igitur Langbaenii iudicium uulgari de his carminibus sententia, qua non discernebantur.

b) Add. et cod. Rehd. *ν' καὶ ς'*. Corr. Sam. Petitus de Legg. Att. p. 402. De emendationis necessitate cf. Heinr. p. LXIV.

57, qua transitus fit, tam ineptus, ut conglutinationis suspicionem uehementissime moueat. Uid. Heinr. p. LV. Deinde pugna inter Herculem et Cycnum commissa, cuius narrationi copiosa clypei descriptio inserta est, ab Eoearum consilio alienissima uidetur; neque perspicitur, quomodo post tam longam digressionem, in qua Alcmenae ne leuissima quidem memoria extat, poeta ad alius heroinae laudes commode transire formulaque ἢ οἵη apte uti potuerit. Alia potius in hac Eoea narrata fuisse colligitur ex Aspas. ad Aristot. Ethic III, 3. fr. CL; de qua re exposuit Heinrichius p. IX, qui etiam ea, quae a scholiasta ad Pind. Isthm. VI (V), 53 (fr. CLXII) de Herculis apud Telamonem hospitio et Aiacis nomine traduntur, huc retulit. Uerum eam rem non credo in eadem Eoea locum habuisse, quum nullo argumento effici possit omnes de Hercule fabulas in una eademque carminis parte narratas fuisse, in illo autem Pindarici scholiastae testimonio Telamonis memoria potior uideatur. Quodsi e coniectura probabiliter ponitur, illud pro certo dici potest, Herculis contra Pylum expeditionem nullo pacto ad hanc caussam adhiberi debuisse ab Heinrichio p. LXI, quanquam in eadem opinione Muellerus est Dor. II, p. 479, neque Goettlingius praef. p. XXVII dissentit. Ea enim res certissimis testimoniis ad Catalogum et ad primum quidem eius librum refertur. Cf. fr. XV. XVI.

## § 2.

### *De reliqua parte.*

Quum igitur ad Eoeas sex tantum et quinquaginta uersus priores pertinuisse constet, hanc partem iam mittamus et ad reliqui carminis iudicationem nos conferamus. Hoc in duas partes diuersas „dignosci" posse Goettlingius p. XXVII animaduertit, alteram (u. 57 — 140. 317 — 480), in pugnae narratione uersantem,

alteram (141 — 316) clypei descriptionem exhibentem. Et priorem quidem, quam interpolationibus quibusdam exceptis item ex Eoeis sumptam esse Ulricius p. 365 sq. censet, e diuersis partibus conflatam iudicauit Thierschius de Hes. p. 28, u. 79 — 95 epyllium quoddam ab antiqua carminis formula alienum existimans, et hunc olim narrationis ordinem fuisse:

> u. 78. *Ἥρως ὦ Ἰόλαε, βροτῶν πολὺ φίλτατε πάντων,*
> u. 97. *Ἰθὺς ἔχειν θοὸν ἅρμα καὶ ὠκυπόδων σθένος ἵππων.*

Quod quum Goettlingius ad u. 79 probasset, Hermannus Opusc. VI, 1, p. 194 recte monuit, u. 79 — 94 propterea uideri genuinos et ab interpolationis suspicione liberos, quod iis recisis non esset, quo Iolai responsum apte referretur; neque Herculem Iolaum imperare potuisse, ut currum contra Cycnum dirigeret, antequam ipse arma induisset. His rationibus adductus hanc fuisse existimat Hermannus genuinam carminis formam, ut post u. 77 positis u. 95 — 101 omissaque armorum descriptione cum dialogo et uersibus 338 sqq. immutatis sic oratio continuaretur:

> *ὣς εἰπὼν ἐς δίφρον ἔβη Διὸς ἄλκιμος υἱὸς*
> *ἐσσυμένως· τότε δή ῥα διόγνητος Ἰόλαος*
> *σμερδαλέως ἵπποισιν ἐκέκλετο.*

Hodiernam autem carminis formam diuersarum recensionum conglutinationi tribuere uidetur.

Sed quum omnino difficillimum sit atque periculosissimum certi quid de tali carmine pronuntiare, eo minus hanc coniecturam probare audeo, quod in eam dubitatio eadem cadit, qua Goettlingii sententia impugnari potest. Nam illa carminis parte eiecta illud ipsum amittitur, a quo totius inscriptio petita est. Deinde ut u. 95 — 100 suo loco non aptos esse concedam, tamen incertum est, utrum librariis et diasceuastis, an ipsius poetae imperitiae et inscitiae eius rei culpa sit tribuenda. Ea autem

dubitatio eo grauior uidebitur, si quis uniuersam auctoris artem totiusque instituti rationem a uera poesi alienam considerauerit; de qua re hic non copiosius exponendi locus est. Denique illud contra Hermannum moneo, si illa, quam statuit, antiquissima carminis fuit conditio, nullam perspici rationem, cur alius tam grauiter non commutauerit sed corruperit antiquae narrationis ordinem. Quae res eo maiorem habet uim, quod non simpliciter interpolatum habemus ex Hermanni sententia carmen, sed uiro doctissimo uariis machinis opus est ad id quod uult efficiendum. Sed quid tam studiose contra coniecturam disputo, cui auctor ipse fortasse non multum tribuit? nec difficile esset si hariolari liceret, plures rationes pariter probabiles paribusque obnoxias difficultatibus excogitare.

Sed his missis ad clipei descriptionem transeo, quam Thierschius l. l. reliqua parte antiquiorem iudicat, pugnam autem, ut armorum aliquis esset usus, postea adiectam esse c). Longe aliter sentit Goettlingius, qui ex eo, quod Persei imago e Scuto pendere dicitur, totam hanc partem poetae alicuius Alexandrini esse suspicatus est ad u. 217. Sed hoc minime ex illa imagine sequi ostendit Hermannus p. 198 sq. Uerum ne hoc quidem concedi potest, postea insertam esse hanc poematis partem; nam quem genuinum carminis tenorem fuisse arbitratur uir clarissimus (ad u. 139):

c) Verba eius haec sunt: „Wie die Theogonie ursprünglich einfach und fast nur auf Namen beschränkt war, so das vorliegende Gedicht auf die Beschreibung des Schildes. Beides genügte beim öffentlichen Vortrag derselben weder den Rhapsoden noch den Zuhörern, und so griffen jene aus dem Vorrath epischer Gesänge, die sie im Gedächtnisse bewahrten, einzelne Stücke heraus, um das einfachere Lied damit zu umgeben und zu schmücken." Quae propterea adscripsi, quod Goettlingius ad u. 139 Thierschii sententiam non recte retulit: „Aliter Thierschius, qui u. 139—319 additos putat."

140. *Χερσί γε μὲν σάκος εἶλε πανάιολον· οὐδέ τις αὐτὸ*
141. *Οὔτ' ἔῤῥηξε βαλών, οὔτ' ἔθλασε, θαῦμα ἰδέσθαι,*
318. *θαῦμα ἰδεῖν καὶ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ, οὗ διὰ βουλὰς κτλ.*

eum minime aptum esse et commodum facile intelligitur. Primum enim non perspicitur, quomodo scutum *θαῦμα ἰδέσθαι*, *θαῦμα ἰδεῖν καὶ Ζηνί* dici potuisset, nisi saltem aliquid de admirabili eius pulcritudine et ornatu fuisset narratum. Deinde in orationis conformatione nescio quid inepti inest, quia uerba *θαῦμα ἰδέσθαι* nequeunt opponi his: *θαῦμα ἰδεῖν καὶ Ζηνί*. Neque similis est, quem citauit uir doctissimus Pindari locus Pyth. I, 47, ubi optima est oppositio: *τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παρεόντων ἀκοῦσαι.* Cf. Hermann. p. 196.

## § 3.

### *De carminis origine.*

Quum igitur Goettlingii sententiam probare nequeam, quid mihi de carminis origine uideatur dicendum. Sic autem existimo, tum pugnae narrationem tum clipei descriptionem uni eidemque poetae deberi. Nam Scuti descriptio propterea pro peculiari carmine haberi nequit, quod quid ea sibi uelit non perspicitur, nisi etiam de usu Scuti aliquid addatur; a pugnae autem narratione plenius armorum recensus minime alienus uideri debet. Neque illud in hac caussa diiudicanda negligendum est, quod carmini ab ea ipsa parte, quam uiri doctissimi ab antiquissima eius forma abiudicauerunt, nomen est impositum. Quam rationem aliquid habere momenti non negabit, qui simul reputauerit, non pugnae Herculeae memoriam, sed scuti descriptionem potissimum in caussa fuisse uideri, ut omnino hoc carmen componeretur, quanquam nolim in hac re multum grammaticorum testimoniis [p. 92 Goettl. et Eustath. ad Il. Ξ. p. 1154, 12 (1209) *δοκεῖ γὰρ ἐκείνη*

*Ὁμηρικῷ πεποιῆσθαι ζήλῳ κατὰ τὴν ὅλην Ἰλιάδα*]: tribuere, qui Homerici scuti imitationem poematis originem fuisse tradunt. Sic igitur existimo, poetam aliquem, quum Homericam Achillei clipei descriptionem magna cum laude et admiratione ab audientibus excipi uideret, periculum facere uoluisse, num similis rei tractatio parem assequeretur gloriam. Suscepit igitur Herculei scuti imaginem depingendam, cui rei ut apta esset occasio, pugnam aliquam Herculis addendam esse intellexit. Si autem quaeritur quomodo id carmen cum Eoearum particula coniunctum sit, de ea re Heinrichius p. LXVI probabiliter disputat: „— commodam rei experiundae occasionem praebuerunt ipsae *Ἠοῖαι*, ad certamina musica ex more adhibitae: decerptus ex integro poemate locus de Alcmena et Herculis natalibus, sed non totus, quippe rhapsodi consilio repugnante, imo uero usque eo tantum perductus, quo ad fabulam de pugna Herculea et herois *πανοπλίαν* splendide exornandam qualiscunque transitus esset. Temporis naufragio postea *Ἠοῖαι* intereiderunt, Alexandrinis adhuc lectae; seruata est haec *ῥαψῳδία* uel *ἐπίδειξις ἀγωνιστική*, addito, cum plura exempla conficerentur, indice *Scuti Herculis*, cum Hesiodi nomine.“ Sic autem statuendum est, Eoearum particulam non postea a librariis aut diasceuastis carmini additam esse, sed ipsum poetam antiquioris poematis uersus cum suis ad unius carminis formam coniungere uoluisse. Itaque Scuti initium per totam antiquitatem inde ab eo tempore quo hoc opusculum compositum est usque ad eam aetatem, qua Eoeae interierunt, duorum simul carminum partem fuisse. Hoc non in sola coniectura positum, sed antiqui scholii testimonio „*φέρεται ἐν τῷ δ΄ καταλόγῳ*“ traditum est; e quo etiam hoc apparet, nihil inter u. 56 et 57^um^ intercidisse, sed ineptum illum transitum ipso auctori deberi; de cuius iudicio pulcrique sensu parum honorifice licet iudicare.

Sed hodiernam totius carminis formam a pristina integritate longe abesse minime negamus; sed multa, maxime in ea parte, qua Scuti imagines depinguntur, siue ad augendum earum numerum, siue ad singulas imagines exornandas posteriore tempore addita esse fere contendimus. Qui uero genuini sint uersus, qui spurii, nunc eo minus decernere licet, quod ab hoc poeta, cuius totum institutum a uera poesi abhorret, minime id exigere debemus, quod in quaque re aptum uenustumque est. Certe ea res longam disquisitionem requirit. Hermannus quidem p. 204 — 214 singulas interpolationes inuestigare studuit, quod quanquam sagaciter et ingeniose instituit, tamen quum res sit in sola coniectura posita, amplam contra dicendi materiam fecit, quam diligenter excutere et persequi, quum ad uniuersam carminis notitiam non pertineat, ab nostro consilio alienum peculiarique scriptioni reponendum putamus. Neque de archaeologica Scuti ratione eiusque cum Homerici similitudine aut diuersitate dicere harum est commentationum; de qua re, si placet, conf. quos citauit Bodius p. 454. Not. 2.

## § 4.

### *De Scuti auctore et aetate.*

Iam uero si recte eam carminis partem, quae Eoearum fragmento subiecta est, uni poetae adsignandam esse iudicauimus, dubium uideri non potest (de quo dubitari posse dicit Goettlingius p. XXVII), quo ueterum testimonia in antiquo scholio saepius citato exstantia spectent. Uerbis enim supra positis haec adiecta sunt: *ὑπώπτευκε δὲ Ἀριστοφάνης, οὐχ ὁ κωμικός, ἀλλά τις ἕτερος, γραμματικός, ὡς οὐκ οὖσαν αὐτὴν Ἡσιόδου, ἀλλ' ἑτέρου τινὸς τὴν Ὁμηρικὴν ἀσπίδα μιμήσασθαι προαιρουμένου. Μεγακλῆς δὲ ὁ Ἀθηναῖος γνήσιον μὲν οἶδε τὸ ποίημα, ἄλλως δὲ ἐπιτιμᾷ τῷ Ἡσιόδῳ. ἄλογον γάρ φησι ποιεῖν Ἥφαιστον τοῖς τῆς μητέρος* (sic) *ἐχθροῖς ὅπλα παρέχοντα. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ γ' φησὶν αὐτοῦ εἶναι*·

*ἔκ τε τοῦ χαρακτῆρος καὶ ἐκ τοῦ τὸν Ἰόλαον ἐν τῷ Καταλόγῳ εὑρίσκειν ἡνιοχοῦντα τῷ Ἡρακλεῖ. ὡσαύτως δὲ καὶ Στησίχορός φησιν Ἡσιόδου εἶναι τὸ ποίημα.*

Haec non ad Eoearum particulam, sed ad reliquum carmen, quod iure *Ἀσπὶς Ἡρακλέους* dici poterat, pertinere patet; quare Ulricius p. 363 iis testimoniis non recte usus est, quod Aristophanem grammaticum cum Goettlingio Eoeas Hesiodo abiudicasse dicit. In Eoeis enim initium tantum usque ad u. 56 legebatur; Aristophanem uero de altera parte Homerici clipei imitationem referente dixisse uerba *τὴν Ὁμηρικὴν ἀσπίδα μιμήσασθαι προαιρουμένου* ostendunt. Neque nobis cum Goettlingio dubitandum est, de utra carminis parte testimonia intelligamus; nam unam tantum agnoscimus. Quum igitur Aristophanes primus, ut uidetur, de auctore dubitaret [a]), Apollonius Rhodius carmen uere Hesiodium esse indicauit; sed quibus usus est argumentis, iis prorsus nihil effici patet. Similiter Stesichorus iudicasse dicitur, cuius nomen Goettlingius l. l. Not. dubitat an corruptum sit eique Philochorum substituendum esse censet. Heinrichius p. LXIII. N. 8: „Tandem," inquit, „quid faciamus Stesichoro, qui certe clarus poeta lyricus Himeraeus non fuit?" Hunc ipsum intellexit Muellerus Dor. II, p. 480; rectissime, ut opinor, quum multa eiusmodi exempla in antiquis poetis reperiantur. Sic Pindarus Opera et Dies Hesiodo, Odysseam Homero tribuit (Isthm. V, 67. Nem. VII, 20. cf. Pyth. IV, 277). Idem Homerum [Chium et] Smyrnaeum, Simonides Chium dixerat. (Uita Hom. in Gal. opusc. myth. p. 283. Uita Hom. II ap. Wassenbergh. in Paraphr. Il. *Ὅμηρος ὁ ποιητὴς ἦν .... τὸ γένος κατὰ μὲν Πίνδαρον Σμυρναῖος, κατὰ δὲ Σιμωνίδην Χῖος*). Pindarus et Alcman Polymnesti musici mentionem fecerant (Plutarch. de Mus. c. 5:

---

a) Similiter Aristophanes primus *Χείρωνος ὑποθήκας* Hesiodo abiudicasse traditur Quintil. I, 1, 15.

*Τοῦ δὲ Πολυμνήστου καὶ Πίνδαρος καὶ Ἀλκμὰν ἐμνημόνευσαν.* Strabo XV, p. 952: *λέγει δὲ Πίνδαρος καὶ Πολύμνηστόν τινα τῶν περὶ τὴν μουσικὴν ἐλλογίμων· „φθέγμα μὲν πάγκοινον ἔγνωκας Πολυμνάστου Κολοφωνίου ἀνδρός“).* Pindarus Cypria carmina dixerat Homerum filiae dotem dedisse (Aelian. IX, 15). Simonides *Ἄθλους ἐπὶ Πελίᾳ* ut Stesichorium carmen laudauerat (Athen. IV, 172 d. *ὅτι δὲ τὸ ποίημα τοῦτο Στησιχόρου ἐστίν, ἱκανώτατος μάρτυς Σιμωνίδης ὁ ποιητής*). Callinus Thebaidem cyclicam Homero adscripserat Paus. IX, 9, 3: de quo loco non satis considerate iudicauit Nic. Bachius ad Call. Tyrt. et As. rel. p. 21 sq. Schol. Pind. Ol. XIII, 31: *καὶ ποιηταὶ διασημότατοι ἐν Κορίνθῳ ἐγένοντο, ὧν ἦν καὶ Ἄυσων, οὗ μέμνηται Σιμωνίδης.* Plutarch. de Mus. p. 1134 A. *καὶ ἄλλος δ' ἐστὶν ἀρχαῖος νόμος, ὅν φησιν Ἱππῶναξ Μίμνερμον αὐλῆσαι.* Athen. XII, p. 512 f. *καὶ Ξάνθος δ' ὁ μελοποιὸς πρεσβύτερος ὢν Στησιχόρου, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ Στησίχορος μαρτυρεῖ.* Cf. Welcker. de cycl. ep. p. 198. Boeckh. ad Pind. fr. p. 654. Ab epica quidem poesi hoc est alienissimum, sed lyricae ingenio conuenit. Itaque etiam Stesichorus aliquem Scuti uersum respicere Hesiodique nomen addere poterat, fortasse eodem modo, quo usus est Simonides apud Athenaeum l. l. *οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στησίχορος ἄεισε λαοῖς.* Quod si fecit Stesichorus (de carmine eius, cui Cycno nomen erat, recte cogitauit Muellerus) etiam aetas nostri poematis probabiliter constitui potest, de qua Heinrichius p. LXVIII sic iudicat, ut carmen ad Solonis et Tyrtaei tempora referendum esse cum Ios. Scaligero (in Epist. ad Salm. Opusc. uar. p. 466) existimet. Cuius aetatis fines tam lati sunt, ut in ea constituenda facile fuerit errorem effugere. Sed contrahi etiam posse sine magno erroris periculo uidentur. Quum enim carmen Eoeis antiquius esse nequeat, quae cui aetati assignandae uiderentur supra disputauimus, Stesichorus autem secundum antiquorum scriptorum testimonia fere intra

Ol. XL et L floruerit [b]), Scuti originem ad Ol. XXX — XL referri consentaneum est. Hac una ratione concidit copiosa Robinsonis disputatio, Scutum ipsi Hesiodo uindicare conantis (p. LIII—LVII Loesn.), cuius si argumenta accurate enarrare et refutare copiose uellem, uereor ne chartas perdidisse iudicarer.

Additum est in scholio de Megacle quodam Atheniensi testimonium, de quo nihil dicere possum nisi ignorationem profiteri, quum mihi non magis quam Heinrichio p. LXII. N. 8) contigerit, ut alibi eius memoriam inuenirem.

Sed his Stesichori Apollonii et Megaclis iudiciis nihil tribuendum esse patet. Atque Stesichorus quidem aliter atque dixerat iudicasse uideri potest; sed quum iam illa aetate carmen plerumque ut Hesiodium circumferretur, eam opinionem fortasse ut alicuius rei dignitatem claro nobilis poetae nomine augeret, cupide ab eo arreptam fuisse suspicor. Quanquam etiam uere, ut dixit, sensisse eum potest concedi, praesertim quum illo tempore artis criticae ne elementa quidem cognita fuisse reputemus. Quare si Stesichorus alicubi poema recitari Hesiodique esse audiuerat, non est quod acriter negemus, eum huic famae fidem habuisse, de cuius ueritate fortasse ne cogitauit quidem quaerere. Quare antiquissimum lyrici poetae testimonium multo minorem in hac caussa diiudicanda auctoritatem habere debet, quam recentiorum iudicia grammaticorum. Hi enim, quum sine dubio multiplici de carminum auctoribus memoria et uariorum testimoniorum multitudine uterentur, antiquae famae genera et plenius cognoscere et examinare accuratius poterant. Quod num etiam in hoc poema cadat quum dubitari queat, hoc pro certo ponere licet, grammaticis alia quaestionis diiudicandae auxilia, partim in orationis cognitione posita, partim

b) Cf. Klein. ad Stes. fragmenta.

ex fabularum peruestigatione et comparatione petita praesto fuisse. Quanquam ii quoque aut peruerso iudicio usi aut non sat probabiles secuti rationes nonnunquam a uero mirum quantum aberrauerunt. Sic non immerito Apollonii argumentum, quod secundo posuit loco scholiasta, mirere; quo nihil effici patet. Alterum autem ad carminis indolem pertinens (uidebatur enim ei Ἡσιόδειον χαρακτῆρα habere) quomodo proferre potuerit non intelligo, nisi ἢ οἵη formula Hesiodium ingenium contineri putabat [c]). Alii enim grammatici Homericam imitationem agnoscere sibi uidebantur. Nec uana erat eorum existimatio. Nam praeter ipsius Scuti imitationem in reliqua carminis parte, maxime autem in pugna ipsius narratione pugnae tot Homerici studii exempla extant, ut omnem fere ornatum imaginumque copiam et splendorem ex Homero petiisse uideatur. Optime de hac re monuit Heinrichius ad u. 374; qui plurima imitationis exempla in commentariis diligenter significauit. Cf. ad u. 374, 380, 383—385, 386 sqq., 390, 393—401, 402—404, 415, 416 sqq., 421—423, 426 sqq., 430, 437—442 [d]). His fortasse et aliis rationi-

---

c) Miror Weichertum in accuratissimo de Apollonio libro haec et reliquas eius de Hesiodo notationes neglexisse, de quibus cf. Muetzell. p. 287.

d) Uersus 393—397 ex Oper. 582 sqq. expressi sunt, qua obseruatione uti licet, ut Sc. u. 396 ἀοιδὴν (ut praeter libros a Muetzellio p. 36 citatos etiam Rehdigeranus a me collatus habet) Muetzellio auctore restituatur, Op. 583 autem pro καταχεύετ' ἀοιδὴν reponatur καταχεύει ἀοιδήν. Medium enim intransitiuam defluendi significationem habet. Etiam Sappho a Muetzellio citata (fr. 55) actiuum uidetur legisse:

πτερύγων δ' ὕπο καχχέει λιγυρὰν ἀοιδάν.

Hoc uersu etiam κατὰ praepositio cum χεύειν uerbo composita confirmatur, pro qua nonnulli libri ἐπὶ habent. Etiam scholia actiuum interpretantur: Ὁπηνίκα δὲ ὅ τε (sic scribendum est pro ὅτε) σκόλυμος ἀνθεῖ καὶ ὁ μουσικὸς τέττιξ δένδρῳ ἐπικαθήμενος λιγυρὰν.

bus ducti posteriorum grammaticorum multi carmen esse Hesiodi dubitauerunt aut negauerunt. Crameri Anecd. Gr. IV, p. 315: Ἔκτον κρίσις ποιημάτων· πολλὰ γὰρ νοθευόμενά ἐστιν, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀντιγόνη· λέγεται γὰρ εἶναι Ἀντιφῶντος (Ἰοφῶντος corr. Cram.) τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ· ὁμοίως τὰ Κυπριακά, καὶ ὁ Μαργίτης, Ἀράτου τὰ Θυτικὰ καὶ τὰ περὶ Ὀρνέων, Ἡσιόδου Ἀσπίς. Theodos. Gramm. p. 54, 22 ed. Goettling. Εἰσὶ γὰρ πολλὰ ψευδεπίγραφα τῶν βιβλίων, ὡς ἡ Ἀσπὶς Ἡσιόδου, ἥτις οὐκ ἔστιν Ἡσιόδου, ἀλλ' ἑτέρου τινός, ὃς ἐχρήσατο ἐπιγραφῇ καὶ ὀνομασίᾳ Ἡσιόδου, ἵνα τὸ ποίημα κριθῇ ἄξιον τῆς ἀναγνώσεως καὶ ἀξιοπιστίας τοῦ ποιητοῦ Ἡσιόδου. Cf. Goettl. praef. ad Theod. p. XII. Villoison. Anecd. Gr. II, p. 174. Schol. ad Dionys. Thrac. gramm. in Bekk. Anecd. p. 672. 1163. Longinus de subl. XI, 5: εἴ γε Ἡσιόδου καὶ τὴν Ἀσπίδα θετέον. Scriptorum citationes ita comparatae sunt, ut uersus huius carminis plerumque cum Hesiodi nomine, raro inscriptione addita [e]), afferantur. Dubitationem praeterea de auctore legere me non memini. Sed huic rei multo minus tribuendum est, quam quod Pausanias testimonio nobilissimo, quo carminum Hesiodiorum recensum exhibet, Scuti mentionem non fecit. Proclus et Suidas Ἀσπίδα Hesiodiis poematis adnumerant.

De carminis uirtutibus et uitiis iudicationem artis leges exactam quanquam a nostro consilio alienam putamus, hoc tamen monere liceat, non satis felicem fuisse Homeri imitatorem et, quum sublimitati et granditati studeret, saepius foedas imagines et a uenustate abhorrentes exhibuisse, quod iam Longinus l. l. uituperauit:

---

ᾠδὴν ἐπιχέει. Ualde igitur recens est corruptela. Simili uitio Hermannus Theog. u. 746 liberauit, ubi ἔχει pro ἔχετ' scribi iubet.

e) Addidit Athenaeus V, p. 180 E. u. 205 citans. Sed quae apud Apollodorum legebantur II, 4, 2, 7, ea ut ab huius scriptoris breuitate aliena, acri iudicio Heynius exterminauit.

ᾧ ἀνόμοιόν γε τὸ Ἡσιόδειον ἐπὶ τῆς Ἀχλύος, εἴ γε .... θετέον· „τῆς ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον.“ οὐ γὰρ δεινὸν ἐποίησε τὸ εἴδωλον, ἀλλὰ μισητόν. Hac macula maxime contaminati sunt uersus 248—272. cf. Thiersch. p. 27 not.

---

## Caput IV.

### De carminibus cum Eoeis coniunctis.

#### § 1.

#### Κήυκος γάμος.

A *Scuto Herculis* ad *Ceycis Nuptias* transimus, quod carmen simili ratione cum Eoeis coniunctum fuisse a plerisque creditur. Primus hoc pronuntiauit Harlesius ad Fabr. Bibl. Gr. I, p. 579. cf. p. 593; nec aliter sentiunt Heynius Obseru. ad Apollod. T. II, p. 76. Goettlingius praef. p. XXVII sq. et in Encycl. uniu. litt. et artt. Tom. VII. Sect. II, p. 403. Muellerus Dor. II, p. 481. Et hoc sane probabile uidetur, si quidem Plutarchi uerbis Symposiac. VIII, 8 p. 750 E. eius rei significatio continetur: ὡς ὁ τὸν Κήυκος γάμον ἐς τὰ Ἡσιόδου παρεμβαλών, ubi τὰ Ἡσιόδου Catalogos aut Eoeas interpretantur. De Catalogis minus cogitari uelim. Plutarchus igitur carmen Hesiodo abiudicabat; quod eum non suo iudicio nixum sed antiquiorum sententias grammaticorum secutum fecisse ex Athenaei testimonio colligitur II, p. 49 B. Ἡσίοδος ἐν Κήυκος γάμῳ (κἂν γὰρ γραμματικῶν παῖδες ἀποξενῶσι τοῦ ποιητοῦ τὰ ἔπη ταῦτα, ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ ἀρχαῖα εἶναι). Hesiodo tribuunt Pollux VI, 83. Schol. Apollon. Rhod. I, 1290.

Nomen accepisse carmen uidetur ab epularum in Ceycis nuptiis laute factarum descriptione copiosa et splendida, in qua magna poematis pars uersabatur. Ad hanc descriptionem refero Athenaei et Pollucis testimonium fr. CLXV.

Quam Ceyx in matrimonium duxerit nescimus, quum non uerisimile sit recentiorem de Ceyce et Alcyona fabulam fuisse immixtam, quam narrat Apollodorus II, 7, 4, 1: Ἀλκυόνην δὲ Κήυξ ἔγημεν Ἑωσφόρου παῖς· οὗτοι δὲ δι' ὑπερηφάνειαν ἀπώλοντο· ὁ μὲν γὰρ τὴν γυναῖκα ἔλεγεν Ἥραν, ἡ δὲ τὸν ἄνδρα Δία· Ζεὺς δὲ αὐτοὺς ἀπωρνέωσε καὶ τὴν μὲν ἀλκυόνα ἐποίησε, τὸν δὲ κήυκα. Cf. Schol. Aristoph. Au. 251. Heynius quidem (Obseru. p. 42 et 194) hunc Luciferi filium non diuersum statuit a Trachiniorum rege, de quo Apollodorus haec tradit II, 7, 6, 4: (Ἡρακλῆς δὲ διέγνω πρὸς Κήυκα εἰς Τραχῖνα ἀπιέναι, ibid. sect. 7 § 2: ὡς δὲ ἧκεν (Ἡρακλῆς) εἰς Τραχῖνα πρὸς Κήυκα, ὑποδεχθεὶς ὑπ' αὐτοῦ Δρύοπας κατεπολέμησεν. II, c. 8 init. μεταστάντος δὲ Ἡρακλέους εἰς θεοὺς οἱ παῖδες αὐτοῦ φυγόντες Εὐρυσθέα πρὸς Κήυκα παρεγένοντο. Huius Ceycis filium Hippasum dicit Apollod. II, 7, 7, 8, filiam, Cycni uxorem, Θεμιστονόην commemorat auctor Scuti u. 356. Sed hunc Ceycem cum Alcyonae marito non confundendum esse monuit Muellerus, caussa non significata, quam inuenisse mihi uideor. Etenim Alcyonae maritus erat Luciferi filius, quare ab Ouidio Metam. XI, 445 *sidereus coniux* dicitur, Trachiniorum autem rex, ad quem hoc carmen pertinebat, Electryone natus dicebatur. Schol. ad Soph. Trach. u. 40: τῷ Κήυκι, ὃς ἦν παῖς Ἀμφιτρύωνος ἀδελφοῦ. Amphitryonis autem frater ferebatur Electryon. Ὑπόθεσις Ἀσπ. Ἡρ. in cod. Rehd. p. 42 Heinr. Ἀμφιτρύων καὶ Ἠλεκτρύων υἱοὶ Ἀλκαίου ἐγένοντο. Schol. ad Hes. Scut. u. 327 [a]). Propinquitate igitur cum Ceyce Hercules coniunctus erat, quare Sophocles Trach. 40 Deianiram apud Ceycem habitantem fecit. Itaque etiam nuptialibus eius epulis Herculem interfuisse quum consentaneum sit, eius memoria, quae carmine fiebat, hoc extra dubitationem ponit. Certum de Hercule in *Ceycis*

a) Diuersam genealogiam habet Apollodor. II, 4, 5.

*Nuptiis* commemorato testimonium habemus fr. CLXVII. Muellerus eius cum Dryopibus bellum (Apollod. II, 7, 7, 2) enarratum fuisse suspicatur. Quem locum prouerbium, cuius Plutarchus meminit, in carmine obtinuerit, ne coniectura quidem assequi licet.

Integer huius carminis uersus ad nostram aetatem non peruenit certo quidem testimonio; sed probabiliter huc refertur, quem habet Schol. ad Plat. Symp. p. 377 (Bekk.):

> *αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν*

*ταύτην δὲ λέγουσιν εἰρῆσθαι ἐπὶ Ἡρακλεῖ, ὃς ὅτε ἑστιῶντο τῷ Κήϋκι ξένος ἐπέστη.* Idem tradit Athenaeus V. p. 178 (T. I, p. 406 Ddf.): *Βακχυλίδης* b) *δὲ περὶ Ἡρακλέους λέγων ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τοῦ Κήϋκος οἶκόν φησι·*

> *Ἔστη δ' ἐπὶ λάϊνον οὐδὸν*
> *Τοὶ δὲ θοίνας ἔντυον, ὧδέ τ' ἔφα·*
> *Αὐτόματοι δ' ἀγαθῶν*
> *Δαῖτας εὐόχθους ἐπέρχονται δίκαιοι φῶτες.*

His testimoniis confirmatur Herculem Ceycis interfuisse epulis. Atque probabile est illum uersum qui post in prouerbii usum abiit ab huius carminis auctore profectum esse. Etiam Bacchylidis *Κήϋκος γάμος* uidetur fuisse, e quo illi uersus petiti sunt. Uidetur autem inter lyricum carmen et epicum eadem necessitudo intercessisse, qua *Scutum Herculis* cum Cycno Stesichorio coniunctum erat. Quare Muellerus recte suspicatur Hesiodium carmen fontem eorum fuisse, quae Bacchylides de Herculis cum Centauris apud Dexamenum pugna narrauerat. Cf. Dor. I, p. 418, 1. 3. Bacchyl. fr. XLI Neue.

Haec scripta erant, quum Bergkii liber de Atticae com. rell. afferretur, in quo p. 440 haec Schneidewini

---

b) Fr. XXXII ed. Neue, qui de Herculis dicto conferri iubet Asti adnot. ad uers. Germ. Phaedri et Conuiu. Plat. p. 262.

uerba extant ad Bergkium scripta, qui p. 161 illum uersum epici alicuius esse dixerat: „Dabo iam auctorem non ἀμφισβητήσιμον. Zenobius II, 19: Αὐτόματοι δ' ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἵενται· οὕτως Ἡράκλειτος ἐχρήσατο τῇ παροιμίᾳ, ὡς Ἡρακλέους ἐπιφοιτήσαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν Κήϋκος τοῦ Τραχινίου καὶ οὕτως εἰπόντος. Apage uero Heraclitum. Nosti carmen illud Hesiodium Γάμον Κήϋκος, ex quo profluxit sententia illa a Bacchylide repetita in eadem occasione. — — Apud Zenobium Ἡσίοδος scribo: Ἡράκλειτος sequenti Ἡρακλέους originem debet. Hesiodi nomen quoties corruptum notissimum."

## § 2.

### Ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν.

Epithalamium, quo Thetidis et Pelei nuptiae celebrabantur, item Eoeis insertum fuisse, quae est uulgaris sententia (cf. Heyn. ad Apollod. T. II, p. 313. Harl. ad Fabr. Bibl. I, p. 592. Goettl. praef. p. XXVII et p. 215) in tanta testimoniorum inopia neque concedere neque negare audeo. Nam omnem eius notitiam uni debemus Tzetzae ad Lycophr. I, p. 261 (Mueller.) fr. XCIII) cuius uerba in suam farraginem transtulit Phauor. lex. p. 612, a. Ne de nomine quidem constat, quum apud Tzetzam alii libri ἐπιθαλάμιον alii ἐπιθαλάμια habeant. Illud habet Phauorinus. Ad hoc carmen dubitari potest an respexerit Menander rhetor (ap. Walzium IX, p. 265), qui inter praecepta quomodo hymni nuptiales conficiendi essent, haec scripsit: οἷον εἰ λέγοις .... ὅτι Πηλέως γαμοῦντος παρῆσαν μὲν ἅπαντες οἱ θεοί, [καὶ] προςῆσαν δὲ Μοῦσαι καὶ οὐκ ἠμέλει τῶν παρόντων ἕκαστος πρέπουσαν αὐτῷ δωρεὰν χαρίζεσθαι ἐν τῷ γάμῳ· ἀλλ' ὁ μὲν ἐδίδου δῶρα, ὁ δὲ ἔπληττε λύραν, αἱ δὲ ηὖλουν, αἱ δὲ ᾖδον, Ἑρμῆς δὲ ἐκήρυττε τὸν ὕμνον τοῦ γάμου.

# Caput V.

## Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασις. Αἰγίμιος. Κέρκωψ.

### § I.

### De Thesei ad inferos descensu.

Carmina illa duo, de quibus modo diximus, Catalogi aut Eoearum partes esse potuisse etiam propterea non negauimus, quod Pausanias in carminibus Hesiodo adscriptis ea non commemorauit. In quibus quum *Thesei ad inferos descensum* ut peculiare poema numerauerit [a]), Goettlingius bene fecit, quod p. XXVIII Harlesio (ad Fabric. Bibl. Gr. I, p. 592) id carmen „an Aegimii aut alius poematis pars fuisset" dubitanti repugnauit; qui eo in errorem inductus uidetur, quod Cercopi εἰς Ἅιδου κατάβασις tribuitur, et ex Athenaeo Aegimium Cercopi Milesio a quibusdam adscriptum esse apparet. Uerum enimuero carmen a Pausania memoratum et Cercopis Pythagorei opus ita diuersa sunt, ut ea discernere facile uideatur. Alterum erat Orphicum, de quo Clemens Alex. I, p. 397 in recensu carminum ad Orpheum relatorum tradit: *τὴν δὲ εἰς Ἅιδου Κατάβασιν Προδίκου (εἶναι λέγουσιν). Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς Τριαγμοῖς καὶ Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινα ἱστορεῖ. Ἐπιγένης δὲ περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Κέρκωπος εἶναι τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰς Ἅιδου Κατάβασιν καὶ τὸν Ἱερὸν λόγον* [b]). Lob. Agl. p. 360. In hoc poemate non de Theseo, sed de Orpheo Eurydicen repetere conante,

---

a) *Καὶ ὡς Θησεὺς ἐς τὸν ᾅδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη.*

b) Huius Pythagorei praeterea Cicero tantum meminit de N. D. I, 38: *Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis.* Cf. O. Mueller. Proleg. ad Myth. p. 384.

sermonem fuisse apparet e Seru. ad Uirgil. Aen. IV, 347, cf. Lob. p. 373. Hesiodii autem carminis, quum argumentum tantum a Pausania significatum sit, ne nomen quidem nouimus, quanquam ex Orphico facile coniectura fieri potest, quum plures inscriptiones ab Ophicis ad Hesiodiarum similitudinem factae sint. Quum autem Pausaniae testimonio omnem huius carminis notitiam debeamus, ambitum eius argumentique fines definire non licet; fortasse non sola descensus narratione continebatur, sed plures de Theseo fabulae additae erant. Haec est Ulricii c) sententia p. 371, quae quanquam concedi potest, in eo tamen grauissima dubitatione teneor, quod Ulricius et Welckerus de ep. cycl. p. 266 sibi persuaserunt, ad hoc carmen pertinere et Plutarchi (Thes. c. 20) et Athenaei (XIII p. 557, a) testimonia. Quae si ad unum carmen referimus, difficultate quadam implicamur, e qua ut me expedirem diu laboraui. Nam sic dicit Athenaeus: *Ἡσίοδος δέ φησιν Θησέα νομίμως γῆμαι καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην, δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ,* cuius testimonii ratio suadere nobis uidetur, ut in Hesiodio carmine nihil de Ariadna a Theseo deserta scriptum fuisse existimemus. Aperte enim Cercops, qui tale quid addiderat, Hesiodo opponitur. Iam uero e Plutarchi uerbis: *ἀπολειφθῆναι δὲ τὴν Ἀριάδνην τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας· δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης,* (fr. CXXII) Hesiodium carmen apud Plutarchum illam de Ariadna improbe deserta fabulam continuisse intelligitur. Quomodo igitur utrumque testimonium ad *Θησέως εἰς Ἅιδου κατάβασιν* pertinere potuerit, difficile est ad intelligendum, et Welckerus p. 267 id adeo neglexit, ut Cercopem in ea re Hesiodo, qui Theseum a perfidiae

c) Idem dubitat an Plut. Thes. c. 16 (fr. CXXI) et Hesych. *ἐπ' Εὐρυγύῃ ἀγών* (fr. CXIX) ad hoc carmen pertineant, quod neque concedere neque impugnare audeo.

crimine liberasset, in *Καταβάσει* sua repugnasse diceret. Sed cur Hesiodo repugnaret, si neque hic Thesei perfidiam celauerat. Quibus rationibus admoneri uidemur, ut diuersa carmina Hesiodia a Plutarcho et Athenaeo respici statuamus, in quorum altero (ab Athenaeo citato) simpliciter de legitimis Thesei nuptiis, omissa Ariadnae desertae memoria, exponebatur, in altero autem etiam huius mentio fiebat. Ab altera autem parte, nisi apud Athenaeum illud *ὥς φησι Κέρκωψ* additum esset, testimonia illa ita concinunt, ut me non sperem cuiquam persuasurum eam de diuersis carminibus coniecturam. Attamen illud additamentum tantum facessit negotii, ut, qui quod dixi non probabunt, facere non possint, quin Athenaei locum corruptum iudicent. Corrigent fortasse *καὶ Κέρκωψ*, emendatione facili, sed in qua probanda illud scrupulum iniicere debet, quod tamen aliquo modo, ut significaui, uerborum integritatem defendere licet.

## § 2.

### *De Aegimii auctore.*

Quibus superiore disputatione agitabamur dubitationibus, eae fortasse melius aestimabuntur, si de re cum illa quaestione coniunctissima exposuerimus. Etenim Athenaeus XI, p. 503 d. de Aegimii auctore haec tradit: *καὶ ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας, εἴθ' Ἡσίοδός ἐστιν ἢ Κέρκωψ ὁ Μιλήσιος.* Ex quo testimonio Muellerus Dor. II, 481 coniecturam cepit, uersum illum, quem Plutarchus Thes. c. 20 a Pisistrato ex Hesiodio aliquo carmine eiectum esse tradit, in Aegimio locum habuisse. Etiam quem eius sententiae auctorem citat, Schweighaeuserus ea, quae Athenaeus XIII, p. 557 e Cercope tradit, ad Aegimium, quae ex Hesiodo, ad Catalogum refert. Sed quomodo ex illorum testimoniorum comparatione efficiatur, Aegimium respici ab Athenaeo et Plutarcho; non facile intelligitur, et Welckerus Cycl.

ep. p. 266 credi non posse recte monuit Athenaeum adeo errasse, ut Hesiodum et Cercopem, quorum uter Aegimii auctor esset dubitare se antea significasset, de eodem carmine inter se opponeret, id quod etiam Wuellnerus de cycl. ep. p. 51 animaduertit contra Heynium (ad Apollod. T. II, p. 354) disputans. Possit aliquis Athenaei testimonia ita conciliare uelle, ut Cercopem illum non diuersum a Pythagoreo statuat, hunc uero unum e Pisistrati sociis, quorum ope ad antiqua carmina ordinanda utebatur (sicuti nunc didicimus e Ritschelii libello de Alexandrinis bibliothecis et Pisistrati curis Homericis scripto p. 41 sqq. eum Onomacriti, Orphei Crotoniatae, Zopyri Heracleotae et Conchyli opera usum esse in Homeri poematis colligendis et redigendis), fuisse suspicetur, cuius studio et curae Hesiodia poesis permissa fuerit, ita ut quum Cercops fortasse in Aegimio redigendo audacius ageret, carminisque formam grauiter mutaret, diuersa de auctore fama, cuius Athenaeusm eminit, nasci potuerit [a]). Sed ut nihil dicam de tali dubitationis origine, cuius non facile alterum inuenias exemplum, omnis Pisistrati cura, quam epicis carminibus nauauit, a tanta licentia, quanta ut talis controuersia existeret opus erat, quam maxime uidetur abhorruisse; et si quid Pisistratus eiusque ministri in mutandis carminibus sibi indulgebant, hoc in uersibus quibusdam aut eiiciendis, si heroum Atheniensium gloriae nocerent, aut inducendis, ut popularium laudi uel commodo consuleretur, uidetur positum fuisse. Deinde uero, id quod grauius etiam est, eam ipsam rem, quam Athenaeus Cercopi tribuit, Pisistratus, ut Thesei laudibus nocituram, ex Hesiodio carmine remouerat. Plutarchus enim uersui illi haec subiunxit: *Τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν*

a) Haec fere est Muelleri argumentatio Proleg. ad Myth. p. 399; quae quamuis sit speciosa, tamen a ueritate prorsus est seiuncta.

*φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς.* Ex quibus uerbis hóc iure colligere mihi uideor, uersum illum inde a Pisistrati temporibus ab exemplaribus Hesiodei carminis abfuisse et a Plutarcho ex Hereae b) libro petitum esse. Hac iam obseruatione uti licet ad Athenaei testimonium, de quo superiore paragrapho dubitabamus, illustrandum. Athenaeus enim in Hesiodi aliquo carmine legebat, Hippam et Aeglam legitimas fuisse Thesei uxores, nihil uero de Ariadna deserta apud Hesiodum inuenerat; neque poterat inuenire, quoniam illam rem uulgata carminis exemplaria non continebant. Eam autem Cercops, quisquis ille fuit, narrauerat; itaque Athenaeus eam fabulam ad huius auctoritatem refert; *δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ.*

Quae si recte disputata sunt, facile intelligitur, quid de Muelleri coniectura, Athenaei et Plutarchi testimonia ad Aegimium referentis statuendum sit. Cum enim perspexerimus, Athenaeum duo diuersa carmina habuisse ante oculos, quorum alterum Hesiodo alterum Cercopi (si quidem is erat poeta) tribuebat, hoc iam pro certo possumus et explorato ponere, neque Plutarchum neque Athenaeum Aegimium respexisse. Plutarchus autem omnino nullum carmen Hesiodi manibus tractabat, quum illud scriberet, sed ex Hereae libro notitiam suam hauriebat. Sed illud uix dubitari poterit, quin uersus, quem Hereas seruauerat, ex eodem carmine c) eiectus fuerit, quo Hippa et Aegla (Athenaeo teste) legitimae Thesei uxores dicebantur. Sed ulterius etiam coniectando progredi probabiliter licet. Etenim Pisistrati licentiam in uno hoc uersu constitisse

b) Memorabile est, Megarenses scriptores antiqua inuidia ductos operam suam in Pisistrati fraudibus aperiendis et tradendis posuisse. Alterum enim exemplum memorauerat Dieuchidas. Cf. Ritschl. l. l. p. 65 sq.

c) Erat autem Catalogus aut Thesei ad inferos descensus.

non est credibile. Quum enim hoc potissimum ageret, ut Theseum a perfidiae crimine liberaret, quid uno ille uersu eiecto adiuuabatur, quo perfidiae caussa tantum, non memoria continetur? Quare eum omnes illos uersus, qui ad Ariadnam spectabant, exterminasse plus quam uerisimile est. Neque obstare Plutarchei testimonii rationem, cuique facile apparebit. Sed quid disputo de re perspicua et certa, quum difficiliores quaestiones supersint expediendae? Athenaei enim testimonio iam uehementissime admonemur, ut de Cercope illo dicamus, qui cum Hesiodo Aegimii auctor ferebatur.

Quam quaestionem antequam suscipiamus, liceat nobis ueterum scriptorum de Aegimii auctore proferre testimonia. De eo sibi non constare scholiastae ad Apollon. Rhod. III, 587. IV, 816, et ad Eurip. Phoen. 1123 uerbis ὁ τὸν Αἰγίμιον ποιήσας significauerunt, Hesiodo carmen tribuit Stephanus Byz. u. Ἀβαντίς. Athenaeus, cuius uerba supra attulimus, duplicis famae meminit et incertus haeret utrum Hesiodus an Cercops Milesius auctor fuerit. Haec sunt testimonia, quae si quis nouo augebit, gratum mihi fecerit [a]).

## § 3.

## *De Cercope poeta.*

Hinc ducimur ad Cercopis illius explorationem, cuius persona magna obscuritate premitur. Milesium fuisse Athenaeus testatur; reliqua ignorantur. Sed ecce! iam Apollodorus nobis eius offert nomen duobus testimoniis, quibus in similes dubitationes et controuersias reiicimur, quas iam effugisse nos sperabamus. Apol-

a) Consulto praetermisi ea testimonia, quae quanquam ad Aegimium pertinere uidentur, tamen carminis nomine carent. Herod. *περὶ μον. λέξ.* p. 17. Apollod. II, 1, 3, 1, rel. Unum addendum uidetur, Pausaniam huius carminis inscriptionem non inseruisse Hesiodiorum poematum recensui.

lodorus II, 1, 5, 14 de Nauplii uxore antiquorum poetarum notationes sic refert: *πρὶν δὲ τελευτῆσαι, ἔγημεν, ὡς οἱ μὲν τραγικοὶ λέγουσιν Κλυμένην τὴν Κατρέως· ὡς δὲ ὁ τοὺς Νόστους γράψας, Φιλύραν· ὡς δὲ Κέρκωψ, Ἡσιόνην· καὶ ἐγέννησε Παλαμήδην, Οἴακα, Ναυσιμέδοντα.* Alter locus est de Argo II, 1, 3, § 2: *Ἥρα δὲ αἰτησαμένη παρὰ Διὸς τὴν βοῦν, φύλακα αὐτῆς κατέστησεν Ἄργον τὸν πανόπτην, ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱόν, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου, Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης Ἀσωποῦ θυγατρός.* De Aegimii auctore sermonem esse, idque carmen ab Apollodoro Cercopi tribui sibi persuaserunt Goettlingius p. XXVIII, Welcker. Ep. Cycl. p. 266, Ulricius p. 371. Idem iam suspicatus erat, sed dubitanter pronuntiauerat Heynius ad Apollod. T. II, p. 354, nec dissentit Muellerus Dor. I, p. 29. Not. 1. Sed tamen, horum uirorum quamuis multum apud me ualeat auctoritas grauissima, facere non possum quin ab eorum sententia meum iudicium seiungam. Etenim si Apollodorum statuimus Cercopi Aegimium tribuisse, ipsum sibi repugnantem facimus, et fecerunt uiri doctissimi. Posteriori enim testimonio ea praecedunt, quae fr. CLXXIII posui. Quibus cum dubitari nequeat (neque dubitauerunt) quin Ionis fabula ex Aegimio referatur, quam Hesiodum narrasse testatur mythographus, non facile intelligas, quomodo scriptor in duobus enuntiatis deinceps positis idem carmen duobus poetis, nulla eius rei facta significatione, tribuere potuerit; id quod adeo incredibile est, ut mirari liceat neminem hoc perspexisse, et Goettlingium cum reliquis de Ione testimonium Aegimii fragmentis inseruisse atque Cercopem Apollodoreum pro Aegimii poeta habuisse. Utrumque simul locum habere nequit. De altera autem ratione Apollodori a repugnantiae crimine defendendi, qua quis Ius fabulam ex alio Hesiodi carmine petitam esse statuat, propterea cogitare non licet, quod eam in Aegimio expositam fuisse certis testimoniis

(fr. CLXXIII. CLXXVI) scimus, de alio autem poemate nihil testatum habemus. Quare ita defendimus Apollodorum a grauissima iniuria, ut negemus eum Aegimium Cercopi adscripsisse. Alterum autem testimonium nihil necessitatis continet, quo Aegimium significari cogamur credere.

His expositis iam apparebit, antiquum aliquem poetam fuisse epicum b), qui uno aut pluribus carminibus res mythologicas tractabat et cui a nonnullis etiam Aegimius adsignabatur. Diuersus autem erat a cognomine Pythagoreo et intelligendus etiam in Athenaei testimonio, quo ei fabula de Ariadna deserta tribuitur. Nec dubito, quin eum significauerint Diogenes Laërt. II, 46; (καὶ Κέρκωψ ἐφιλονείκει Ἡσιόδῳ ζῶντι, τελευτήσαντι δὲ Ξενοφάνης) et Thomas Mag. Arg. Ran. Arist. (τῷ ὑπὲρ φύσιν Ὁμήρῳ τις ἀνώνυμος ἤριζε Σύαγρος, Ἡσιόδῳ δὲ Κέρκωψ). Haec uiri docti uario modo interpretati sunt. Wuellnerus Ep. Cycl. p. 50 de certamine inter Cercopem et Hesiodum facto cogitat. „Ego, inquit, auctorem Cercopem fuisse statuo (quem certamen illud Homeridam esse significat), aut certe neque Hesiodum neque Hesiodium quemquam.“ Sed si carmen ad Homericam quam dicunt scholam pertinebat, quomodo Hesiodus quoque pro eius auctore haberi poterat? Neque negligendum est, quod contra monuit Welckerus Ep. Cycl. p. 270. N. 435, qui ipse suspicatur fabulam ad idem certamen referendam esse, cuius Plutarchus Conu. Sept. Sap. c. 10 meminit. Goettlingius et Nitzschius Hist. Hom. I, p. 97 cum Heynio ad Apollod. II, p. 354 Pythagoreum intelligunt. Sed huic sententiae uocabulum ζῶντι repugnat, quod quanquam nugatorium dicit Goettlingius, tamen eius uim non infregit, quae eo maior est, quod τελευτήσαντι uerbo opponitur. Ea enim

b) Talis poeta a pluribus agnoscitur. Casaub. ad Athen. XIII, 557 a. Clinton. Fast. Hell. I, 364. 365. Bernhardy. p. 259. 518.

oppositione Cercopis uetus ad antiquiora quam Xenophanis tempora refertur. Ego fabellam ad Milesium refero et eodem fere atque Heynius explico: „Audiuerat (Diog.) Aegimium ab aliis Cercopi tribui; hunc igitur in Hesiodi famam inuolasse credidit."

In deperdito carmine utilissimum uidebatur, antiquitatis de eius auctore famam exquirere, omni aut approbationis aut dissensionis significatione omissa. Nobis enim nullo modo licet, diuersarum sententiarum rationes explorare, quum nec qui earum fuerint auctores sciamus neque ex ipsius carminis indole iudicium facere possimus. Unum tamen contra O. Muellerum et Groddeckium monebo, quorum alter (Dor. I, p. 29. N. 2) artis criticae legibus conuenientius esse dicit, Hesiodum quam Cercopem auctorem habere, alter (Bibl. Vett. Litt. et Artt. fasc. II, p. 89) eam famam, qua Hesiodo carmen adsignabatur, non improbabilem existimat. Quum multa poemata in Hesiodi nomen collata esse constet, rationi magis consentaneum uidetur, ignobilem illius personam quam huius nobilem teneri. Nam si Hesiodus uere auctor erat, omnino non uidetur illa de auctore dissensio nasci potuisse. Sed inutilis haec quaestio nec unquam ad liquidum perduci queat.

## § 4.

### *De Aegimii argumento.*

Haec de carminis auctore dicenda uidebantur; transeo ad eius argumentum, de quo item diuerso modo a uiris doctis iudicatum est. Sed id nunc constat ex epico genere poema fuisse, de qua re olim dubitatum est. H. Valesius Emend. p. 38: „Fuit, inquit, et poema quoddam apud antiquos, *Αἰγίμιος*, incertum utrum tragicum an epicum." Etiam nomen nonnunquam in disceptationem est adductum, uelut a Dalechampio, qui apud Athenaeum *Αἰγινόμιον* legendum conjecit, ut esset „carmen de pascendis et alendis capris," et a Meursio

Att. Lectt. II, c. 20, qui apud Steph. Byz., u. Ἀβαντίς, ἐν Γυναικῶν δευτέρῳ substituere uoluit. Quae opiniones refutatione non egent, neque moneo, nusquam sic citari Catalogum, ut Meursio placuit. Sed de ambitu carminis argumentique copia etiamnum ambigitur. Primus de ea re dixit Valckenaerius ad Eur. Phoen. p. 735: „Aegimius Herculi uicem retulerat accepti beneficii; huic „inscriptum poema complectebatur procul dubio bellum „Aegimii cum Lapithis: Aegimii filiorumque duorum, „ad quos tertius Hyllus accessit Heraclides, historiam.“ Multo uberiorem et copiosiorem materiam fuisse statuit Groddeckius l. l. p. 84—89, qui carmen de Doricae gentis auctoribus et Heraclidis cum iis coniunctis egisse et tres Dorum memorabiles expeditiones comprehendisse censet, Heraclidarum cum Doribus coniunctorum in Peloponnesum reditum, coloniam in insula Thera conditam et Cyrenae urbis aedificationem duce Batto factam. Huic postremae narrationi insertas fuisse de Ius erroribus et Argonautarum expeditione fabulas. Bellum Herculis cum Lapithis gestum, quo Dorum cum Heraclidis coniunctio praeparata fuisset, partem, fortasse initium fuisse carminis. Nomen apte ductum ab eo, qui non solum fortiter contra Lapithas pugnasset, sed etiam coniunctionis Dorum et Heraclidarum auctor extitisset. Haec est Groddeckii sententia, quam fere probat Wuellnerus p. 50, aliquam tamen dubitationem mouens. „Si, ut ille statuit, Argonautis ea intertexta fuerunt, quae schol. Apoll. IV, 816 de experimento Thetidis narrat, historia Argonautarum, aedificatio Cyrenes quaeque antecedunt, Ius fabulae; haec tam multa et diuersa secundo libro exposita esse debebant, quod uix fieri poterat.“ Weichertus de Apoll. Rhod. p. 139. N. 176 Groddeckii opinioni aduersatus Valckenaeriumque secutus Argonautarum fabulam in hoc carmine enarratam fuisse negat. O. Muellerus Dor. I, p. 28 Aegimio antiquissimas res Doricae gentis

celebratas fuisse existimat, ut Aegimius bello Lapitharum pressus Herculem auxilio uocasset eique tertiam agri sui partem daturum se pollicitus societatem eius comparasset. Quae de Prixo et Thetidis experimento ex Aegimio afferuntur, ea cum Phthiotarum et Minyarum Iolci, Lapithis auxiliantium, memoria coniuncta fuisse suspicatur. Libri secundi argumentum ad Euboeam insulam pertinuisse in eoque Herculis expeditionem contra Oechaliam Euboicam enarratam fuisse censet. De horum uirorum sententiis probabiliter iudicauit Welckerus p. 264, Weichertum et Valckenaerium probans, Groddeckii Wuellnerique opiniones impugnans, Muelleri uero coniecturas ex parte tantum admittens.

Argumenti carmine tractati praecipua pars contineri uidetur Apollodori (II, 7, 7, 3) narratione: *Αὖθις δὲ ἐκεῖθεν ὁρμηθεὶς Αἰγιμίῳ βασιλεῖ Δωριέων συνεμάχησε. Λαπίθαι γὰρ περὶ γῆς ὅρων ἐπολέμουν αὐτῷ, Κορώνου στρατηγοῦντος. ὁ δὲ πολιορκούμενος ἐπεκαλέσατο τὸν Ἡρακλέα βοηθὸν ἐπὶ μέρει τῆς γῆς. βοηθήσας δὲ Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε Κόρωνον μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τὴν γῆν ἅπασαν παρέδωκεν ἐλευθέραν αὐτῷ.* Cf. Diodor. IV, 37. Quum Hercules cum Aegimio pacisceretur, dixisse uidetur ea, quae Athenaeus XI, 503 ex Aegimio affert: *Ἔνθα ποτ' ἔσται ἐμὸν ψυκτήριον, ὄρχαμε λαῶν,* cf. Mueller. p. 481. Num Heraclidarum contra Peloponnesum expeditio narrata fuerit et testimonia Etym. M. 768 (fr. CLXXVIII) et Schol. Pind. Ol. XI, 79 (fr. CIV) huc pertineant, diiudicari nequit. Cur schol. Apoll. Rhod. I, 824 non ad Aegimium referam, dixi ad fr. CXXX.

Mirum est ad primariam carminis partem nullum pertinere ueterum scriptorum testimonium praeter illud Athenaei. Reliqua enim aut ad Ius fabulam aut ad Minyarum res spectant, quas narrationes Welckerus p. 266 episodiis additas fuisse existimat; quod quanquam probari potest, hoc tamen non facile intelligitur,

quomodo haec episodiorum argumenta ad totius carminis materiam accommodata fuerint. Sed inutile est in tanta rei obscuritate alia pariter incerta proponere; quare ignorationem confiteri in talibus rebus praestat. Hoc unum addo carmen in plures libros diuisum fuisse; secundum laudant scholiasta ad Apoll. Rh. IV, 816 et Stephanus Byz. u. Ἀβαντίς.

---

# Caput VI.

## De carminibus mystici ut uidetur argumenti.

### § I.

### Μελαμποδία.

Melampodia ab Athenaeo (II, 40 f. XI, 498 a. XIII, 609 e), Clemente Alex. (Strom. VI, p. 266 Sylb.) et, ut uidetur, a Strabone (XIV, p. 642 Cas.) Hesiodo tribuitur; a scholiasta autem ad Od. λ, 90 sine auctoris nomine affertur (ὁ τῆς Μελαμποδίας ποιητής), quam citandi rationem etiam Tzetza ad Lyc. u. 682. 683 [a]) adsciuit. Carmen Goettlingius p. XXIX et Ulricius p. 368 didactico et gnomico Hesiodiae poesis generi adnumerant; quibus adsentire nequeo. Primum enim Pausanias IX, 31, 5 Melampodiam mythologicis, non didacticis poematis interposuit: ἐς γυναῖκάς τε ᾀδόμενα καὶ ἃς μεγάλας ἐπονομάζουσιν Ἠοίας καὶ Θεογονίαν

---

a) Apud Tzetzam Muellerus male edidit ὁ τῆς Μελαμπωδίας ποιητής. Uit. 1. Ciz. ueram habent formam, quae est etiam apud reliquos scriptores. Uit. 2. 3: ὁ τῆς Μελάμπιδος ποιητής. Fabricius Bibl. Gr. I, p. 115: Μελαμπῳδία scribit, non melius. Nomen eodem modo formatum, quo Οἰδιποδία. Carmen a nemine ueterum certo testimonio ab Hesiodo abiudicatum, ne a Luciano quidem, quod credit Goettlingius. Cf. Ulric. p. 368.

τε καὶ ἐς τὸν μάντιν Μελάμποδα καὶ ὡς Θησεὺς ἐς τὸν ᾅδην ὁμοῦ Πειρίθῳ καταβαίη. Deinde huic opinioni omnia quae de hoc carmine tradita sunt, repugnant. Neque id recte Goettlingius uidetur dixisse, carmen fuisse de diuinatione. Heynius ad Apollod. (T. II, p. 64) recte quidem ad mythologicum genus retulit; sed id non concedo uiro doctissimo, Eoearum partem fuisse; quanquam in eadem opinione est Hermannus Opusc. VI, 1, p. 269, qui totum Melampodiae argumentum a schol. Ap. Rh. I, 118 enarrari dicit. Sed haec ad Eoeas pertinent, quarum partem fuisse Melampodiam propterea non credo, quod Pausanias eius ut diuersi operis mentionem fecit, et quod maior fuisse uidetur, quam ut pars alius poematis esse posset. Atque in plures libros erat diuisa, quorum secundus ab Athenaeo XI, p. 498, tertius XIII, 609 [b]) citatur.

De Melampodidarum familia, quae uaticinandi arte clara erat, exponere huius disputationis non est, quoniam ea res ad carminis notitiam non necessaria uidetur [c]). De Melampodiae autem argumento quae dici possunt, aut manca sunt aut incerta.

Uidetur celeberrimorum uatum, Mopsi, Amphilochi, Calchantis, Tiresiae historias comprehendisse et a clarissimo eorum Melampode, cuius res fortasse primariam libri partem continebant, nomen accepisse. Exhibebantur etiam egregia quaedam uaticinandi artis specimina. Quae praeter haec generatim dicta de carmine sciri possunt, e fragmentis quae infra exhibui petere licet. De una tantum re restat ut breuiter

---

b) Huius testimonii iam, a Fabricio allati, quum immemor fuisset Goettlingius, Ulricius p. 368 fraudem sibi fieri passus est.

c) De Melampodidis u. Fabr. Bibl. Gr. I, p. 115. Heyn. ad Apollodor. II, p. 64—66. Dissen. ad Pind. Nem. IX, 13. O. Mueller. Dor. I, p. 253. Prol. ad Myth. p. 352. Leutsch. de Theb. cycl. p. 146. N. 190.

moneam. Uirgilius Ecl. VI, 69 sqq. Lini orationem refert ad Gallum conuersam:

*— Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,*
*Ascraeo quos ante seni; quibus ille solebat*
*Cantando rigidas deducere montibus ornos,*
*His tibi Grynei nemoris dicatur origo,*
*Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.*

Hesiodi memoria spectat ad Melampodiam, in qua illa de Mopso Gryneoque sacro fabula exposita erat. Huc pertinet primum Melampodiae fragmentum. Eandem rem Euphorion in quinto *Ἀτάκτων* libro tractauerat, unde C. Corn. Gallus fabulam hausit et carmine celebrauit. Seruius ad Uirg. l. l. „Hoc autem Euphorionis continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem Latinum, unde est illud in fine Ecl. X, 50 Ibo, et Chalcidico quae sunt mihi condita uersu.“ Probus ad Ecl. X, 50: „Euphorion elegiarum scriptor Chalcidensis fuit, cuius in scribendo colorem sequi uidetur Cornelius Gallus.“ Cf. Diomedes III, p. 482. 3. Quantopere Gallus ex Euphorione pendeat, quaerere huius loci non est. Cf. Heyn. ad Uirgil. Ecl. VI, 72 et Addend. et Corrig. Tom. IV, p. 218 sq. Voss. ad Uirgil. Ecl. p. 325—328. Meinekium ad Euphor. p. 35 et fr. XLVI.

## § 2.

### *Περὶ Ἰδαίων Δακτύλων.*

De hoc carmine optime rem administrasse mihi uideor, si Lobeckii (Agl. p. 1156) uerba transcripsero: „Suidae testimonio nobis innotuit carminis Hesiodei inscriptio *περὶ Ἰδαίων Δακτύλων*, Cretensium an Phrygiorum haud facile dictu; nam totum amissum est. Sed eodem auctore Plinius Dactylos Cretae infert VII, 56 (uerba uide fr. CCXLIII), nisi illos, quos Hesiodus

ambiguo nomine Idaeos uocauerat, suo arbitrio Idae Creticae infert, ut notiori. Sed etiam Hesiodi sententiam Clemens affert Strom. I, p. 362 (307) (uide fr. CCXLIV) excusabili discrepantia, quoniam Hesiodo plura a diuersis auctoribus subiecta sunt carmina. Is quidem qui Theogoniam condidit, ubi Iouem in Creta natum et altum multis uersibus narrat, educatores eius Dactylos silentio praetermittit, uelut ignotos."

Hoc unum contra uirum praestantissimum summaque ueneratione ab omnibus colendum monere audeo, me nullam in Plinii et Clementis testimoniis uidere discrepantiam. Nam Plinius dicit de ferro, cuius conflandi et temperandi artem Hesiodus ad Idaeos Dactylos retulisset, Clemens autem testatur Hesiodum dixisse *χαλκοῦ κρᾶσιν εὑρεῖν Σκύθην*, et *χαλκὸν* et *σίδηρον* aperte distinguit; ita ut etiam secundum Clementis testimonium Hesiodus *τὴν σιδήρου εὕρεσιν* a Dactylis Idaeis repetiisse uideatur.

---

## B. *De generis uere didactici carminibus.*

## Caput VII.

### De carminibus, quae Operibus uidentur subiuncta fuisse.

### § 1.

*Ὀρνιθομαντεία. Ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν.*
*(Ἔπη μαντικά).*

Operibus et Diebus Hesiodi additam fuisse *Ὀρνιθομαντείαν* e Procli scholio ad u. 824 discimus: *τούτοις ἐπάγουσί τινες τὴν Ὀρνιθομαντείαν, ἅτινα Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἀθετεῖ.* Quod carmen uidetur certissima *νοθείας* uestigia continere, si uel Apollonius, qui ne de Scuto quidem dubitabat, Hesiodum eius auctorem

esse negauit. Sed cum Procli uerbis conferendum est Pausaniae testimonium IX, 31, 5: *παραινέσεις τε Χείρωνος ἐπὶ διδασκαλίᾳ δὴ τῇ Ἀχιλλέως καὶ ὅσα ἐπὶ ἔργοις καὶ ἡμέραις· οἱ δὲ αὐτοὶ λέγουσι καὶ ὡς μαντικὴν Ἡσίοδος διδαχθείη παρὰ Ἀκαρνάνων καὶ ἔστιν ἔπη μαντικά, ὁπόσα τε ἐπελεξάμεθα καὶ ἡμεῖς καὶ ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν.* Hinc cognoscimus Operibus olim in Hesiodiorum librorum collectione alia quaedam didascalica carmina adiuncta fuisse. Uidentur enim ea, quae Hesiodia ferebantur a grammaticis in ordinem redacta fuisse, ita ut quae eiusdem argumenti essent deinceps ponerentur. Cf. Muetzell. de emend. Theog. p. 306. Sed quaeritur, quae carmina Operibus et Diebus adiuncta fuisse uideantur. Horum primum locum obtinebat *Ὀρνιθομαντεία*, cuius argumentum ipso nomine satis perspicue expressum est; quae cum ab Apollonio Rhodio spuria haberetur, tantum ualuit apud ueteres criticos in ea re eius auctoritas, ut poema interiret. *Ὀρνιθομαντείαν* autem peculiare carmen fuisse, non Operum ac Dierum partem, facile intelligitur, si de huius carminis argumento et consilio recte iudicatur. Etiam ex *ἐπάγουσι* uerbo quo utitur Proclus idem apparere uidetur. Num uero ipsius Hesiodi an ex eorum numero fuerit, quae posteriore aetate ad Ascraei uatis nomen referebantur, quanquam illud uix crediderim, tamen quum nihil supersit, difficillimum est non credentibus persuadere. Cur *Ὀρνιθομαντεία* primo post Opera loco poneretur, caussa erat in extremo Dierum uersu posita:

*ὄρνιθας κρίνων καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων,*

nisi propter hunc uersum totum carmen compositum erat. Ab hoc poemate non diuersa fuisse *ἔπη μαντικά* a Pausania commemorata a plerisque creditur, ueluti a Goettlingio p. XX cf. p. XXIX, Ulricio p. 367 [a]).

---

a) Fabricius I, p. 592 dubitat an haec carmina eadem aut ipsa Theogonia fuerint, quod non satis intelligo.

Sed etiam in hac re quamuis obscurissima errorem manifestum deprehendere licet. Etenim uulgo sic existimant, *ἔπη μαντικά* apud Pausaniam alicuius carminis inscriptionem fuisse. Sed si quis scriptoris uerba accurate considerauerit, illis uocabulis non peculiare poema, sed totum aliquod poesis Hesiodiae genus significari statim perspiciet.

Hoc enim dicit Pausanias: „Iidem dicunt Hesiodum etiam uaticinandi artem ab Acarnanibus didicisse et sunt carmina quaedam, ad eam artem spectantia.“ Horum iam duo genera indicat et „*ὁπόσα τε ἐπελεξάμεθα καὶ ἡμεῖς*“ et *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν*. Qui autem *ἔπη μαντικά* singulare carmen fuisse existimant, non uidentur de explicatione uocabuli *τε* cogitasse. Ex iisdem uerbis hoc etiam cognoscimus *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* ab ipso Pausania non lectas esse, sed earum memoriam aut citationibus antiquiorum scriptorum aut fama ad eius aetatem peruenisse. Praeterea autem iam perspeximus, *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* pertinuisse ad genus *ἐπῶν μαντικῶν*, et improbabilem esse Goettlingii de hoc carmine coniecturam (p. XXIX ima), qui *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* Astronomiam interpretatur. De qua re etiam cap. IX disputabimus. *Ὀρνιθομαντεία* autem dubitari nequit quin item ad *ἔπη μαντικά* pertinuerit et ad id quidem eorum genus, quod Pausanias uerbis *ὁπόσα — ἡμεῖς* comprehendit. His uerbis etiam alia poemata, quorum omnis memoria periit ac ne nomina quidem nobis innotuerunt, significata esse possunt.

Iam igitur ut breuiter complectar quod hac disputatione effecisse mihi uidear, *ἔπη μαντικά* e titulorum Hesiodiorum numero eximenda sunt, quum generis tantum significationem habeant, ad quod *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* et *Ὀρνιθομαντεία* pertinebant. His autem duo grauissima uaticinandi artis genera uidemus expressa esse, quorum alterum ex auium uolatu et uocibus repetebatur, alterum in interpretandis prodigiis, quae

in coelo fiebant, uersabatur. Ceterum Lucianus haec carmina aut ignorabat aut Hesiodo abiudicabat. Nam in Dialogo c. Hes. init. hunc uituperat, quod, in Theogoniae prooemio professus se dicturum τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα, promissis non stetisset, praeteritas quidem res exponens, sed de futuris ne uerbum quidem faciens.

## § 2.

### *Χείρωνος Ὑποθῆκαι. De carminis nomine.*

Mirum uideri potest, quod Χείρωνος Ὑποθήκας cum illis carminibus, quorum rationem modo illustrauimus, uno disputationis capite comprehendimus. Usum hoc propterea facimus, quod Ὀρνιθομαντείαν Operibus adiunctam fuisse scimus, cui fortasse propter argumenti similitudinem additae erant ἐξηγήσεις, id quod etiam de Chironis praeceptis demonstrari uidetur posse. De qua re postea dicetur. Nunc pauca de nomine ὑποθῆκαι exponam.

Ὑποθήκας idem fuisse atque παραινέσεις cum ex ipso uocabulo colligi queat, tum ex multis ueterum scriptorum locis discimus, ueluti e Pausania, qui hoc carmen ab aliis ὑποθήκας dictum παραινέσεις nominauit. Lucian. Dial. c. Hes. c. 8: τὰ γὰρ τοιαῦτα (ea dicit, quae in Hesiodi carminibus de rebus futuris extant) παραινέσεις μὲν καὶ ὑποθήκας λέγων οὐκ ἄν τις ἁμαρτάνοι b). Isocrat. c. Nicod. p. 23. H. St. σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν. καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους ἐν τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων, ταῦτα δὲ λέγοντες αἱροῦνται συνδιατρίβειν ταῖς ἀλλήλων ἀνοίαις

b) Mira sunt quae de his uerbis Fritzschius dicit de Aristoph. Daetal. p. 103: „Hoc nemo uidit, Lucianum quoque Χείρωνος ὑποθήκας in mente habuisse." Sed totus disputationis Lucianeae tenor docet, scriptorem de Operum quibusdam uersibus dicere.

μᾶλλον ἢ ταῖς ἐκείνων ὑποθήκαις. Lucianus Dial. c. Hes. c. 1 memorat Hesiodi παραινέσεις γεωργικάς. Isocr. c. Nic. p. 18: τινὲς τῶν ποιητῶν ὑποθήκας ὡς χρὴ ζῆν καταλελοίπασι. Ὑποθῆκαι igitur sunt praecepta moralia cum cohortatione ad uiuendi rationem recte iusteque instituendam coniuncta, quae ueteres etiam παραινέσεις, παραγγέλματα (Procl. ad Hes. op. u. 758), γνώμας uocabant. Cf. Suid. et Hesych. u. ὑποθῆκαι. Harles. ad Fabric. I, p. 115. Not. Welcker. ad Theognid. p. LXXIV. Eadem significatio est etiam in ὑποθέσθαι uerbo apud Homerum et Theognidem (u. 51. 60. Welcker.) Ὑποθήκας multi scripsere, Tyrtaeus, Periander, Draco, Solon, Pythagoras, alii, quos indicant Welckerus ad Th. p. LXXIV et Lobeckius Aglaoph. p. 365. Orpheo adscribuntur διαθῆκαι, propterea sic inscriptae, quod id carmen quasi mortalium operum postremum Musaeo hereditatis loco, ab Orpheo relictum fuisse credebatur. Ceterum διαθῆκαι non diuersae sunt a nomine ὑποθῆκαι, quod non libro alicui proprium, sed toti gnomicae poesi commune erat.

## § 3.

### *De ὑποθηκῶν argumento.*

Haec de ὑποθῆκαι uocabulo praefati ad ipsum carmen Hesiodium transimus. De cuius nomine disceptari potest. Χείρωνος ὑποθῆκαι dicitur a scholiasta Pind. VI, 16: τὰς δὲ Χείρωνος ὑποθήκας Ἡσιόδῳ ἀνατιθέασιν. Chironis nomen omissum est apud Phrynichum p. 91. Lob. et in Bachm. Anecd., II, p. 385. Quibus addi potest Quintil. I, 1, 15. Apud hos simpliciter Hesiodi ὑποθῆκαι laudantur. Pausanias autem prorsus diuersam inscriptionem habet: παραινέσεις Χείρωνος ἐπὶ διδασκαλίᾳ [δὴ] τῇ Ἀχιλλέως c). Hinc intelligimus carmini non

c) Probo cum Bekkero et Fritzschio de Daetalens. p. 103. N. 61 Porsoni emendationem, παραινέσεις pro παραίνεσις. Sed δὴ illud defendi posse mihi uidetur; quod contra Fritzschium dico.

certum quoddam nomen fuisse, sed argumenti indicio significatum esse, quanquam ὑποθῆκαι nomen usitatius fuisse uidetur. Quod *Χείρωνος* genitiuus nonnunquam omissus est, id breuitatis studio tribuendum. Similia discrepantium titulorum exempla supra C. II. § 1 congessimus. Quod ad argumentum carminis attinet, Chiron fingebatur Achillem instituens eumque compellans. Commune enim erat priscae poesi didacticae per apostrophen docendi genus, de quo Welckerus p. LXXVII sic disputat: „Ac profecto qui apud lyricos quoque obtinuit mos, ut amico blande compellando speciem quandam rei non fictae, sed uerae efficerent, qua maxime mouetur affectus, uel, quo uellent animo sensa sua excipi, significarent, quasi non alienissimo cuique, sed amicis tantum penetralia pectoris aperientes, is gnomicae poesi magis etiam conueniebat. Mitigata enim per paternae beneuolentiae significationem praeceptorum seueritate, facilius illa se in iuuenum animos insinuabant.“ Hanc apostrophen, quam etiam in Hesiodi Operibus saepius deprehendimus, a Chironis admonitionibus non alienam fuisse tum e carminis ratione apparet, tum e fragmento, quod scholiasta Pindaricus seruauit, colligi potest. Ad Achillem autem conuersam fuisse orationem tum ex Pausaniae uerbis apparet, tum ex aliis rebus colligi potest. Suidas u. *Χείρων· Κένταυρος ὃς πρῶτος ἐξεῦρεν ἰατρικὴν διὰ βοτάνων· ὑποθήκας δι' ἐπῶν, ἃς ποιῆται πρὸς Ἀχιλλέα* d). Postremo loco quae posita sunt uerba, iis non dubito quin hoc carmen, de quo nunc disputamus significatum sit. Suidae autem errorem sic explico. Legerat apud antiquiorem scriptorem *Χείρωνος ὑποθῆκαι* non addito Hesiodi nomine, quoniam id a nonnullis in dubitationem uocabatur. Putabat igitur

d) Sic legitur apud Kusterum. Gaisfordi exemplar inspicere non licet. Uerba *ἃς ποιῆται* corrupta sunt. Emendo *ἃ πεποίηται*. Nam *ἃς ἐποίησε* minus placet.

grammaticus genitiuo *Χείρωνος* auctorem carminis indicari, neque perspiciebat illud *Χείρωνος* ad ipsum carminis nomen pertinere. Etiam e Pindari uerbis illud, quod dixi, suspicari licet. Is enim Pyth. VI. *στρ. γ'.* Thrasybulum sic adloquitur:

*Σύ τοι σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρὸς ὀρθὰν*
*ἄγεις ἐφημοσύναν,*
*τά ποτ' ἐν οὔρεσι φαντὶ μεγαλοσθενεῖ*
*Φιλύρας* e) *υἱὸν ὀρφανιζομένῳ*
*Πηλεΐδᾳ παραινεῖν· μάλιστα μὲν Κρονίδαν,*
*βαρυόπαν στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανιν,*
*θεῶν σέβεσθαι·*
*ταύτας δὲ μή ποτε τιμᾶς*
*ἀμείρειν γονέων βίον πεπρωμένον.*

Ad quos uersus Boeckhius (Expl. Pind. p. 299) haec adnotauit: „In his (uersus dicit Hesiodios a schol. seruatos) autem dii uniuersi primo loco ponuntur, quum Pindarus prae omnibus diis Iouem ex illis praeceptis colendum tradat, hoc est, ni fallor, deos et maxime Iouem, qui uide ne post uniuersos deos in illis uersibus speciatim nominatus fuerit.“ Quae probabiliter dicta sunt. Immo ulterius etiam progredi coniectando licet, et ea quoque quae de parentum honore dicit Pindarus, ad nostrum carmen referre. Nam hoc mihi uerisimile uidetur, Pindarum, cum illos uersus scriberet, carmen epicum in mente habuisse. Colligi id potest ex ipsius uerborum cum fragmento Hesiodio similitudine. De altero Pindari loco (fragm. 167 p. 646 Boeckh.):

*Τροχὸν μέλος· ταὶ δὲ Χείρωνος ἐντολαί ...*

---

e) Cf. Hes. Theog. u. 1001. De fabulis ad Chironem eiusque educationes pertinentibus accurate exposuit Welcker. in Zimmerm. Ephem. schol. 1831. II. N. 99. Cf. Bergkius de com. Att. rel. p. 219.

dubitari potest. Ad Chironis ὑποθήκας fortasse etiam Horatius Epod. XIII, 9 sqq. respexit:

*Nunc et Achaemenia*
*Perfundi nardo iuuat et fide Cyllenea*
*Leuare diris pectora sollicitudinibus,*
*Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:*
*Inuicte mortalis Dea nate puer Thetide,*
*Te manet Assaraci tellus, quam frigida parui*
*Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois;*
*Unde tibi reditum certo subtemine Parcae*
*Rupere, nec mater domum caerula te reuehet.*
*Illic omne malum uino cantuque leuato,*
*Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.*

Haec Horatius fortasse ex illo carmine ita expressit, ut quum simile quid in eo dictum esset, id in suam sententiam detorqueret. Nam eadem quae Horatius affert Chironem ad institutionem Achillis dixisse credibile non est. Saepe autem poetae aliique scriptores aliorum uerbis ita utuntur, ut iis sententiam suo consilio accommodatam inferant (Uide Pind. Isthm. V, 57. coll. c. Hes. Op. 382; Aeschin. c. Ctesiph. p. 427. Bekk. coll. c. Hes. Op. 240).

Ad Achillem in carmine orationem conuersam fuisse, accurate demonstrandum erat, ne Quintiliani testimonio dubitatio moueretur. Qui quod praeceptum ex hoc carmine affert, „*litteris non instituendos esse, qui minores septem annis essent, quod illa primum aetas et intellectum disciplinarum capere et laborem pati posset*,“ id non aptum locum in tali carmine habuisse uideri possit. Sed ut nihil dicam de eo, quod genuinam praecepti formam nescimus, quum Quintilianus etiam ex aliis scriptoribus suam notitiam hausisse uideatur („*in qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt*“), omnino talem dubitationem inutilem iudico et si quaeritur, quomodo tale praeceptum aptum esse potuerit, ignorationem

profiteri praestat, quam incertis coniecturis hariolari. Magnam carminis auctoritatem fuisse praeter honorificam Pindari memoriam illud ostendit, quod Aristophanes in Daetalensibus Hesiodi ὑποθήκας irrisisse traditur (fr. CCVII). „Grauitas enim," ut Welckerus Prol. ad Theogn. p. LXXX recte ait, „facillime prouocat ludibrium et morum praecepta, si cui taediosa ueniunt, non serio oppugnando, sed cauillorum facetiis declinari et procaciter propelli solent: longe maximam autem ad illud genus uim habet iocandi ingeniolique ostentandi innata homini cupido atque uoluptas. Hinc omnino factum est ut quo quaeque paraeneses maiorem naetae essent auctoritatem, eo facilius in deteriorem et iocularem sensum detorquerentur." Hoc non solum quibusdam Theognidis gnomis, sed etiam uersibus Hesiodiis accidit. Sic quae Op. u. 266 leguntur, ea Democritus Chius in Melanippidem accommodauit, pro antistrophis anabolis usum, Aristot. Rhet. III, 9:

*Οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,*
*Ἡ δὲ μακρὰ 'ναβολὴ τῷ ποιήσαντι κακίστη.*

Uersus Hesiodios Op. 448 sqq.

*Φράζεσθαι δ', εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς*
*Ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης·*
*Ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει καὶ χείματος ὥρην. κτλ.*

et u. 629.

*Πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι,*

Aristophanes Au. 709 sqq. sic parodia expressit:

*πρῶτα μὲν ὥρας φαίνομεν ἡμεῖς ἦρος, χειμῶνος, ὀπώρας.*
*σπείρειν μέν, ὅταν γέρανος κρώζουσ' ἐς τὴν Λιβύην μεταχωρῇ,*
*καὶ πηδάλιον τότε ναυκλήρῳ φράζει κρεμάσαντι καθεύδειν.*

U. 609 autem:

*οὐκ οἶσθ' ὅτι πέντ' ἀνδρῶν γενεὰς ζώει λακέρυζα κορώνη;*

manifesto respexit ad fragmentum:

*Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
ἀνδρῶν κτλ.*

Similiter Cratinus apud Phryn. p. 110. ed. Lobeck. respexisse uidetur ad Op. 118.

His parodiis Hesiodum maligno consilio irrideri eiusque poesin ab Aristophane contemni si quis existimet, uereor ne longe a comici sensu aberrauerit. Hoc enim agit poeta, ut rem iocosam, graui auctoritate probatam, magis etiam ridiculam reddat. Longe aliter res se habet, si Euripidem aliosque sui temporis tragicos aut dithyrambicos musicosque aequales traducit. In antiquis autem uatibus, quorum uersus nonnunquam ridicula imitatione expressit, iram et inuidiam procul habebat, et de iis quid senserit, e Ran. u. 1030 sqq. cognoscitur:

*σκέψαι γὰρ ἀπ' ἀρχῆς,
ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται·
Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι,
Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς, Ἡσίοδος δὲ
γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν πλὴν τοῦτ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξε,
τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν.*

Itaque nihil maligni in eo quaerendum quod *παίζων τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας* a) dixisse traditur: *καὶ κόσκινον ἠπήσασθαι.* Ex Phrynichi autem testimonio colligi potest, in Hesiodi carmine *ἠπήσασθαι* uocabulum scriptum fuisse, quod quum in usu non esset, Aristophanes illius carminis uersum iocose imitans usurpauit. Quae nisi notationis eius sententia est, omnino nulla est.

a) Heinrichius de Loc. Protag. Plat. p. 23 hoc ad Opera pertinere iudicat; non recte, quamuis Lobeckius ad Phryn. l. l. assentiatur. Cf. Fritzsch. de Daetal. p. 101.

## § 4.

### *De carminis cum Operibus coniunctione.*

Expositis iis, quae e ueterum testimoniis de hoc carmine sciri possunt, reliquum est, ut dicatur, cur *Χείρωνος ὑποθήκας* in quibusdam codicibus Operibus et Diebus adiectos fuisse existimemus. Primum ipsa utriusque carminis similitudo argumentique propinquitas huic coniecturae potius favet, quam repugnat. Deinde alia quoque carmina Operibus olim addita fuisse constat. His de caussis coniectura per se non improbabilis uidetur; temeraria tamen esset, nisi alia argumenta accederent. Nam si initium carminis consideramus, facile perspicimus, hoc modo carmen incipere non potuisse. Uidetur igitur aliquid, quod prooemii loco praemissum esset, ab eo qui libros Hesiodios collegit et in ordinem redegit, quo facilius singula poemata in unum corpus coirent, electum interisse. Quibus rationibus si utimur ad explicanda Pausaniae uerba: „*παραινέσεις τε Χείρωνος . . . . . καὶ ὅσα ἐπὶ ἔργοις καὶ ἡμέραις*," eorum sententia haec uidetur: „Chironis cohortationes et quae praeterea (ita ut *καὶ ὅσα* sit pro *καὶ ὅσα ἄλλα*) Operibus et Diebus adiecta sunt." b) Quae si uera est interpretatio (quod tamen dubitari potest), manifestum habemus testimonium nostram coniecturam confirmans. Pausaniae succedat Athenaeus VIII. p. 364; cuius uerba quoniam largam praebebunt disputandi materiam, integra apponere placet.

*Οἱ δὲ νῦν προσποιούμενοι θεοῖς θύειν καὶ συγκαλοῦντες ἐπὶ τὴν θυσίαν τοὺς φίλους καὶ τοὺς οἰκειοτάτους καταρῶνται μὲν τοῖς τέκνοις, λοιδοροῦνται δὲ ταῖς γυναιξί, καλαβρίζουσι τοὺς οἰκέτας, ἀπειλοῦσι τοῖς πολλοῖς, μονονουχὶ τὸ Ὁμήρου λέγοντες*

b) Goettlingius p. XX *καὶ ὅσα κτλ. Ἡμέρας, Ὀρνιθομαντείαν* siue *ἔπη μαντικά* interpretatur; sed *Ἡμέραι* non possunt additamentum esse *ἐπὶ Ἔργοις καὶ Ἡμέραις.*

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα,

ἐπὶ νοῦν οὐ λαμβάνοντες τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος, εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν εἴτε Νικόμαχος ὁ ῥυθμικός, ἢ ὅστις δήποτε,

Μηδὲ σύγ' ἄνδρα φίλον καλέσας ἐπὶ δαῖτα θάλειαν
Ἄχθου ὁρῶν παρεόντα· κακὸς γὰρ ἀνὴρ τόδε ῥέζει·
Ἀλλὰ μάλ' εὔκηλος τέρπου φρένα, τέρπε τ' ἐκεῖνον.

Νῦν δὲ τούτων μὲν οὐδ' ὅλως μέμνηνται· τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν ἐκμανθάνουσιν, ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοιῶν καὶ μεγάλων Ἔργων παρῴδηται·

Ἡμῶν δ' ἤν τινά τις καλέσῃ θύων ἐπὶ δεῖπνον,
Ἀχθόμεθ', ἢν ἔλθῃ, καὶ ὑποβλέπομεν παρεόντα,
Χ' ὅττι τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ' αὐτόν.
Εἶτα γνούς πως τοῦθ' ὑποδεῖται· κᾆτά τις εἶπε
Τῶν ξυμπινόντων· „ἤδη σύ; τί οὐχ ὑποπίνεις;
Οὐχ ὑπολύσεις [σ]αυτόν;“ ὁ δ' ἄχθεται αὐτὸς ὁ θύων
Τῷ κατακωλύοντι καὶ εὐθὺς ἔλεξ' ἐλεγεῖα·
„Μηδένα μήτ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν,
„Μήθ' εὕδοντ' ἐπέγειρε, Σιμωνίδη“. οὐ γὰρ ἐπ' οἴνοις
Τοιαυτὶ λέγομεν δειπνίζοντες φίλον ἄνδρα;

Ἔτι δὲ καὶ τάδε προστίθεμεν·

Μηδὲ πολυξείνου δαιτὸς δυσπέμφελον εἶναι
Ἐκ κοινοῦ· πλείστη τε χάρις δαπάνη τ' ὀλιγίστη.

Antequam de hoc loco disputemus, monendum uidetur de Ferd. Schultzii commentatione Museo Rhenano (tom. V. 1837. fasc. 4. p. 600—614) inserta, quae quum iam dudum hasce dissertationes scripsissem certamque de Athenaei loco sententiam animo concepissem, in meam notitiam peruenit. In qua legenda facere non poteram quin mirarer singularem fortunam, qua in nullo harum commentationum capite tranquillo orationis cursu uti mihi licet, sed iterum iterumque grauissimas cum uiris doctis contentiones et pugnas, a quibus mea natura abhorret, suscipere cogor. Nam quae ille de hoc carmine

scripsit, praeter res certissimas omnia fere ita sunt comparata, ut uix intelligas, quomodo scribi uere potuerint. Iudicent lectores de eius sententiis, quas cum summa fide referam. Praetermitto autem leuiora, ueluti illa, quae de Phrynichi testimonio dicit. Hoc enim ita intelligit, p. 604 sq., ut Aristophanem putet totum carmen traduxisse, non, id quod aperte uerum est, unum uocabulum aut uersum imitatum esse. Illud autem in incerto relinquendum est, num etiam *καὶ κόσκινον* uerba ex eodem poemate expressa sint. Redeamus igitur ad Athenaei locum, cuius rationem iam paullo accuratius illustrabimus. Ac primum quidem aduertunt animum uerba *ὑπὸ τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος, εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν, εἴτε Νικόμαχος ὁ ῥυθμικὸς ἢ ὅστις δήποτε.* His comoediam significari Chironis nomine inscriptam patet, de cuius auctore etiam alibi Athenaeus dubitat (IX. p. 368. B. *παρὰ τῷ τὸν Χείρωνα δὲ πεποιηκότι τὸν εἰς Φερεκράτην ἀναφερόμενον.* p. 388. F. *Φερεκράτης ἢ ὁ πεποιηκὼς τὸν Χείρωνα.* XIV. p. 653. *ὁ δὲ τὸν Χείρωνα πεποιηκὼς τὸν εἰς Φερεκράτην ἀναφερόμενον.* Cf. Runkel. Pherecr. et Eupol. fr. p. 59). Ex hac comoedia quin tres priores uersus sumpti sint extra dubitationem positum puto. Nam quod uersus heroici sunt, id nihil habet offensionis, quum eorum exempla permulta et in tragoediis et comoediis Graecis reperiantur. Sed audiamus Schultzii rationem, qui uerbis *τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος* epici carminis, de quo nunc disputamus, fragmentum designari existimat p. 604. Sed hoc propter duas rationes grauissimas prorsus est incredibile; primum, quod nostrum carmen nusquam *Χείρων* dicitur, sed ubique argumenti significatio (*ὑποθῆκαι, παραινέσεις*) in inscriptione addita est (immo ita potius res se habet, ut potius *Χείρωνος* nomen omittatur, et solo *ὑποθῆκαι* nocabulo carmen laudetur); deinde quod Athenaeus comico alicui nullo modo hoc carmen epicum tribuere poterat. Illud autem facile concedo, quod Schultzius p. 601. Not. contra

Meinekium Comment. misc. c. I. p. 7 sqq. monuit, ἢ ὅστις δήποτε uerba ad dubitationem de auctore, non ad nocabulum ῥυθμικός („rhythmicus, aut quisquis fuit Nicomachus“) referenda esse. Apparet hoc ex similibus exemplis. Athenaeus VII. p. 277. D. ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλος ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος. VIII. p. 344. 6. ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη, εἴτε Κύπριός τίς ἐστιν ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος.

Iam si illud uere monuimus, hi tres uersus nullo pacto pro fragmento nostri carminis haberi debent; quanquam in ea sententia alii quoque sunt, quos nominat Schultzius p. 606.

Sequuntur uerba: νῦν δὲ τούτων οὐδ' ὅλως μέμνηνται· τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν ἐκμανθάνουσιν, ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοιῶν καὶ μεγάλων Ἔργων παρῴδηται.

Quae si quis non praeiudicata opinione considerauerit, facile perspiciet τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν pertinere ad illos uersus, qui in comoedia tres priores excipiebant, quos Athenaeus deinceps affert decem numero. c) Hos dicit ex Hesiodiis quibusdam carminibus παρῳδῆσθαι. Quae haec carmina fuerint, nunc non quaerimus. Sed occurrendum est grauissimo Schultzii errori, qui quae p. 607 disputauit, non intelligo. Hoc autem perspexi quod dicit p. 608 decem illos uersus esse Eoearum fragmentum, ex quo Ὑποθηκῶν uersus (significatos illos uerbis τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν) expressos censet. Atque hanc coniecturam affirmat se certissimam habere. Sed ego tales quidem uersus non agnosco; cuius iudicii rationes breuiter exponam. Primum credat qui potest in Chiro-

c) Hos igitur Runkelius fragmentis Pherecrateis inserere debebat p. 58. Sed miro errore, cuius auctorem citat Meinekium Comment. Misc. I. p. 6 sq., eos pro ὑποθηκῶν Χείρωνος, carminis Hesiodii, fragmento habet.

nis cohortationibus aliquot Eoearum uersus παρῳδῆσθαι. Num illud carmen ad parodiarum genus pertinebat? Quomodo Hesiodus pro parodiae alicuius auctore poterat haberi? Immo potius ad Chironem comoediam illud uocabulum aptum est. Error autem ex eo ortus est, quod de uerbi παρῳδεῖν significatione uir doctus non recte iudicauit. Deinde Athenaei uerba ita sunt comparata, ut non Eoearum uersus, sed eos, quos uerbis τὰ δὲ ἑξῆς αὐτῶν significauerat, allaturus fuisse uideatur. Grauissimae autem rationes ex ipsorum decem uersuum indole ac forma repetendae sunt. Nam non solum eorum argumentum et color ab Eoearum ratione alienissima sunt, sed etiam oratio tantopere ab antiquo dicendi genere epico abhorret, quantopere ad atticae comoediae similitudinem accedit. Non memini tales uersus apud epicos ne apud recentissimos quidem me legere. An credit uir doctus epicae poesis naturae tales formas et numeros conuenire, quales his uersibus continentur:

Χ. ὅττι τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ' αὐτόν.
εἶτα γνούς πως τοῦθ' ἀποδεῖται· κἆτά τις εἶπε
τῶν ξυμπινόντων· Ἤδη σύ· τί οὐχ ὑποπίνεις.

Crases illae inauditae sunt, neque ullum in antiqua epica poesi exemplum repetitur, quo alicuius oratio in medio uersu incipiat. Et quid tandem de uerbis καὶ εὐθὺς Ἔλεξ' ἐλεγεῖα et proximis dicam? Nam bona fortuna accidit, ut quid uerbo ἐλεγεῖα significetur sciamus. Apud Theognidem enim inde a u. 1197 (Welcker.) haec disticha extant:

Μηδένα τῶν δ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν,
Μήτε θύραζε κέλευ' οὐκ ἐθέλοντ' ἰέναι,
Μήθ' εὕδοντ' ἐπέγειρε Σιμωνίδη, ὅντιν' ἂν ἡμῶν
Θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἕλῃ.

De his uersibus haec est Schultzii coniectura; suspica-

tur enim, e Theognidis uersibus Magnas Eoeas esse interpolatas; et ex hac corrupta genealogici carminis forma Chironis *ὑποθήκας* expressas opinatur p. 612. His machinis, hac coniectandi temeritate opus erat ad illam opinionem de decem uersibus ex Eoeis sumptis tuendam, contra quam opinionem ipsa Athenaei uerba uehementissime clamant. Contra si, id quod etiam Athenaei uerba flagitant, decem illos uersus e Pherecratis siue Nicomachi comoedia transscriptos statuimus, habemus et argumentum aptum et orationem Atticae comoediae congruentem. Iam crases illae similesque formae, uelut *τοιαυτὶ* (quarum formarum nullam nisi doctus unum exemplum ex epico poeta attulisset), nihil offensionis habent, uersusque Aristophaneae orationi similes sunt atque ne unum quidem uocabulum continent, quod epico dicendi generi proprium sit. Aptum illi uersus locum habere poterant in comoediae parabasi. Sed ne hac quidem coniectura opus est. Nam quum comoediae a Chirone nomen fuerit impositum, per totam fabulam praecipiendi *χαρακτῆρα* obtinuisse uidetur. Atque ex inscriptione facile colligi potest illa hospitalitatis praecepta et inurbanitatis uituperia per parodiam ex Chironis Hesiodei cohortationibus expressa esse. Sed iam difficultatem nobis obiiciunt Athenaei uerba grauissimam: *ἅπερ πάντα ἐκ τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων μεγάλων Ἠοιῶν καὶ μεγάλων Ἔργων παρῴδηται.* De quibus ut recte iudicetur, monendum est de iis, quae Athenaeus extremo loco posuit: *ἔτι δὲ καὶ ταῦτα προςτίθεμεν,* quibus subiecti sunt duo Operum uersus 722. 3 (Goettl.). Haec minime ita interpretanda sunt, quasi Athenaeus eos uersus ex illa comoedia citare uoluisset. Sed eos de suo adiecit; ita ut deipnosophista ipse suam sententiam de conuiuarum tractandi ratione proferat Hesiodiis uerbis expressam. Sicut enim in praecedentibus Comici alicuius uerbis usus est ad notandos sui temporis in conuiuiis mores, sic in postremis He-

siodi auctoritate comitatem (μὴ δυσπέμφελον εἶναι) epulis et commissationibus adhibendam commendat. Quae si nobis conceduntur, facilius iam et fortasse rectius de Hesiodiorum carminum titulis (Ἠοιῶν μεγάλων et Ἔργων μεγάλων) iudicabitur. Nunc enim non licet μεγάλων Ἔργων nomen ad duos postremos uersus referre. Qui carminis titulus quum per se offensionem haberet, plurimi Ruhnkenio Ep. crit. p. 115 μεγάλων deleri iubenti assenserunt; Dindorfius autem uerba καὶ μεγάλων Ἔργων eiicienda iudicauit. Ego neutros probans aliter de hoc loco statuo. Hoc quidem ab omnibus conceditur Athenaei uerba corrupta esse; itaque emendatio facienda est, qua totius testimonii ratio perspicua fiat et probabilis corruptelae caussa ostendatur. Iam uero non facile est ad intelligendum, quomodo decem illi uersus ex Eoeis magnis, genealogici generis carmine, expressa esse potuerint. [d]) Potius ad poema gnomici argumenti comicus respexisse uidetur. Itaque coniectura nostra, quam supra e comoediae nomine ductam significauimus, non improbabilis iudicabitur, Χείρωνος ὑποθήκας illud carmen fuisse. Suspicor igitur Ἔργα μεγάλα uerbis carminum Hesiodiorum didactici generis collectionem significari, in qua etiam Chironis praecepta esse debebant. Illa autem collectio propterea sic nominata erat, quod in ea Ἔργα et nobilissimum carmen erant et primum

---

d) Fritzschius de Daet. p. 102 sq. sic dicit: „Nam quod ait Athenaeus, quindecim illos uersus ex Hesiodi opere Μεγάλαι Ἠοῖαι per lusum detortos esse, nullus dubito, quin uel opinio hominem fefellerit, uel potius hoc communi titulo multi Hes. libelli et uero etiam illae Παραινέσεις s. Ὑποθῆκαι comprehensae fuerint.“ Bergkius de Att. com. rell. p. 225 de tribus uersibus prioribus sic iudicat: „haec — non ab ipso Pherecrate sunt profecta, sed ex Hesiodo, ut uidetur ex his ipsis Achillis praeceptis, mutuo translata et huic comoediae accommodata; uti etiam ii uersus, qui sequuntur, magna ex parte ex Hesiodi Operibus et fortasse ex magnis Eoeis et ex Theognidis Elegiis sunt petiti.“

locum obtinebant. Haec inscriptio eo minus mira uidebitur, si quis reputauerit Ἔργων nomen ne seruato quidem carmini ab omni parte satis conuenire. Uide Goettling. praef. p. XX. Iam librarius quidam quum quid Ἔργα μεγάλα sibi uellent non perspiceret et μεγάλων Ἠοιῶν saepe citatarum meminisset, harum nomen emendandi caussa in margine posuisse uidetur; unde in uerborum continuationem receptum est. Neque τῶν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένων uerba quidquam difficultatis habent. Quum enim in illam collectionem etiam talia carmina, de quorum auctore postea dubitabatur, congesta essent, Athenaeus recte hac locutione usus est. Quod autem ad uersus Theognideos attinet, ii minime ad epicum carmen pertinuerunt, sed eos a comico e gnomis Theognideis petitos esse puto; id quod Athenaeus quum elegiaci carminis immemor esset adnotare neglexit. Ad Theognidem autem comicum respexisse ἐλεγεῖα uocabulum perspicue significat. Pentametros autem omisit, quia in illa comoediae parte hexametris uti placuerat. Quibus uide quam apte usus fuerit, quum ad epicum carmen exprimendum se contulisset. Quam similes autem huius uersus comicis ab Athenaeo seruatis fuerint, diiudicari nunc nequit; et leuis quaedam cognatio cum totius argumenti propinquitate coniuncta sufficiebat, ut Athenaeus παρῳδῆσθαι uerbo apte uteretur.

Superest, ut Welckeri sententiam commemorem, cuius uiri quanquam in his litteris auctoritas magna apud omnes esse debet, tamen eius de Athenaei loco iudicium perpensis omnibus momentis a me impretare non potui ut mea assensione probarem. Is enim copiose de hac re ad Theogn. u. 1197. p. 140 sq. disputans, Eoearum magnarum codici alia poemata Hesiodia arbitratur fuisse annexa et in iis etiam Chironis gnomas. Melius de hac re iudicauit in Mus. Rhen. 1833. p. 426 sq. Maxime autem illud nego uerum esse, quod de Theognidis uersibus dicit, „in Eoeis uel ad uerbum extitisse

„uel inde certe expressos fuisse liquet, adiunctis pentametris.“ Theognidia enim disticha uersibus ab Comico *ἐλεγεῖα* nomine citatis antiquiora esse, recte Schultzius p. 612 demonstrauit, et ex ipso illo nomine apparet.

Iam breuiter exponam, quid hac disputatione effecisse mihi uidear. Primum nouum aliquod de nostri carminis argumento nacti sumus indicium. Uidentur enim quaedam de iusta hospitum tractatione praecepta in eo fuisse, quae neque ab antiquissima aetate neque a regia dignitate abhorruisse poeta docet Od. XV, 685 sq. Deinde id effecimus, ut *Χείρωνος ὑποθῆκαι* Operibus Hesiodi cum aliis carminibus subiectae fuisse uideantur.

Haec de difficili Athenaei testimonio dicenda habebam; quae si quis non probauerit (nam dubitari posse de meae coniecturae ueritate ipse optime sentio), hunc rogatum uelim, ut ne unam aut alteram rem expromat et difficultates moueat, sed ut omnibus momentis comprehensis periculum faciat Athenaei testimonium ab omni parte illustrandi; quod si cui melius quam mihi atque iis, qui ante me de hac re scripserunt, contigerit, ipse ego uictoria eius maxime gaudebo. Interea mihi hoc munus suscipiendum erat, quod pro uiribus administraui. *) Praeter Pherecratem etiam Cratinus in Chironi-

*) Haec diu scripta erant, quum allata est Caesaris disputatio Zimmermanni Ephem. antiq. stud. 1838. N. 65 sqq. inserta, qua accurate de hoc Athenaei loco disseritur. Quam quum legerem, meam ipsius sententiam ab illo expositam legere mihi uidebar; tam prope huius uiri doctissimi disputatio ad ea, quae ego scripseram accedit; ac ne de leuissimis quidem rebus inter nos est ulla controuersia, ita ut illius ego coniecturas surripuisse uideri possem, nisi mea anno fere, antequam illa legerem, scripta fuissent. Consentit autem mecum tum in emendandis tum in explicandis Athenaei uerbis, quae eodem modo iam Hugius (Hesiodi *ΕΡΓΑ ΜΕΓΑΛΑ.* Friburgi Brisgouiae. 1835) correxerat, cuius dissertationis notitiam Caesari debeo. Sed ille *ἔργων μεγάλων* nomen ad aliud carmen georgicum quoddam retulit, quod extitisse olim demonstrare illo

bus hoc carmen respexisse uidetur; e qua comoedia Hephaestio p. 17 hunc uersum seruauit:

*Σκῆψιν μὲν, Χείρωνες, ἐλήλυμεν, ὡς ὑποθήκας.*

De hac comoedia cf. Hanouii Exercit. crit. in Com. p. 57—67. Runkel. fr. Crat. Bergki de Att. com. rell. p. 225 sq.

## § 5.

### *De carminis auctore et aetate.*

Sequitur, ut de auctore et aetate carminis disseratur, in qua quaestione non magna uti licet testimoniorum multitudine. Schol. Pindari Pyth. VI, 16 dicit *τὰς δὲ Χείρωνος ὑποθήκας Ἡσιόδῳ ἀνατιθέασιν, ὧν ἡ ἀρχή* a), in quibus nulla dubitationis significatio inest. Etiam Pausanias dicit a multis hoc carmen ad Hesiodum referri. Phrynichus et Grammaticus ap. Bachm. citant *τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας.* Suidae errorem Chironem pro auctore habentis supra notauimus. Grauissimum autem est Quintiliani testimonium I, 1, 15: *In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt: Nam is primus*

---

scripto conatus est. Caesar praeterea Procli notationem ad Hes. Op. 126 in disputationem adduxit. Legitur ibi: *τὸ δ' ἀργύρεον* (sc. *γένος*) *τῇ γῇ ἀκούουσι, λέγοντες, ὅτι ἐν τοῖς μεγάλοις τὸ ἀργύριον τῆς γῆς γενεαλογεῖ.* Uerba aperte corrupta sunt; pro *ἀκούουσι* Lobeckius Agl. p. 414 *οἰκειοῦσι* suspicatur scriptum fuisse et *μεγάλα ἔργα* nomen ad Orphicum carmen refert. Lenzius (de personati Orphei *Ἔργοις καὶ Ἡμέραις* in Ruperti et Schlichthorstii comment. phil. I. p. 119), quem Caesar citauit *τὸ ἀργύριον* in *τὸ ἀργύρεον* (sc. *γένος*) emendauit. Caesar ipse nescire se fatetur, quid uerbis Procli faciendum sit. Mihi, si coniecturam proferre licet, Orphei nomen excidisse uidetur. —

a) Schultzius p. 603 *ὧν ἦν ἀρχή* scripsit, quod unde sit nescio. Uidetur scribentis error; inde coniectura ipsi orta est, scholiastam non uidisse carmen. Uerum *ὧν ἦν ἀρχή* ne ferri quidem potest. Articulus necessarius. Uide ad Pyth. IX, 6. — *Ἠοίας* — *ἧς ἡ ἀρχή.*

ὑποθήκας, *in quo libro scriptum hoc inuenitur, negauit esse huius poetae.*

Sine dubio Aristophanes Byzantius intelligendus, is qui etiam Scutum primus Hesiodo abiudicasse uidetur. Qua aetate carmen factum sit, definire accurate non licet. Sat antiquum fuisse, tum e Pindari uersibus tum ex eo colligi potest, quod ante Aristophanem nemo de auctore dubitauit.

Uideamus iam de Schultzii ratione, qui satis angustis finibus aetatem, qua poema compositum est, circumscribi posse putat. Quadringentis enim fere annis a. Chr. n. carminis auctorem uixisse censet, in qua aetatis definitione decem annorum errorem caueri non posse concedit p. 613. Huius iudicii argumentum primarium [b]) ex Theognidis uersibus petitum supra iam expugnauimus, ita ut haec de aetate coniectura stare nullo modo queat. Sed sunt etiam aliae rationes, quibus impugnari possit. Primum peto ex eo, quod ante Aristophanem grammaticum carmen ab omnibus Hesiodo adscribebatur. Nam quomodo tam nouitium opus tantam auctoritatem nancisci potuerit, difficile intelligas. Schultzius suspicatur „plurimos“ Quintiliani intra annum CCC et CC a. Chr. n. uixisse. Sed quidni etiam antiquiores fuisse statuamus? Neque sufficiebat centum annorum spatium, ut carmen tam antiquo uati tribueretur. Deinde autem illa aetate omnino nulla carmina didactici argumenti heroicis uersibus componebantur; neque epica poesis florebat. Antimachi et Choerili nominibus in hac caussa uti non licet. Sic autem uir

b) Animi caussa ipsius uerba adscribam: Nach den Versen des Theognis sind also jene zehn Verse aus den grossen Eöen, wenigstens theilweise umgebildet; nach diesen, wie Athenäus sagt (?), eine Stelle des Cheiron: und aus dieser Verbindung schliessen wir mit voller Sicherheit (!), dass die Sprüche des Cheiron als Gedicht eine ziemlich geraume Zeit nach dem Theognis verfasst worden sind.

doctus suam opinionem Aristophanis parodia, quam e Daetalensibus Phrynichus affert, confirmari existimat, comicumque antiquum poema non irrisurum fuisse dicit, huius quidem argumenti refutatio iis continetur, quae supra in uniuersum de Hesiodiorum uersuum apud Aristophanem parodiis diximus.

Satis multa, neque prorsus, ut speramus, inutilia, etiamsi non certissima de tenui argumento disputauimus, de quo Goettlingius p. XXX non habebat, quod moneret. Pauca tantum reliqua sunt, quae addantur. Chiron praeter alias res etiam medicam artem docuisse ferebatur et Aesculapii praeceptor habebatur (Suid. u. *Χείρων*, Tzetz. Chil. VI, 960), ita ut aliquis credere possit Plutarchum Conu. Sept. Sap. p. 158 (Wyttenb.) ad hoc poema spectasse. Ibi Cleodemus haec dicit: *ἰατρικὸς γὰρ Ἡσίοδος ὢν* (Vulg. *ὡς*; corr. Wytt.) *δῆλός ἐστιν, οὐκ ἀμελῶς οὐδὲ ἀπείρως περὶ διαίτης καὶ κράσεως οἴνου καὶ ἀρετῆς ὕδατος καὶ λουτροῦ καὶ γυναικῶν διαλεγόμενος καὶ συνουσίας καιροῦ καὶ βρεφῶν καθίσεως.* De his uerbis Fabricius B. G. I. p. 593. H. sic scripsit: „De medicina „scripsisse (Hesiodum) singulari quodam libro, minus „adhuc mihi persuadeo, licet Cleodemus Medicus con„tendat, Hesiodum medicum fuisse.“ Recte quidem; sed, quo pertinerent Cleodemi uerba, non significauit uir diligentissimus. Spectant autem ad Opera et Dies, in quo carmine de uictu u. 591 sqq., de uini temperie et aquae uirtute u. 595 sq., de lauacro u. 753, de mulieribus u. 696 sqq., de concubitus tempore u. 735 sq., de infantium sessione u. 750 praecipitur.

---

# Caput VIII.

## De astronomico carmine.

### § 1.

*De carminis nomine et argumento.*

De Astronomia pauca sunt quae dicenda uideantur. Pausanias testimonio nobilissimo, quo iam saepius usi sumus, eius memoriam praetermisit; qua re Goettlingius p. XXIX adductus est, ut *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* uerbis Astronomiam significari existimaret. Sed illa ratio minime sufficit, ut opinionem per se incredibilem persuaderi nobis patiantur. Obstant autem rationes grauissimae. Nam ex Pausaniae uerbis apparet *ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν* ad *ἔπη μαντικὰ* pertinuisse, ut supra c. VII. § 1 ostendimus. Quomodo autem Astronomia prodigiorum interpretatio dici potuerit, nemo facile assequetur. Neque e fragmentis quae pauca supersunt coniecturae praesidium parari licet. Praeterea non uerum est, quod Goettlingius dicit, multos hoc poema laudasse. Neque omnes, qui eius meminerunt, ipsum uidentur cognitum habuisse; ueluti Tzetza, qui in Chiliad. XII, 169 sqq. haec scripsit:

*Ἡσίοδος ὁ πρότερος κατά τινας Ὁμήρου*
. . . . . . . . . . . . . . . . .
*Οὐ γράφει βίβλον ἀστρικήν; ἧς τὴν ἀρχὴν οὐκ οἶδα,*
*Ἐν μέσῳ τοῦ βιβλίου δὲ τὰ ἔπη κεῖνται ταῦτα.*

Cf. fr. CLXXXI. Uersus autem ex Arati interpretibus deprompsit. Praeter eos carmen memorant Plinius N. H. XVIII, 25. Athenaeus XI, 491. C. et Plutarchus de Pyth. orac. 18.

Nomen carminis, ut aliorum poematum Hesiodiorum inscriptiones, diuerso modo traditur. *Ἀστρονομία* est apud Athenaeum, Astrologia apud Plinium; Schol. Arat.

254, unde transscripsit sua Tzetza, ἀστρικὴν βίβλον citauit. Quorum titulorum qui geminus fuerit, discerni nunc nullo pacto potest.

Hesiodo carmen sine dubitatione tribuitur a scholiasta Arati et Tzetza. Plinius sic citat: „— — — *Hesiodus (nam huius quoque nomine extat Astrologia) tradidit* — —". Plutarchus carmen pro uere Hesiodio habuisse uidetur; nam de Thaletis Astrologia dubitationem significauit, de Hesiodio opere non item: ἐν μέτροις πρότερον Εὐδόξου καὶ Ἡσιόδου καὶ Θαλοῦ γραφόντων, εἴγε Θαλῆς ἐποίησεν ὡς ἀληθῶς εἰπεῖν τὴν αὐτῷ ἀναφερομένην ἀστρολογίαν. Athenaeus affert τὸν τὴν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένην ποιήσαντα Ἀστρονομίαν, unde carmen ab eo spurium indicatum esse apparet. Callimachi autem epigramma in Arati Phaenomena (XXIX), quod Ernestius sic restituit

Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος· οὐ τὸν ἀοιδῶν
 Ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο· χαίρετε λεπταὶ,
 Ῥήσεις Ἀρήτου σύγγονοι ἀγρυπνίης,

ad astronomicos Operum ac Dierum uersus refero. Cf. Fabricium B. G. I. p. 591 et Ernestium t. I. p. 333 sqq., et libros ab his citatos.

De argumento carminis breuiter dicere licet. Uidetur autem stellarum et astrorum recensionem fabularumque astronomicarum expositionem comprehendisse, adiunctis de ortu occasuque stellarum obseruationibus habitaque fortasse operum rusticorum et rerum sacrarum ratione.

## § 2.

### *De Astronomiae aetate.*

De aetate carminis quaestio difficillima est, quoniam ne de argumento quidem satis constat. Si hoc sumere nobis licet, fabularum astronomicarum fuisse

enarrationem, non improbabilis O. Muelleri (Prol. ad Myth. p. 193), Alexandrinorum aetate poema assignandum esse, uideri debet. Nam quae uir praestantissimus de harum fabularum origine disputauit, ea tantam mihi assensionem extorserunt, ut si illa quae ex Hygino, Eratosthene, Arati scholiasta in fragmentis huius poematis posui, uere huc pertinuerunt, dubitandum mihi non esse uideatur, quin carmen post Eudoxi tempora compositum sit. Sed dicat aliquis, ea male huc a nobis relata esse. Qui uelim reputet, quam paucae numero fuerint ante Eudoxi tempora fabulae uere astronomicae (Mueller. p. 196). Nam quae ex antiquis epicis innotuerunt, eae non uidentur suffecisse ad consilium tale carmen componendi excitandum. Contra si ingentem fabularum numerum posteriore aetate ad astrorum explicationem translatarum contemplamur, facile se nobis offert suspicio harum multitudinem inuitasse ad eas carmine comprehendendas. Deinde accedit illorum auctorum consuetudo, qua dicunt hunc aut illum aliqua de caussa inter sidera relatum esse secundum Hesiodiam aliquam fabulam. Quibus testimoniis si ulla fides habenda est, maxima probabilitate eos ad Astronomiam respexisse suspicamur. Quanquam non nego uariorum nonnunquam auctorum narrationes diuersique generis fabulas ab iis mixtas esse. Praeterea totius carminis consilium multo magis eruditae aetatis studiis, quam antiquae poesi epicae conuenire. His rationibus adducimur, ut Muelleri sententiae non acriter repugnemus.

---

## Epimetrum ad Lib. I.

### *De carminibus errore ad Hesiodium nomen relatis.*

Huic loco ea nomina reposuimus, quae nunquam ad carminum Hesiodiorum significationem adhibita, errore in harum inscriptionum numerum relata sunt. His praemitto carminis Hesiodii nomen a Suida seruatum: *Ἐπικήδειος εἰς βάτραχόν τινα ἐρώμενον αὐτοῦ*, cuius praeterea per totam antiquitatem ne leuissima quidem memoria extat. Ipse titulus recentioris aetatis indicium habet.

#### 1. *Γῆς περίοδος.*

Strabo VII, p. 302 Cas. Ephorum testatur dixisse: *μεμνῆσθαι αὐτῶν* (sc. *τῶν Νομάδων Σκυθῶν γάλακτι ἵππων τρεφομένων*) *τοὺς ποιητὰς Ὅμηρον μὲν*

*Γλακτοφάγων Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων*

*φήσαντα τὴν γῆν καθορᾷν· τὸν Ἡσίοδον δὲ ἐν τῇ καλουμένῃ γῆς περιόδῳ, τὸν Φινέα ὑπὸ τῶν Ἁρπυιῶν ἄγεσθαι.*

*Γλακτοφάγων εἰς αἶαν, ἀπήναις οἴκι' ἐχόντων*

De quo loco (fr. LXII) Heynius in Obseruatt. ad Apoll. T. II, p. 78 dicit: „quod forte non ita accipiendum ac si Hesiodus tale carmen scripserit, sed seruatum illum Hesiodi uersum Strabo meminerat in alio opere sic inscripto uelut Eudoxi.“ Heynium sequuntur Harlesius ad Fabr. B. G. I, p. 592 et Goettlingius ad fr. CXXI, ita tamen ab eo dissentiens, ut illud ad Eratosthenem, non ad Eudoxum pertinere dicat. Et sane haec sententia alio Strabonis testimonio VII, p. 300 confirmari uidetur: *ὅτι γὰρ οἱ τότε τούτους ἱππημολγοὺς ἐκάλουν καὶ Ἡσίοδος μάρτυς ἐν τοῖς ὑπ' Ἐρατοσθένους παρατεθεῖσιν ἔπεσιν* (fr. LXIV). Sed obstat quod Strabo priore testimonio uersum cum carminis nomine

ex Ephori historiis hausisse uidetur. Cui si *γῆς περίοδος* nota erat, ab Eratosthene centum fere annis post illum uiuente geographicarum notitiarum in Hesiodi carminibus extantium collectio non potest instituta esse. Quare quum alter locus minime cogat, ut talem collectionem Eratostheni tribuamus, relinquenda uidetur Goettlingii sententia, quam etiam praef. XXX repetiit. Hanc tamen aliquis ita defendere possit, ut carminis titulum non ex Ephoro haustum, sed a Strabone, qui uersum ab historico citatum in Eratosthenia colleetione inuenisset, additum esse dicat.

Aliam sententiam Werfer. in Act. Mon. Philol. II, p. 499 proposuit, Strabonem ex Ephori historiarum libro IV excerpsisse et quum eius argumentum breuissime exponere uellet, Hesiodo id opus tribuisse, ex quo ipse Ephorus hunc uersum sumpsisset; haud dubie fuisse Eudoxi, Ephori illius aequalis, usitatam *γῆς περίοδον*. Haec Lehmannus, qui praeter Heynium etiam Schneiderum ad Orph. Arg. u. 677 citauit, recte se habere iudicat et Strabonis locum lacunosum esse dicit. Marxius ad Ephor. fr. p. 189 uereri se profitetur, ne Heynii ratio nimis uiolenta sit pro uerborum ordine et sententia; fortasse corrigendum esse apud Strabonem *ἐν ταῖς καλουμέναις μεγάλαις Ἠοίαις*; sed hoc multo etiam uiolentius est Heyniana ratione.

Sed ut iam nostrum iudicium proferamus, Strabonis uerba ita comparata sunt, ut Hesiodii carminis nomen uerbis *ἐν τῇ — περιόδῳ* contineri uideatur. Quod quominus uerum esse existimemus obstat ipsa tituli ratio, quum minime uerisimile sit antiquo tempore tale argumentum epico carmine tractatum esse. Accedit quod illa Phinei fabula in Catalogo et Eoeis tractata erat (cf. fr. LX sqq. CLIX). Quare mihi non dubium uidetur, quin Strabonis testimonium sit mutilatum aut geographus parum accurate excerpserit.

### 2. Θεῖοι λόγοι.

Hunc titulum Fabricius Hesiodiorum carminum indici inseruit, sed immerito, ut iam Harlesius adnotauit. Nititur illa opinio Maximi Tyrii uerbis Dissert. XXXII, 4: *χωρὶς δὲ αὐτῷ πεποίηνται οἱ θεῖοι λόγοι, ἅμα τοῖς λόγοις θεογονία*, ubi alii *ἅμα δὲ* alii *καὶ ἅμα* scribere uolebant. Neutro opus est. Si illa recte intelligo, sophista uerbis *οἱ θεῖοι λόγοι* ipsam Theogoniam significauit. Recte Muetzellius p. 355 sic dicit de Maximi loco: „Ex quo fuerunt qui nouum opus Hesiodeum *θεῖοι λόγοι* inscriptum callide procuderent. Nimirum non aduertit illos rhetoricum elocutionis genus appositorumque uis studiose quaesita. Uerba dubia illustrabimus eiusdem sophistae exemplo X, 6: *τοῦτο τοίνυν οἱ ποιηταὶ κατανοήσαντες ἐξεῦρον ἐπ᾽ αὐτῇ μηχανὴν ἐν τοῖς θείοις λόγοις μύθους λόγου μὲν ἀφανεστέρους, αἰνίγματος δὲ σαφεστέρους.*“ Hinc corrigenda quae scripsit Ulricius p. 369.

### 3. Ὕμνοι.

Hymnos Hesiodum scripsisse credere aliquis possit Tzetzae uerbis (Prol. ad Lyc. p. 258 Mueller.) deceptus: *ὑμνογράφοι δὲ οἱ ποιηταὶ οἱ εἰς θεοὺς γράφοντες ὕμνους, ὥςπερ ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος Ὀρφεύς, Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Ἀσκληπιάδης καὶ ἕτεροι.* Sed hymnorum Hesiodiorum apud ueteres scriptores ne minimum quidem uestigium superest. Quare Tzetza aut errasse aut, quod multo probabilius est, Theogoniam ad hymnos retulisse indicandus est. Et hoc eum fecisse intelligitur ex eo, quod de Musis prooemium uere ad hymnorum similitudinem accedit. Aristides II, p. 497: *Ἐκεῖνος ἀρξάμενος τῆς Θεογονίας καὶ τὰς Μούσας ὑμνῶν εὐθὺς λέγει κτλ.* p. 498: *τὰς Μούσας φησὶν* (*Ἡσίοδος*) *ὑμνεῖν τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα, καὶ ταύτην εἶναι φύσιν αὐτῶν. κἀγὼ οὖν, φησίν, ὑμνῶ ταῦτα ἅπερ αἱ Μοῦσαι.* In eandem sententiam Theogoniae prooemium Musarum *ἐγκώμιον*

dicunt Lucianus de Saltat. c. 24. T. V, p. 138 et Aristides II, p. 498. Sed non solum de Musis carmen, uerum totam Theogoniam potuisse ad hymnos referri, discimus e Menandri rhetoris de Encomiis disputatione (ap. Walz. T. IX, p. 149): *σπανίως ὕμνον εὑρεῖν εἴη ἂν τῶν θεῶν, ἐν ᾧ τὸ γενεαλογικὸν μόνον φέρεται, πλὴν εἴ τις ὑπολαμβάνοι τὰς Θεογονίας ὕμνους εἶναι θεῶν.* Atque Hesiodus ipse saepius hoc usus est uocabulo: Theog. 11; u. 33: *καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων*, u. 101: *ὑμνήσῃ, μάκαράς τε θεούς.* Op. u. 2. 655: *ἔνθα μέ φημι ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν.* Fr. CCXXI, u. 2: *μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν.* Etiam de Operibus *ὑμνεῖν* dictum est a Themist. Or. XXX, p. 348 Hard. *ὁ δὲ γῆς τε ὕμνησεν ἔργα καὶ ἡμέρας.*

Quare recte fecit Lehmannus p. 6, quod hymnos in eorum carminum ordine posuit, quae uariis de caussis falso essent Hesiodo adscripta. Muetzellius p. 361 ex eo, quod Hesiodus inter hymnographos fuerit relatus, aliam antiquissima aetate Theogoniae conditionem fuisse colligere uidetur, quam opinionem nemo uel propterea probabit, quod Tzetza unus est eius rei auctor.

### 4. *Κεραμεῖς.*

Pollux X, 85: *τὰ δὲ κάναστρα τοῦ ποιήσαντος τοὺς Κεραμέας, οὕς τινας Ἡσιόδῳ προςνέμουσι· λέγει γοῦν·*

*εὖ δὲ περανθεῖεν κότυλοι καὶ πάντα κάναστρα.*

Hermannus, qui Opusc. VI, 1, p. 271 hoc testimonium additamentis ad Goettlingianam collectionem inseruit, *οὕς τινες* corrigendum censet; rectissime. Sed grauius latet uitium, quum Hesiodo *Κεραμεῖς*, cuius carminis tertius ille est uersus, a nonnullis adscriptos esse non credibile uideatur. Homerum sine dubio aut scripsit grammaticus aut scribere uoluit, ut post Hemsterhusium ad h. l. Welcker. Ep. cycl. p. 417. N. 668 recte animaduertit. De huius coniecturae ueritate non

dubitabit, qui reputauerit, quoties Hesiodi nomen in antiquis testimoniis errori debeatur. Cuius rei aliquot exempla fragmentis adiunxi.

5. *Φοινικικά.*

Cedrenus Hist. Comp. p. 10 ed. Bas. *Οἱ τὰ Φοινικὰ* (leg. *Φοινικικὰ*) *συγγραψάμενοι, Ἡσίοδός τε καὶ Ἑκαταῖος, Ἑλλάνικος καὶ ὁ Ἀκουσίλαος, Ἔφορός τε καὶ ὁ Νικόλαος.* Hesiodum Phoenicum historias prosa oratione scripsisse nemo credet, ac nemo antiquorum scriptorum credere poterat, quanquam Cedreni uerba etiam apud Syncellum p. 43 extant. Nisi igitur Hesiodi nomen corruptum est, quod non credibile est, *Φοινικικῶν* nomine eam Catalogorum partem significari puto, qua Agenoris, Phoenicis et Europae fabulae continebantur. Cf. fr. XXXIX. XLII.

6. *Περὶ ταρίχων.*

Athenaeus III, p. 116 a. *Εὐθύδημος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ περὶ ταρίχων Ἡσίοδόν φησι περὶ πάντων τῶν ταριχευομένων τάδ' εἰρηκέναι·*

*Ἄμφακες μὲν πρῶτον στόμα καὶ κριταίαν καὶ θιόην*
*Γναθμῶν ἠδάξαντο δυσείμονες ἰχθυβολῆες,*
*Οἷς ὁ ταριχόπλεως ἅδε βόσπορας, οἱ πιθόγαστροι*
*Τμήγοντες τετράγωνα τὰ χήτρια κεκαίνονται.*
*Ναὶ μὴν οὐκ ἀκλεὲς θνητοῖς γένος ὀξυρύγχου,*
*Ὃν καὶ ὅλον καὶ τμητὸν ἅλες τρηχεῖς ἐκόμισσαν.*
*Θύννων δ' ὡραίων, Βυζάντιον ἔπλετο μήτηρ,*
*Καὶ σκόμβρων βυθίων τε καὶ εὐχόρτου λιβιβάττεω,*
*Καὶ Πάριον κολιῶν κυδρὴ τροφὰς ἔσκε πολίχνη.*
*Ἴονιον δ' ἀνὰ κῦμα φυγὼν Γαδείρωθεν ἄξει*
*Βρέττιος ἢ Καμπανὸς ἢ ἐξ ἀγαθοῖο Τάραντος*
*Ὀρκύνοιο τρίγωνα, τά τ' ἐν σταμνοισι τεθέντα*
*Ἀμφάλλαξ δείπνοισιν ἔνι πρώτοισιν ὀπηδεῖ,*

*Ταῦτα τὰ ἔπη ἐμοὶ μὲν δοκεῖ τινος μαγείρου εἶναι μᾶλλον ἢ τοῦ μουσικωτάτου Ἡσιόδου. πόθεν γὰρ εἰδέναι*

*δύναται Πάριον ἢ Βυζάντιον, ἔτι δὲ Τάραντα καὶ Βρεττίους καὶ Καμπανούς, πολλοῖς ἔτεσι τούτων πρεσβύτερος ὤν. δοκεῖ οὖν ἐμοὶ αὐτοῦ τοῦ Εὐθυδήμου εἶναι τὰ ποιήματα.*

Carmen aliquod Hesiodium *περὶ ταρίχων* nunquam uidetur extitisse, sed Euthydemus illos tantum uersus corruptos Hesiodo supposuisse, quum ei quod tractabat argumento aliquam dignitatem et honorem uellet comparare. Nam uel Athenaei aetate nulla talis carminis memoria aut notitia extabat, et deipnosophista omnem uersuum cognitionem ex Euthydemi libro hausit. De uersuum emendatione multa opera perdita desperaui.

## 7. *De deperdito aliquo carmine georgico.*

Praeter Opera et Dies olim alterum carmen Hesiodium de rebus rusticis extitisse et multi alii sibi persuaserunt et ego diu credidi. Neque nunc fortasse aliter sentirem, nisi accurata et probabilis Caesaris, philologi Marburgensis, disputatio (Zimmermannii Ephem. stud. antiq. 1838. No. 65—67 inserta) ab illa me reuocasset opinione. Primum autem de ea re dixisse uideo Heinsium in Introductione ad Hes. Op. c. 4, qui p. 646 ed. Loesn. sic scripsit: „Sequitur ergo aliis libris de ea re ab Hesiodo actum esse, quae his (Operibus ac Diebus) contineri putabatur.“ In eandem coniecturam incidit Manso in Additam. Sulzer. III, p. 62. Not. Post hos diligenter hoc argumentum tractauit Welcker. in Museo Rhen. I, 3 p. 422—428, cuius sententiam Hermannus Opusc. VI, 1 p. 258 uidetur probare. Etiam L. de Leutsch in Ephem. Hal. 1831. No. 188 p. 219 contra Lehmannum (Fragm. Hes. p. 5) disputans tale carmen extitisse eique *ἔργα μεγάλα* nomen fuisse affirmauerat [a]). Sed omnium accuratissime rem gessit Io. Leonardus Hugius, Friburgensis, in commentatione Hesiodi

---

a) Etiam in Thesibus sexaginta Gotting. 1833. p. 19 carmen bucolicum Hesiodeum fuisse statuit, quod *ἔργα μεγάλα* dicebatur.

*ΕΡΓΑ ΜΕΓΑΛΑ* inscripta, qua anno MDCCCXXXV Prorectoris munus auspicatus est. Is p. 5 ita disputationem orditur: „Constitui retegere uestigia uetustate paene abolita Hesiodei carminis, quod inscribebatur *ΕΡΓΑ ΜΕΓΑΛΑ*; etenim in ea sum opinione, praeter ἔργα καὶ ἡμέρας, amoenissimum uatis Ascraei libellum, ueteres legisse carmen multo uberius, quod totius agriculturae praecepta complectebatur; uidelicet praeter aruorum etiam uinearum cultum et tarde nascentis oliuae, sationem et insitionem arborum, aquarum deductionem, pecorum curam aliaque id genus, quae in Hesiodo, quem manibus terimus, frustra quaesieris.“ Deinde singulas argumenti partes his uerbis significatas persequitur et antiquorum profert scriptorum testimonia.

Ab horum uirorum sententia discedit Caesaris disputatio; ante quem iam alii istam opinionem sibi probari negauerant, ea testimonia, quibus illud effici posse uideretur ad copiosiorem Operum ac Dierum recensionem referentes, aut antiquos scriptores erroris arguentes. Fridericus enim Thierschius (Comment. Acad. Mon. 1830 de Hesiodi carm. p. 30) copiosissimum carmen didacticum Hesiodi olim extitisse suspicatus est, ex quo grammaticorum temporibus hodiernum opus (Ἔργα καὶ Ἡμέραι) esset excerptum. Paullo aliter Goettlingius iudicauit, qui Praef. p. XIX haec scripsit: „Longe etiam plura uidentur huic syllogae olim adiecta fuisse a recentioribus, quae ad agriculturam pertinebant, si concludere id licet e fragmentis inde a p. 208 a nobis propositis.“ Similis est Bodii sententia Hist. poes. Gr. I, p. 435. N. 3.

Sed iam singula ueterum scriptorum testimonia consideremus, quibus uiri docti ad istam opinionem confirmandam usi sunt. Atque Hugius quidem p. 9 pleniorem carminis notitiam, quam reliquis omnibus testimoniis, Manilii uersibus nobis subministrari dicit; qui in libro secundo Astronomicorum, postquam Home-

nicorum carminum, Iliadis et Odysseae, mentionem fecit, Hesiodiae poesis argumenta hoc modo adumbrat:

*Sed proximus illi*
u. 12. *Hesiodus memorat Diuos Diuumque parentes,*
*Et chaos enixum terras, orbemque sub illo,*
*Infantem et primos titubantia sidera partus,*
*Titanasque senes, Iouis et cunabula magni,*
*Et sub fratre uiri nomen, sine fratre parentis,*
*Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum,*
*Omniaque immenso uolitantia numina mundo.*
u. 19. *Quin etiam ruris cultus legesque nouandi*
*Militiamque soli; quod colles Bacchus amaret,*
*Quod foecunda Ceres campos, quod Pallas utrumque;*
*Atque arbusta uagis essent quod adultera pomis,*
*Siluarumque deos sacrataque numina Nymphas,*
*Pacis opus magnos naturae condit in usus.*

Prior horum uersuum pars (11—18) ad Theogoniam pertinet, cuius argumentum in uniuersum uerbis *Hesiodus memorat Diuos Diuumque parentes* adumbratur. Cf. Theog. 105 sqq.

Nam Hugius quidem aperte fallitur, qui „Catalogos siue Eoeas magnas innui" existimat p. 10, male usus Seruio ad Uirg. Aen. V, 45: „*Diuum et Deorum plerumque ponit indifferenter poeta, quamquam sit discretio, ut Deos perpetuos dicamus, Diuos ex hominibus factos.*" De proximis uersibus dubitatio esse nequit. Uersus 16, quem Hugius egregie sic emendauit: *et sub fratre uiri nomen, sine m a t r e parentis*, ad Theog. 921 sqq. et 895 spectat. Sed proxima uerba de duplici Bacchi origine quae referantur, in Theogonia nihil reperitur, si Manilium statuimus illam fabulam Hesiodo tribuere uelle. Uerum enim uero poeta Latinus nihil aliud egit, nisi ut Hesiodum Bacchi mentionem fecisse indicaret, quod fecit u. 940 sqq.; uerbis autem *iterum*

*patrio nascentem corpore* quasi epitheto quod dicunt ornante usus est. Quod si cui minus placeat, is cum Lobeckio Aglaoph. I, p. 306. Muetzellio de emend. Th. p. 357 et Caesare l. l. p. 536 poetam incuriae et negligentiae incusare poterit. De u. 18 difficile est iudicium propter aliquam scripturae diuersitatem, qua aut *numina* aut *lumina* aut *sidera* legitur. Hugius qui *lumina* probat de Astronomia cogitat p. 11, quam opinionem ferri non posse monuit Caesar; nam illud de libris astronomicis argumentum postea demum a Manilio tractari inde a u. 25: *Astrorum quidam uarias dixere figuras.* Ad aliquem Theogoniae uersum poetam respexisse ex eo suspicari licet, quod quae praecedunt omnia de hoc carmine dicta uideri debent.

Haec praemonenda erant, quo rectius de altera illorum uersuum parte indicaretur, de qua Hugius p. 11 et 12 ita scribit: „Ultimo demum disserit de carmine, in quo totius agricolationis disciplinam Hesiodus exposuit. In nullo alio poetae opere describendo Manilius copiosior fuit, nec ipsa Theogonia excepta; etenim quasi per digitos eius partes enumerauit, agrorum, uinearum, oleae cultum, insitionem arborum, nemora et deriuationes aquarum. Quamobrem nequit esse locus suspicioni, Manilium opus sibi finxisse, quod nusquam extitit. Neque facile sibi quisquam persuaserit, eum litterarum adeo rudem fuisse, ut tenuem libellum ἔργα καὶ ἡμέρας nec obiter legerit, atque penitus inscium quid contineret sibi somniasse eo nomine opus, quod uniuersam rem rusticam complexum sit."

Haec primo adspectu uera dicta uidentur. Nam si illos uersus cum Hesiodi Operibus ac Diebus comparamus, tantam differentiam inter carminis argumentum et Manilii uerba intercedere apparet, ut Manilius aliud carmen spectasse uideri possit. Quod quum iam Scaliger sentiret, Manilium errore aliquid Hesiodo tribuisse existimabat, quod Orphei esset. Quae opinio duabus

de caussis probari nequit, primum, quod Manilius etiam in antecedentibus uersibus de Hesiodo locutus est; deinde, quod in Orphici carminis reliquiis, quas collegit Lobeckius Aglaoph. p. 411—424, nullum uestigium reperitur, quod suspicionem mouere posset, copiose in eo de arborum cultu dictum fuisse. Cf. Lobeck. p. 418. Not. h.

Manilii uerba si ad deperditum aliquod Hesiodi carmen pertinent, suspicionem facere possunt, in eo copiosissimum locum de arborum cultu fuisse. Quae suspicio confirmari uidetur Propertii uersibus II, 25, 77:

*Tu canis Ascraei ueteris praecepta poetae,*
*Quo seges in campo, quo uiret uua iugo,*

et Ouidii Amor. I, 15, 9—12:

*Uiuet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,*
*Dum rapidas Simois in mare uoluet aquas;*
*Uiuet et Ascraeus, dum mustis uua tumebit,*
*Dum cadet in curua falce resecta Ceres.*

Quorum locorum cum Manilii uersibus similitudo suadere nobis uidetur, ut de carmine quodam ab Operibus diuerso cogitemus. Ubi enim in hoc poemate legimus, quo seges in campo, quo uireat uua iugo? aut ubi dici uidemus colles a Baccho, a foecunda Cerere campos, a Pallade (hoc enim nomen Bentleius restituit pro *Bacchum*) utrumque amari? Nam Manilii uerba *quod foecunda Ceres campos amaret* ad Op. u. 388 sqq.:

οὗτός τοι πεδίων πέλεται νόμος, οἵ τε θαλάσσης
ἐγγύθι ναιετάουσ᾽, οἵ τ᾽ ἄγκεα βησσήεντα,
πόντου κυμαίνοντος ἀπόπροθι, πίονα χῶρον
ναίουσιν· γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν

pertinere, id quod Caesar sibi persuasit, minime est uerisimile, quum Hesiodus non de locis ad fruges serendas aptis uerba faciat, sed hoc tantum dicat:

„Praeceptum, quod iam propositurus sum (*nudus ara, sere nudus*), ad accolas orae maritimae et ad eos pertinet, qui ualles incolunt, ad montanos non item. Nam hi quum frigidiores plagas habeant, necesse est, ut alia praecepta de messe et aratione sequantur.“ Sic recte interpretatus est Goettlingius.

Nihil igitur est in Manilii uerbis, quod in carmen Hesiodium quadret, praeter ea, quae in uniuersum dicta sunt, *ruris cultus legesque nouandi, militiamque soli.* Sed tamen omnes tres illi loci non eam uim habent, ut tuto liceat ex iis coniecturam capere de deperdito aliquo carmine Hesiodi, inprimis arborum cultum complectente. Nam quod ad uersus Ouidianos attinet, horum in hac caussa omnino nullum momentum est; neque debebat iis uti Hugius p. 7. Nam non id egit poeta, ut Hesiodi de uinearum administratione, ut Hugius dicit, merita exornaret; sed Ascraei laudes maxime didactico poesis genere contineri dicit, et nihil praeter Opera et Dies spectauit. Propertius autem non Hesiodum cecinisse dicit, quo seges in campo, quo iugo uua uireret; sed hanc materiam Lyncei carminibus tribuit, quorum genus Hesiodio simile esse significat. Quare horum uersuum nullum est in hac caussa momentum; atque ex illa similitudine, quae inter Propertii uerba *quo seges in campo, quo uiret uua iugo* et Manilii *quod collès Bacchus amaret, quod foecunda Ceres campos*, nullo modo sequitur, in aliquo Hesiodi carmine sermonem fuisse de agris ad segetem faciendam et de collibus ad uineas serendas eligendis. Neque Heynius uerum uidisse censendus est, qui in Prooem. in Uirg. Georg. p. 117 haec scripsit: „Quo quaeso Operum ac Dierum loco earum rerum [quas Manilius ab Hesiodo tractatas dicit] uestigium aliquod deprehendas? Sed potest hic, quod iam Bentleio uisum est, interpolatrix manus grassata esse uideri; id tamen quum aegre admittendum sit, uideor mihi Manilium Propertii

imitatione ulterius quam uellet euectum excusare posse." Nam Propertii uerba minime ea sunt, quae aliquem ad imitandum inuitasse uideri queant. Neque imitatio in Manilii uersibus conspicua est.

Quid igitur de Manilii loco iudicandum erit? Poetam Opera et Dies in animo habuisse, propterea uerisimile est, quod eius carminis per totam antiquitatem maxima erat et auctoritas et gloria. Manilium autem, si Hesiodiae poesis argumenta adumbrare uolebat, eorum carminum maxime rationem habuisse consentaneum est, quae prae ceteris nota et clara erant, neque uerisimile est, eum ad aliquod carmen respexisse, cuius apud graecos scriptores ne leuissima quidem notitia extat. Quare Manilium, ut in priore uersuum illorum parte Theogoniam eamque solam spectauit, in altera id carmen significasse probabile est, quo Hesiodus omnem laudem, qua per antiquitatem florebat, assecutus est. Quod autem Manilii uerbis parum accurate eius carminis argumentum adumbratur, eius rei caussa probabiliter exposita est a Caesare p. 538, cuius haec est sententia. Romanis notum erat extare nomine Hesiodi carmen de re rustica (hoc enim putabant praecipuum esse Operum argumentum), nec tamen ipsi usu cognitum habebant, nisi si quis ut Uirgilius studiis suis peculiaribus ad illud legendum ferretur. Si igitur Hesiodiae poesis argumenta describere uolebant, carminis georgici materiam in uniuersum adumbrabant; ueteres autem de Operibus ita existimabant, esse carmen georgicum, neque dum eam opinionem conceperant, qua recentiores poema ethici argumenti esse et ad uniuersam uitae conditionem morumque emendationem spectare statuerunt. Cf. Caesarem p. 533. Quod si uere dictum est (neque de ea re dubitabit, qui multorum locorum apud ueteres meminerit, quibus Hesiodus primum georgicae poesis exemplar dedisse putatur aut dicitur), nullius momenti esse potest locus Ciceronianus de Senect.

c. 15 § 54, ad hanc caussam diiudicandam adhibitus: „*Quid de utilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi; de qua doctus Hesiodus ne uerbum quidem fecit, quum de cultura agri scriberet.*“ Quis est, inquiunt, qui in tali carmine, quale nunc habemus, stercorandi praecepta desideret? Quae qui desiderabat, ei ideam maioris et absoluti operis Hesiodei animo obuersatam fuisse necesse est. At enim non desiderat Cato stercorandi praecepta; sed hoc dicit: Maxima est stercorandi utilitas ad senectutis aerumnas et molestias leniendas, ut uel ex Homeri testimonio apparet, qui Laertem ut filii desiderium leniret agrum colentem atque stercorantem fecit, quanquam ne Hesiodus quidem de ea re uerbum fecerat. Cf. Caesar p. 534.

Non maior persuadendi uis in uersu Uirgiliano (Georg. II, 176) inest, quo Hugius et alii demonstrare studuerunt, Hesiodum in illo quod fingunt carmine multa de arborum cultu praecepisse. Ille p. 6 de hoc loco ita disserit: „Uirgilius, ubi instituere colonum orditur, quale solum uitibus conueniat, quo artificio tractandae, et quomodo labores sibi succedant, donec in sua uestigia annus redeat, quae terrae olearum feraces, et quem cultum requirant, se antiquum Hesiodum aemulari gloriatur:

*— res antiquae laudis et artis*
*Ingredior, sanctos ausus recludere fontis,*
*Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.*

— — — Non perperam et temere magnifico exordio se Romanis carmen Hesiodeum pangere promisit, cum de uitium satione, putatione, cautelis et laboribus quibus indigent dicere instituit, sed opus Hesiodeum ita comparatum extitisse necesse est.“

Sane quidem Uirgilius in libro secundo de arborum cultu loquitur, sed uersus illi non procemio eius libri, sed in digressione quadam locum habent, quae ad totum

opus pertinet. Ante enim Italiam summis laudibus extulerat, utpote diuersissimis uirtutibus insignem, eamque sic adloquitur:

*Salue, magna parens frugum, Saturnia tellus;*
*Magna uirum; tibi res antiquae* etc.

Hinc apparet Ascraeum carmen non propterea dici, quod iam de arboribus locuturus est poeta, sed quia id carmen, quod in Italiae honorem pangere se dicit, eiusdem generis est, cuius inuentor et auctor Hesiodus habebatur, ita ut Ascraeum carmen in uniuersum pro georgico dictum sit.

Examinatis his locis iam unicuique apparebit, quem finem habitura sit tota haec disputatio. Etenim quae supersunt testimonia, eorum minor etiam est auctoritas atque pondus. Leutschius l. l. Luciani uerba (Tom. VIII, p. 147) *παραινέσεις γεωργικάς* ad carmen perditum retulit; sed aperte fallitur. Lucianus Disp. c. Hes. init. sic dicit: *θάτερον μὲν πάνυ ἐντελῶς ἐξενήνοχας, θεῶν τε γενέσεις διεξηγούμενος ἄχρι καὶ τῶν πρώτων ἐκείνων, χάους καὶ γῆς καὶ οὐρανοῦ καὶ ἔρωτος· ἔτι δὲ γυναικῶν ἀρετὰς καὶ παραινέσεις γεωργικὰς καὶ ὅσα περὶ Πλειάδων καὶ ὅσα περὶ καιρῶν ἀρότου καὶ ἀμήτου καὶ πλοῦ καὶ ὅλως τῶν ἄλλων ἁπάντων*, quorum uerborum pars prior ad Theogoniam, posterior ad Opera et Dies spectat. In his enim sermo est *περὶ ἀρετῶν γυναικῶν* u. 700 sqq., *περὶ Πλειάδων* u. 383. 615. 619, *περὶ καιρῶν ἀρότου* u. 384. 460. 616, *ἀμήτου* u. 384. 575, *πλοῦ* u. 618 sqq. Itaque dubium non potest esse, quin etiam *παραινέσεις γεωργικαὶ* eodem sint referendae.

Sequitur, ut de testimoniis aliquot Plinianis dicamus, quae plerisque huc pertinere uisa et a nobis in unum locum comportata sunt Fr. CXCVIII — CCIV. De quibus ut recte iudicetur, pauca in uniuersum de scriptoris fide et auctoritate praemonenda sunt. Plinius enim non ipsius Hesiodi carminibus usus est, sed ex

aliis scriptoribus sua testimonia petiit; quorum uerba quum saepe parum recte intelligeret, factum est, ut aut prorsus falsa referret aut ueris falsi quid admisceret. Cuius rei exempla congessit Caesar l. l. p. 534 sqq. Unum quod ad hanc caussam maxime pertinet commemorabo. Quae Plinius XXI, 17 de Asphodelo apparanda ex Hesiodo refert (fr. CXCIX) et quae non pertinere ad Oper. 41 satis patere dixit Goettlingius, ad fr. XIV, ea non ex ipso Hesiodo petita, sed e Theophr. Hist. Plant. VII, c. 11 deriuata sunt, e cuius loci comparatione apparet, Plinium non satis accurate reddidisse Theophrasti notationem, quae ad ipsum illum Operum locum pertinet [a]). Quare is locus, quem in fragmentis ponere non debebam, omnino ex huius rei testimoniis remouendus est. Quae fr. CII et CIII posui, quomodo ad carmen georgicum referri debeant, non facile intelligitur, quum potius ad carmen quoddam mystici argumenti pertinere ex addita Orphei et Musaei memoria appareat. Idem suspicatus est Caesar de Plin. XXII, 22 (fr. CC); qui alterum eiusdem capitis locum aliquo modo explicari monet Procli notatione ad Hes. Op. 41: *ἢ τὸν ἐκ τοῦ ῥᾴστου βίου λέγει, ἴσως δὲ καὶ ἀφ' ἱστορίας τοῦτο λέγει· Ἕρμιππος γὰρ ἐν τῷ τῶν ἑπτὰ σοφῶν περὶ τῆς ἀλίμου λέγει· (μέμνηται δὲ τῆς ἀλίμου καὶ Ἡρόδωρος ἐν τῷ πέμπτῳ τοῦ καθ' Ἡρακλέα λόγου, καὶ Πλάτων ἐν τῷ γ' τῶν νόμων) Ἐπιμενίδην φησὶ μικρόν τι ἐδεσμάτιον προσφερόμενον ὧδε διὰ ὅλην τελεῖν τὴν ἡμέραν· ἦν δ' ἐξ ἀσφοδέλου καὶ μαλάχης, ὅπερ αὐτὸν ἄλιμον καὶ ἄδιψον ἐποίει.* De fr. CCIV non est quod dicamus. Seruii autem de hippomane testimonium ad Uirg. Georg. III, 283 (fr. CCV) eo minus momenti habet, quod ne scriptura quidem satis certa est, quum in nonnullis libris Theocriti nomen extet. Schol. ad Od. VII, 104

a) Theophrastus uocabulum Hesiodium *ὄνειαρ* per *ὄνησιν* reddidit et propter hanc tantum herbae utilitatem Hesiodi testimonio utitur.

cur a Goettlingio ad idem fragmentorum genus relatum sit, nulla prorsus caussa perspicitur.

De pecoris cura in eo, quod fuisse falso creditur, carmine poetam dixisse, Hugius p. 7 ex Luciani loco colligere sibi uisus est, qui legitur in Disp. c. Hes. § 2, Tom. VIII, p. 149. Ibi Hesiodus ad Luciani reprehensionem haec respondet: *μηδέν ἐστι τῶν ἐῤῥαψῳδημένων ὑπ' ἐμοῦ ἴδιον ἐμόν, ἀλλὰ τῶν Μουσῶν, καὶ ἐχρῆν σε παρ' ἐκείνων τοὺς λογισμοὺς τῶν τε εἰρημένων καὶ τῶν παραλελειμμένων ἀπαιτεῖν. ἐγὼ δὲ ὑπὲρ μὲν ὧν ἰδίᾳ ἐπιστάμην, λέγω δὲ τοῦ νέμειν καὶ ποιμαίνειν καὶ ἐξελαύνειν καὶ βδάλλειν καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα ποιμένων ἔργα καὶ μαθήματα, δίκαιος ἂν εἴην ἀπολογεῖσθαι, αἱ θεαὶ δὲ τὰς αὑτῶν δωρεὰς οἷς τε ἂν ἐθέλωσι καὶ ἐφ' ὅσον ἂν οἴωνται καλῶς ἔχειν μεταδιδόασιν.* Quae uerba Hugius parum recte sic interpretatur, ut Hesiodum respondere dicat: „eorum quae carmine cecinerit, omnia Musarum esse, facili responsione posse expediri; alia enim esse quae ignoret, alia quae sibi perspecta sint; uelut quae ad pastum curamque gregum, eorum ductum et tempus mulgendi, pastorum opera et disciplinam pertinent: sed etiam haec sicut cetera esse dearum praemia, quae illae suo arbitratu hominibus impertiantur."

Hoc potius Lucianus Hesiodum respondentem facit: „Eorum quae mihi uitio uertis rationem ab Musis exigere debes; nam quae cecini de rebus futuris, ea Musis debeo, quarum uoluntate etiam factum est, ut relinquerem, quae tu desideras. Nam hae Deae sua dona (rerum futurarum uaticinationem dicit) et quibuscum uolunt et quantum ipsis placet communicant. Sin autem de iis rebus, quae ad meam (qui pastor sum) scientiam pertinent, aliquid deliquissem, uelut de pascendo, mulgendo et aliis pastorum negotiis, de hac re iure a me rationem reposceres." Dicit autem Hesiodus se pastorum negotia *ἰδίᾳ ἐπίστασθαι*, non quod librum de iis scripsisset, sed quia in Theogoniae prooemio ipse

se pastoris munere fungentem inducit. Et pertinet tota illa Luciani criminatio ad illos Theogoniae uersus. Quare in his Luciani uerbis nihil inest, ex quo de deperdito aliquo carmine „copiosa rei pecuariae praecepta“ continente coniecturam capere possis.

Superest unus Plinii locus XVI, 1 (fr. CXCVIII), quo Hesiodus dicitur negasse oleae satorem fructum ex ea percepisse quenquam. Cuius testimonii fidem aliquis confirmare possit Manilii uerbis *quod Pallas utrumque.* Sed Palladis nomen incerta est scriptura. Deinde autem Manilii in hac re nulla est auctoritas. Quod uero ad Plinii uerba attinet, Caesar concedit fieri potuisse, ut in aliqua Operum ac Dierum recensione etiam oleae mentio extaret, sed ex Herodoti testimonio (V, 82) sequi, Hesiodi aetate olearum cultum aut exiguum aut nullum fuisse, ita ut, si quando talis locus in hoc carmine extiterit, posterioris aetatis interpolatori adscribi debeat.

Praecipuam caussam Fulgentii testimonium dedisse uidetur, ut uiri docti de tali carmine sibi persuaderent. U. Fr. CXCVII. Ibi Hesiodo carmen bucolicum tribuitur. Sed quum Fulgentii auctoritas in uniuersum paene nulla sit, tum ipsius illius ratio atque conditio tam iniqua est, ut quid eo facias dubius haereas. Nam Hesiodum carmen bucolicum fecisse, eo certe nominis significatu, quo uti posterior aetas solet, nemo facile ab se impetrabit ut credat. Quare profecto praestabit hoc testimonium auctori suo relinquere.

Ex his quae disputata sunt iam facile unicuique apparebit, eorum opinionem, qui praeter Opera et Dies alterum etiam et copiosius quidem de operibus rusticis poema Hesiodi nomine inscriptum extitisse sibi persuaserunt, nullo modo probabilem uideri posse; ac ne eam quidem uim loci pertractati habent, ut in Operibus de arborum cultu copiosius olim dictum fuisse credamus; in qua opinione multi sunt. Nam quanquam

haud nego, hodiernam carminis formam aliquantum ab integritate abesse, tamen ut de uitium satione et aliarum arborum curatione uberiora dedisse Hesiodum cum Lehrsio quaest. ep. p. 212 credamus nulla necessitas apparet.

Etenim ea carminis pars, ubi his rebus locus fuisset (383—617), tam perfecta est et absoluta, ut ad eius integritatem uix quicquam desideretur, si quidem de huius partis consilio recte statuatur. Ea Hesiodus docere studet, quo tempore quaeque agriculturae negotia peragenda sint. Quod ita facit, ut singularum anni tempestatum recensum exhibeat et sua cuique opera adsignet. Ac primo quidem loco generalia quaedam praecepta posuit, Persae laboris utilitatem et necessitatem in animum reuocans u. 383—404. Deinde praecipit, quae prudenti agricolae ante omnia curanda sint; ut instrumenta domestica et rustica sibi comparet, quorum maxime necessaria sunt aratrum (414—435) et iugum boum (436—440), quibus seruus praeficiendus est (441—447). Sequuntur deinde arandi auctumnalisque seminis spargendi leges (—492), quas excipit hiemalium negotiorum expositio (493—564), cui inserta est hiemis descriptio pulcherrima. Hiemalia opera, ut consentaneum est, sequuntur negotia uere peragenda (564—580). Uer proterit aestas, cuius importuna tempestas homines paullulum ingenio indulgere cogit (582—597), sed tamen agricolae animum non ab omni cura liberat (598—608). Postquam dein breuiter dictum est, quae auctumno opera conueniant, negotiis arandi redeuntibus, annuorum laborum circulus est absolutus. Nam uersus 615 sqq. (τότ' ἔπειτ' ἀρότου μεμνημένος εἶναι ὡραίου) ad eandem arationem spectant, de qua poeta u. 450 sqq. dixerat. Haec igitur carminis pars tam perfecta est, ut ab omni probabilitate absit eorum opinio, qui amplam de arborum et herbarum cultu doctrinam excidisse credunt. Praeterea

non difficile est ad demonstrandum, iam Plinii aetate Operum ac Dierum exemplaria non ita multum ab hodierna carminis forma abfuisse.

Quoniam carmen ipsum extitisse negauimus, nihil est, quod de nomine (*ΕΡΓΑ ΜΕΓΑΛΑ*) eius dicamus, quod Hugius et Leutschius ex Athenaei loco VIII, p. 364 in lucem protrahere conati sunt. De quo quidem loco iam supra satis dictum est.

# LIBER II.
# De genealogicis poetis.

## Caput I.
## De Eumelo.

### § 1.
### *De Eumeli uita et aetate.*

Eumelum, Amphilyti filium, Corinthium fuisse nulla diuersitate ab antiquis scriptoribus traditur. Pausan. V, 19, 10. Clem. Alex. Strom. I, p. 144. Sylb. Laurent. Lyd. de mens. c. V, p. 98. Schow. Hygin. fab. 183. Tzetza ad Hesiod. p. 25, 24. Gaisf. Eud. p. 294. Athen. VII, p. 277 D. Euseb. Chron. Ol. IX. Addidissem etiam Tzetz. Schol. ad Lycophr. 174, nisi Muellerus uulgatam scripturam omnium suorum codicum, ut dicit, auctoritate mutasset. Legebatur antea *Εὐμήλου τοῦ Κορινθίου ἱστορικοῦ ποιητοῦ*, pro quo posuit *Εὐμήλου τῆς Κορίνθου ἱστορ. π.*; quod quum duplici ratione possit explicari, quomodo uoluerit intelligi, non significat. Potest enim *τῆς Κορίνθου* aut ita accipi, ut Eumelus dicatur *ἱστορικὸς ποιητὴς* carminis, quod *ἡ Κόρινθος* inscribebatur, aut ita, ut *τῆς Κορίνθου* uerba ex *ποιητοῦ* pendentia patriam poetae significent idemque ualeant atque *τοῦ Κορινθίου*. Prior ratio omnino nequit admitti, quanquam Muellerus eam uidetur probare, quum Groddeckium dicat, si hanc scripturam nosse licuisset, ea sententiam suam, qua Corinthiaca poema fuisse statuebat, firmaturum fuisse; quod qua ratione dictum sit ego non magis intelligo, quam Weichertus de Apollonii Rhod. uit. et script. p. 203. N. 259,

qui cum Siebel. ad Paus. II, 1, 1 Muelleri emendationem non probat. Praeterea duobus locis, ubi Eumeli Corinthii memoria est oblitterata, emendatione Corinthius poeta reducendus est. Athen. I, p. 22: *Εὔμηλος δὲ ἢ Ἀρκτῖνος ὁ Κορίνθιος.* Sed Arctinum Corinthium ignorat antiquitas. Quare aut *Εὔμηλος δὲ ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτῖνος*, ut legitur VII, p. 277 d, aut *Ἀρκτῖνος δὲ ἢ Εὔμηλος ὁ Κορίνθιος* scribendum est. Cf. Weichert. p. 197. N. 250. Alter locus est in Schol. Pindar. Ol. XIII, 31, ubi *Εὔμολπον ὄντα Κορίνθιον* in *Εὔμηλον ὄ. Κ.* mutandum esse plures uiderunt, quae emendatio adeo certa est, ut nulla dubitatio esse debeat. Est autem haec coniectura eo probabilior, quod etiam apud Pausaniam II, 2, 2 cod. Uat. pro *τὰ Εὐμήλου* habet *τὰ Εὐμόλπου.* Nonnullis autem locis Eumeli nomen corruptum est. In codice Regio ap. Ruhnken. Ep. crit. p. 222 *Αἴμιλλος*: apud Paus. II, 1, 1 multi codd. habent *Εὔδηλος*: apud Cyrillum cont. Iul. p. 12 B editur *Θύμηλον.* *Εὔμολος* est ap. Eudoc. p. 29. Phauorin. Lex. p. 26 s. u. *Αἰγαίων Εὔμολος* in *Εὔμηλος* mutandum esse docet Schol. Apoll. Rhod. I, 1165; unde sua hausit Lexicographus. Sed quod in Etymol. Gud. p. 261, 56 u. *Θηρίκλειον, σημαίνει τὸ Θηρικλέους ποτήριον, ὥς φησιν Εὔμηλος,* hoc caue ne eodem modo emendes. Hic enim Eubuli nomen restituendum esse ex iis intelligitur, quae p. 262, 1 sequuntur: *Θηρίκλειον εἶδος ποτηρίου ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτοῦ* (leg. *αὐτὸ*) *Θηρικλέους, ὥς φησιν Εὔβουλος ὁ τῆς μέσης κωμίας* (*κωμῳδίας*) *ποιητής.* Praeterea ap. Hieron. Eus. Chron. Ol. IX *Eumeles* scriptum est. In codice Barocc. 133 apud Cramer. Anecd. Gr. IV, p. 423 *Εὔμιλος* est.

De nominis Eumeli originatione quae lusit Welckerus Ep. Cycl. p. 272 satius est praetermittere. Hoc enim nullo modo committemus, ut Eumeli personam

eripi nobis patiamur et nomen eius ad artis significationem fictum esse credamus.

Iam de Eumeli uita exponendum esset, si plura de ea testata haberemus. Sed omnia, quae scimus, his Pausaniae uerbis (II, 1, 1) continentur: *Εὔμηλος ὁ Ἀμφιλύτου τῶν Βακχιαδῶν καλουμένων*, e quibus hoc tantum intelligitur, nobili loco eum natum fuisse et ad ciuitatis optimates pertinuisse. Bacchiadae enim, ex quorum gente etiam Archias, Syracusarum conditor, erat, ab Heraclidis originem generis deducebant. Cf. Odofr. Mueller. Dor. I, p. 115, 87. 117, 4. 133, 164. Eumelum ipsum coloniae Syracusas condentis socium fuisse Muellerus (Dor. I, p. 116, 145. II, p. 487) e Clementis Alex. testimonio (Strom. I, p. 144 Sylb. *ἐπιβεβληκέναι Ἀρχίᾳ τῷ Συρακούσας κτίσαντι*) non recte intellecto (cf. Bernhardy. p. 258) coniecit. Sed Clemens nihil dixit, nisi Eumeli aetatem in Archiae tempora incidisse; neque omnino quicquam de Eumeli uita illo loco narrare, sed eius aetatem tantum definire uoluit. Quare Welckerus Ep. Cycl. p. 244 uideat, ne frustra hoc argumentum in iis posuerit, quibus epicam poesin iam antiquissimis temporibus in Sicilia notam fuisse demonstrare uoluit. Similis Muelleri error in eo positus est, quod Eumelum in Ithomaeis certaminis musici participem fuisse e Paus. IV, 33, 2 collegit Dor. II, p. 332, 487. Nam uerborum, quae posui Eum. fr. XII, sententia haec est: „Iam antiquitus in Ithomaeis musica certamina instituta esse, quum ex aliis documentis, tum inde maxime concludi potest, quod Eumelus in carmine prosodio dicit Ithomatae gratam esse Musas; quod ita dictum est, ut musicorum certaminum in Ithomaeis factorum notitiam habuisse uideatur.“ Quae si est Pausaniae sententia, quod dubitari nequit, nihil de ipsius poetae certamine tradi apparet. Ceterum etiam Weichertus p. 190 postrema uerba: *οὐκοῦν — τεθέντας* non recte uidetur intellexisse.

Multo grauior est de Eumeli aetate quaestio, in qua aliquot testimoniorum auctoritate ita adiuuamur, ut, quo tempore uixerit poeta, sine ulla dubitatione uideatur definiri posse. De his igitur ordine exponendum est. Hieronymus Eus. Chron. bis meminit Eumeli; ad Ol. III, 2. (IV, 4. Clint. Fast. Hell. I, p. 154): „*Eumelus poeta, qui Bugoniam et Europiam, et Arctinus, qui Aethiopidam composuit et Ilii Persin agnoscuntur,*" et ad Ol. IX, 14: „*Eumelus Corinthius uersificator* (*ἐποποιός*) *agnoscitur et Sybilla Erythraea.*" Cyrill. c. Iul. p. 12 B: *ἐνάτῃ Ὀλυμπιάδι Θύμηλον* (l. *Εὔμηλον*) *ἐποποιὸν γενέσθαι φασὶ καὶ Σίβυλλαν τὴν Ἐρυθραίαν.* Cum his consentit fere Clemens Alexandrinus Strom. I, p. 144 Sylb. *Σιμωνίδης οὖν κατὰ Ἀρχίλοχον φέρεται, Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ· τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν Ἀρχίλοχος ἀπολωλότων, ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται· Εὔμηλος δὲ πρεσβύτερος ὢν ἐπιβεβληκέναι Ἀρχίᾳ τῷ Συρακούσας κτίσαντι.* Ex his uerbis duplici ratione Eumeli aetas erui potest.

Primum enim antiquior dicitur non solum Archilocho, ut putat Weichertus p. 186, sed etiam Callino, qui hoc erat paullo uetustior. Iam si Archilochus intra Ol. XVIII—XXIX florebat (Liebel. Archil. fr. p. 8 sqq. Clinton. Fasti Hell. I, p. 175. 181. 191. 193; anno 708—665), Clemens Callinum ad Ol. XV—XX fere referre uidetur (Clinton p. 173. 365). Itaque quum Eumelum dicat *πρεσβύτερον*, non addito *οὐ μακρῷ*, cum Eusebianis testimoniis consentire censendus est. Altera temporis significatio uerbis *ἐπιβεβληκέναι Ἀρχίᾳ τῷ Συρακούσας κτίσαντι* continetur. Iam uero Marmor Par. Ol. V, 3 Syracusas conditas esse testatur, a quo non discrepare Thucydidem VI, 3 ostendere studuit Mueller. Dor. I, p. 122. N. 2. Cf. p. 115 et II, p. 487. 504. Hieronymus autem Chron. Eus. ad Ol. XI, 4 dicit coloniam deductam esse. (Cf. Poppo ad Thuc. T. II, p. 561. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 7, 16.

p. 851. Goeller. de Situ et Orig. Syr. p. 6. Maxime autem Clinton. I, p. 154. 164. 419. II, p. 264 sq. [p. 278 Kr.] contra Muellerum Ol. XI tuetur). Quicquid uerum est, satis accurate Eumeli aetas definitur. Nam etiamsi Syracusae Ol. XI conditae sint, hoc tempus attingere poterat poeta, licet iam Ol. III floreret. Iure igitur Eumelum prima Olympiadum decade uixisse statuimus. Hoc etiam Pausaniae (IV, 4, 1) testimonio confirmatur: *ἐπὶ δὲ Φίντα τοῦ Συβότα πρῶτον Μεσσήνιοι τότε τῷ Ἀπόλλωνι ἐς Δῆλον θυσίαν καὶ ἀνδρῶν χορὸν ἀποστέλλουσι· τὸ δέ σφισιν ᾆσμα προσόδιον ἐς τὸν θεὸν ἐδίδαξεν Εὔμηλος, εἶναί τε ὡς ἀληθῶς Εὐμήλου νομίζεται μόνα τὰ ἔπη ταῦτα. ἐγένετο δὲ καὶ πρὸς Λακεδαιμονίους ἐπὶ τῆς Φίντα βασιλείας διαφορὰ πρῶτον.* Uixit igitur Eumelus ante belli Messeniaci primi initium, quod testibus Pausania et Eusebio Ol. IX, 2 incepit. O. Mueller. Dor. I, p. 145. 250. II, p. 487. Clinton. p. 162. Habemus igitur Eumeli aetatem ab antiquis scriptoribus ita testatam, ut dubitatio esse nulla posse uideatur. Sed tamen sunt quaedam, quae cum his testimoniis conciliari nequeunt.

Primum enim Pausanias ipse sibi repugnat, inscriptiones, quas Cypseli arca habebat, ab Eumelo factas suspicatus V, 19, 10: *τὸν μὲν δὴ τὴν λάρνακα κατειργασμένον ὅστις ἦν οὐδαμῶς ἡμῖν δυνατὰ ἦν συμβαλέσθαι· τὰ ἐπιγράμματα δὲ τὰ ἐπ' αὐτὴν τάχα μέν που καὶ ἄλλος τις ἂν εἴη πεποιηκώς, τῆς δὲ ὑπονοίας τὸ πολὺ εἰς Εὔμηλον τὸν Κορίνθιον εἶχεν ἡμῖν, ἄλλων τε ἕνεκα καὶ τοῦ προσοδίου ὃ ἐποίησεν ἐς Δῆλον.* Ex hac Pausaniae coniectura apparet, ipsi parum aut de Eumeli aut de Cypseli aetate constitisse, neque de temporum distantia eum cogitasse. Cypselus enim post tricesimam demum Olympiadem Corinthiorum tyrannus factus est. Mueller. Dor. I, p. 164. 168. N. 1. II, p. 490. Clinton. p. 196. Sed nihil ea re reliquorum testimoniorum auctoritas labefactatur; nam eius opinionem non fide historica

niti, ex ipsis uerbis patet. Ductus autem ad illam coniecturam uidetur uersuum, qui in arca erant scripti, dorica dialecto, quum praeter Eumelum neminem antiquorum poetarum sciret, qui hexametros hac dialecto composuisset. (Uersus habet Paus. V, 18, 3—5. 19, 3—6). Bernhardy. p. 258 ex insolita numerorum conformatione, cuius exempla affert Ἰάσων (Μήδειαν Ἰάσων γαμέει, κέλεται δ' Ἀφροδίτη) et Ἀθέναθεν (V, 19, 3), et ex ieiuno dicendi genere, in arcae inscriptionibus pariter atque in Eumeli fragmentis conspicuo, Pausaniae coniecturam ortam fuisse existimat. Sed utut ea res se habet, hoc certum est duos Pausaniae locos inter se pugnare. Quum uero alter testimonium ex antiquioribus auctoribus deriuatum contineat, alter nonnisi ipsius opinionem in coniectura positam habeat, ex hoc dubitationem de illius ueritate recte peti negamus.

Sed accedunt etiam alia, quae uulgatae de Eumeli aetate sententiae uidentur obstare.

Scholiasta enim Apoll. Rh. II, 946 de Sinope haec habet: ἐν δὲ τοῖς Ὀρφικοῖς Ἄρεος καὶ Αἰγίνης γενεαλογεῖται, κατὰ δέ τινας Ἄρεος καὶ Παρνάσσης, κατ' Εὔμηλον καὶ Ἀσωποῦ. Quae fabula quum ante Sinopen conditam oriri non potuerit, Sinope autem Ol. XXXVII aedificata esse uulgo credatur, carmen Eumeli, quo illa genealogia continebatur, uix ante Ol. XL compositum uidetur. Sed haec res non caret dubitatione, uel potius a ueritate abhorret. Nam a Sinopensibus conditae sunt Trapezus, Cerasus et Cotyera. Xenophon. Anab. IV, 8, 22: Τραπεζοῦντα, πόλιν Ἑλληνίδα — Σινωπέων ἀποικίαν. Steph. Byz. Τραπεζοῦς — Σινωπέων. Arrian. Peripl. Eux. p. 113 citat Xenophontem. De Cerasunte cf. Arriani p. 129. Xenoph. Anab. V, 3, 3. Diod. XIV, 30. De Cotyera Xen. An. V, 5, 3. Diod. XIV, 31. Trapezus autem ab Eusebio ad Ol. 6, 1 refertur. Quod si uerum est, illud de Sinope testimonium stare nequit et coloniam multo ante deductam esse oportet.

iam Clinton. p. 206 e Scymno Chio ostendit ter colonos esse deductos, ita ut a. 782 a. Chr. Milesii Ambrone duce conditam iam urbem occupauerint, postrema autem colonia, item Milesia, Ol. XXXVII aduenerit. Milesia autem colonia dicitur Sinope Xenoph. An. V, 9, 15. Diod. XIV, 31. Strabo XII, p. 545. Arrian. Peripl. p. 127. Clinton. Fasti Hell. p. 156. 206. Raoul-Rochette Hist. des établ. Gr. III, p. 171. Leutsch. de Theb. cycl. p. 8. N. 29. Si igitur Sinope iam multo ante Olympiadum initium condita est, eo, quod Eumelus eius mentionem fecit, reliquorum de poetae aetate testimoniorum auctoritas et fides non labefactatur.

Certius argumentum in Colchidis memoria positum uideri potest; quod nomen neque Homero neque Hesiodo cognitum, sed ab Eumelo in *Corinthiacis* (fr. 2) usurpatum, ante Milesiorum nauigationes cum rebus Corinthiacis et Argonauticis coniungi non poterat. Quare post Ol. XX hoc carmen, quod sine ulla controuersia Eumelo tribuitur, compositum esse statuunt Mueller. Orchom. p. 274 et Leutschius l. l. Sed si illa quae de Sinope dixi uera sunt, Milesios iam ante Olympiadum initium per Pontum Euxinum nauigasse et in eam terram peruenisse credibile est. Accedit, quod plures colonias Milesii illo tempore condiderunt, ueluti Cyzicum (Strabo XIV, 635. Schol. Par. Apoll. I, 1077. Plin. N. H. V, 32) ab Hieronymo ad Ol. VII, 3 relatam. Quare non necesse est cum Muellero credamus *Corinthiaca* post Ol. XX facta esse.

Sed etiamsi Muelleri sententia uera esset, tamen si quis illis rationibus ductus statueret Eumelum Ol. XL uixisse, et eorum testimoniorum, quae poetam Arctini, Cinaethonis, Antimachi Teii aequalem faciunt, uim atque fidem imminui putaret, non magis recte faceret, quam qui ex Eoearum aetate Hesiodi tempus definiret. Nonne carmen, quo illarum rerum mentio fiebat, Eumeli nomini suppositum esse poterat? Neque

quisquam recentiorum hominum doctorum de Eumeli aetate dubitauit praeter Vossium, qui propterea, quod Aegaeonis descriptio recentioris Hesiodo aetatis indicium haberet, Eumelum circa Ol. XL floruisse statuit (Alte Weltkunde p. XXVII), quum Hesiodum Ol. XX uixisse putaret p. XI. XVI. XX. Epist. Myth. II, p. 113 sq. ed. 2. Qua sententia duplex error continetur. Primum enim ratio quam secutus de Hesiodi aetate iudicauit, non uera est, quum nonnullorum Hesiodiorum carminum aetas cum ipsius Hesiodi aeuo confundi non debeat. Theogoniam autem tam recentem esse demonstrari nequit; in qua cum Aegaeonis mentio fiat, nihil impedit, quominus iam Olympiadum initio illam Aegaeonis descriptionem factam esse statuamus. Praeterea Aegaeonis memoria ad Titanomachiam pertinebat, de cuius auctore iam ueteres dubitauerunt.

## § 2.

### *De carminibus Eumelo adscriptis.*

### I. *Κορινθιακά.*

1. Celeberrimum Eumeli carmen illud erat, quod ab argumento ex antiquissima Corinthi historia petito nomen habebat. De quo libro quaerenti aliquot nascuntur difficultates, quae quanquam non tantae sunt, ut coniectura probabili remoueri nequeant, tamen eam obscuritatem habent, ut probabilitatis fines superare et ad ipsam ueritatem accedere uix liceat. Atque singula testimonia perlustranti in ipso disquisitionis principio satis incommode haec offertur Pausaniae memoria II, 1, 1: *ἐπεὶ Εὔμηλός γε —, ὅς καὶ τὰ ἔπη λέγεται ποιῆσαι, φησὶν ἐν τῇ Κορινθίᾳ συγγραφῇ (εἰ δὴ Εὐμήλου γε ἡ συγγραφή) Ἐφύραν κτλ.* Unde apparet scriptorem non de carmine aliquo (cuius sine dubio uersus apposuisset), sed de libro prosa oratione scripto dicere, id quod tum e nomine *Κορινθία συγγραφή*, tum e uerbis

ὃς καὶ τὰ ἔπη λέγεται ποιῆσαι intelligitur. Nam quamquam συγγράφειν uerbum etiam de carminibus dicitur, tamen nec συγγραφεύς nec συγγραφή substantiua aliter nisi de prosaicis libris usurpantur. Cuius rei (de qua cf. Siebelis. ad Paus. l. l. Werfer. in Act. Mon. Phil. II, p. 495 sq.) pauca tantum exempla afferam; unum ex ipso Pausania, qui V, 18, 2 eam libri sui partem, quae est de rebus Corinthiacis, Κορινθίαν συγγραφήν nominat; alterum ex Menandro rhetore T. IX, p. 149 Walz. ἔστι δὲ ὡς ποιητῇ μὲν καθ' αὑτὸ μόνον τὸ εἶδος χρήσιμον, συγγραφεῖ δὲ οὐδέποτε. Cf. p. 150: τὴν μὲν ἐν ποιήσει ἀρετήν, — — τὴν δὲ ἐν τῇ συγγραφῇ. Apud Pausaniam autem in uerbis ὃς — ποιῆσαι non neglegenda est grauis quaedam scripturae uarietas, ex cuius diiudicatione aliqua huius disputationis pars pendet.

Articulus enim ante ἔπη quam in plerisque codicibus legatur, in aliquot libris omittitur. Quem si retinemus, sententia uerborum ea est, ut τὰ ἔπη id carmen significet, ex quo Κορινθία συγγραφή translata erat; sin omittimus, nihil dicit Pausanias nisi hoc, Eumelum tradi etiam carmina quaedam composuisse, de carmine autem Corinthi fabulas complectente nihil testatur. Quaeritur igitur num probabile sit Pausaniam illud carmen cognitum habuisse; id quod mihi non credibile uidetur, quia nusquam eius mentionem facit. Nam profecto non prosaicum illud scriptum in testimonium uocasset, si longe antiquiorem habuisset fontem. Quare eum neque hoc loco respicere poema credimus et τὰ articulum fere credimus abiiciendum [a]. Itaque Groddeckium non probamus, qui (Bibl. Uett. Litt. et Artt. II, p. 79)

a) Etiam Weicherto p. 188 Pausanias non uidetur carmen cognitum habuisse; sed si τὰ retinet, ipsa uerba ei repugnant. Potius si quis articulum acriter tenet, Pausaniam carmen non usu cognouisse sed de eo in aliis libris legisse credere potest, quamquam ne sic quidem omnis difficultas remouetur.

Pausaniae II, 2, 2 uerba τὰ Εὐμήλου uocabulo ἔπη supplenda censuit. Cf. Weichert. p. 188.

Quodsi Pausanias prosaicum tantum librum usu tractabat, non mirum est eum ex omnibus scriptis Eumelo tributis unum carmen prosodium genuinum dicere. Nam Corinthiaca carmen eum Eumelo abiudicasse mirabile possit uideri, quum nemo unquam de eo dubitationem mouerit. Quanquam enim semel tantum (Schol. Apoll. Rhod. I, 146) Εὔμηλος ἐν Κορινθιακοῖς citatur, tamen certum est ex hoc carmine sumptos esse uersus ap. Schol. Pind. Ol. XIII, 74 (fr. 2), neque testimonia Hygini (fr. 1), scholiastae Apollon. IV, 1212 (fr. 4), ad Eurip. Med. 10. 20 ad aliud carmen referri possunt. Quanquam dubium est, num hi, qui uersus non afferunt, carmen an scriptum prosaicum spectauerint. Hoc praeter Pausaniam etiam Clemens (Strom. VI. p. 267. Sylb.) ante oculos habuisse uidetur: τὰ δὲ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι. Ubi quum ἱστοριογράφοι ita explicari possit, ut Clemens Acusilaum solum respexisse, Eumelum autem non satis accurate eo uocabulo comprehendisse existimetur, tamen multo est uerisimilius, ἱστοριογράφον Eumelum dici propter prosaicum illud opus, quo etiam Pausanias usus est. Sed hac opportunitate data de reliquis quoque rebus, quae Clementis testimonio continentur, disputandum est. Atque nemini mirum uideri non potest, quod Eumelus prosa oratione aliquid scripserit, quum illo tempore huius dicendi generis neque usum fuisse in libris neque facultatem sciamus. Quapropter plures extiterunt, qui Clementis testimonii ueritatem ac fidem ita tueri posse sibi uiderentur, ut de altero quodam Eumelo posterioris aetatis scriptore cogitarent, cuius sententiae grauissimum tantum auctorem affero Groddeckium p. 95. Not. Etiam Hermannus Opusc. II, p. 299 dubitare uidetur an plures Eumeli fuerint. At uero huic opinioni quum aliae ra-

tiones tum illud repugnat, quod Clemens Eumelum, cuius nomen Acusilao praeposuit, hoc antiquiorem facere uidetur. Deinde duplicis illius Eumeli per totam antiquitatem nulla est memoria (nam de Diogene Laert. V, 6, p. 272 non est quod dicamus), ita ut coniectura omni careat fundamento. Simul autem propter Welckerum Ep. Cycl. p. 242 moneo, ne quis antiquum poetam Corinthium, Cinaethonis aequalem, ab eo diuersum putet, quem Schol. Pind. et Tzetza (fr. II) historicum poetam appellant. Quae opinio uel propterea non probabilis est, quod Tzetza, qui sua e Theopompo Chio hausisse se profitetur, ipsum Corinthium poetam eundem atque historicum esse testatur. Quum igitur unius tantum Eumeli eiusque Corinthii in omnibus testimoniis mentio fiat, bene Salmasius (Exerc. Plin. p. 858, 1. E.), quam de duplici Eumeli apud Eusebium memoria protulerat suspicionem, eam ipse statim damnauit et diuersam temporis significationem potius ex auctorum, quos secutus esset Eusebius, discrepantia quam ex personarum binario numero explicandam censet. Recte; nam etiam Arctinus, Archilochus et Hesiodus ad uarias quisque aetates referuntur.

Quodsi difficultas, qua Clementis uerba premuntur, hac ratione tolli nequit, neque tamen ulla sit caussa, cur Clementi in hac re fidem abrogemus, aliud quid inueniendum est tale, quod et difficultatem in solutae orationis usu positam tollat et mendacii suspicionem a scriptore remoueat. Atque facilis patet uia, si ipsius Eumeli carmen de rebus Corinthiorum postea in orationem solutam meminerimus translatum esse. Quod quum nec a quo nec quo tempore factum sit sciatur, factum tamen esse constat; qui uero Eumeli poema e metri uinculis liberauit, suo quodam iure Eumeli nomen etiam huic opusculo praeponere poterat, quum neque addidisse quicquam de suo neque multa detraxisse antiquo carmini uideatur. Quid? si idem etiam Hesiodi

carmina eodem modo tractabat et solutis a metri necessitate Eumeli nomen quod semel mentiebatur praefigebat? De Acusilao autem sic existimo, eum propterea a Clemente furti accusatum, quod in genealogiis suis Hesiodum potissimum auctorem sequebatur. Quod quominus ab Eumelo quoque factum credamus, prohibemur maxime eo, quod Corinthiacorum argumentum ab Hesiodiis genealogiis uidetur diuersum fuisse, quum nulla nunc (quantum quidem e fragmentorum tum tenuitate tum paucitate iudicare nobis licet) necessitudo aut similitudo inter utrumque opus appareat. Salmasius autem (in notis ad Hieron. Chron. ed. a Schurzfleischio cum notitia Bibl. Vinar. N. 1250) aperte errauit, qui Clementis testimonio adductus Bugoniae nomen, quod carmen Eusebius Eumelo adscribit, in Theogoniam mutandum censuit. Hanc suspicionem a ueritate esse remotissimam, facile quisque intelliget, qui cogitauerit Eusebium carmen aliquod significare, Clementem uero de prosaicis scriptis uerba facere. Praeterea autem in Eumeli fragmentis nihil reperitur, quod cum Hesiodi Theogonia ullam habeat coniunctionem. Quod autem ad uerba *καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν* attinet, ea propterea addita uidentur, quod Clemens in illorum librorum inscriptionibus Eumeli et Acusilai nomina inuenerat. Sed reputare etiam debemus Clementem inuestigandarum similitudinum, quae inter antiquos libros intercedebant, curiosissimum fuisse et studiosissimum et multas res, quae casu acciderunt, imitandi studio aut furto poetarum scriptorumque tribuisse (Weichert. p. 196. N. 249).

Sed iam consentaneum uidetur quaeri, quomodo is, qui Corinthiaca in solutae orationis formam redegit, rem instituerit, quum dubium esse queat, utrum antiqui carminis copiositatem retinuerit, an poema in angustos epitomes fines coegerit grauissimarum rerum expositione contentus. Posterius uisum est Groddeckio p. 99, Siebelisio ad Paus. II, 1, 1 et Wuellnero de Cycl. ep.

p. 48; illud Weicherto p. 188. Harum sententiarum utra uerior sit aut (quoniam in tota hac quaestione ultra probabilitatem non licet progredi) probabilior, e sola eorum, quae Pausanias II, 3, 10. refert, cum uersibus ap. Schol. Pind. (fr. II) comparatione diiudicari potest. Iam quum Pausaniae testimonium satis accurate cum uersuum illorum tenore congruat, Weicherti iudicio aliqua uerisimilitudinis species accedit, quanquam concedi debet e tam leuibus uestigiis non posse certum ac firmum argumentum deriuari.

Non certius erit iudicium, si quis quaerat, utrum grammatici, qui in fabulis Corinthiacis Eumeli auctoritate utuntur, e uetere poemate an ex opere prosaico testimonia hauserint. Quod quanquam de Pausania et scholiasta Pindari, qui uersus affert, facile diiudicari potest, tamen de Hygino, Apollonii et Euripidis scholiastis discerni fere nequit. Tzetza carmen non habuit, sed e Theopompo Chio notitiam cum uersibus petiit. Fragmenta carminis et prosaici scripti disiungenda non putauimus, quum uerisimile sit, in hoc poematis narrationes cum fide redditas fuisse, ita ut eius fragmenta ad illius argumentum cognoscendum recte possint adhiberi.

2. Iam uero ex hoc, quod Eumeli carmen in prosam orationem est conuersum, de eius natura et ratione aliquid suspicari licet. Non enim Homericorum carminum artem et praeclaram dispositionem uidetur retulisse; sed potius ad Hesiodiae poesis similitudinem accedens singulas fabulas historico quodam et naturali ordine sese excipientes annalium instar enarrasse, ita ut a logographorum operibus nulla re, nisi metri necessitate differret et in orationem pedestrem soluendi conatui facile se praeberet studiumque tale excitaret. Nam si quis Homeri carminibus eandem uim adferre uoluisset, difficillimum id esse statim animaduertisset, et non solum poeticae dictionis mutatione et metri solutione, sed etiam alia

argumenti dispositione opus esse animaduertisset, ut prosaica scriptio historiarum regalis conueniret. In Eumeli autem carmine materia sic uidetur disposita fuisse, ut detractis metri uinculis tale opus prodiret, quod ab ipso auctore ad historiarum normam compositum uideretur neque poeticae tractationis suspicionem moueret. Hanc carminis indolem significari puto a scholiasta Pindari et Theopompo Chio apud Tzetzam, qui Eumelum ἱστορικὸν ποιητήν appellant. In quo nomine etiam illud inest, Eumelum ipsas popularium suorum de antiquissimis Corinthi rebus narrationes ita reddidisse, ut eas non poeticis rationibus ad certum aliquod consilium adhibitis immutaret, sed, ut antiqua fama ferebantur, seruaret et traderet. Ex fragmentorum paucitate nullum huius rei argumentum peti potest; quanquam unum illud, quod certo iudicio ad Corinthiaca refertur neque poeticae dictionis splendore neque uersuum elegantia ita excellit, ut inde honorificam de totius carminis pretio opinionem concipere liceat.

Sed quoniam haec iudicatio in tanta testimoniorum inopia certo caret fundamento (quanquam quae probabiliter dici posse uidebantur, dicenda erant), hac iam missa aliam suscipiamus quaestionem, quae est de carminis argumento, cui pauca de nomine praemitti consentaneum est. Quum enim ab omnibus, qui de hoc carmine disputauerunt, *Κορινθιακά* nomen adhibeatur ad poematis designationem, mira huius inscriptionis forma uideri potest, quia ab antiqua poesi epica tituli carminum in -*ικά* uel -*ιακά* exeuntes ita alieni sunt, ut ne unum quidem eius rei exemplum inuenias. Nam ne quis *Ναυπακτικά* afferat, nostra disputatione de hoc poemate instituenda prohibebitur. Iam quum nomen *Κορινθιακά* ita explicari possit, ut aut e singulari eius natura, poesi non satis conueniente et ad prosaicorum librorum rationem accedente, etiam inscriptionis forma, logographorum et historicorum scriptis familiaris, petita

esse dicatur, aut carmen antiquo poetae abiudicatum posteriori aetati adnumeretur, tamen posterior quidem ratio cum temeritate quadam coniuncta est, priori autem nihil explicari uidetur, quoniam, si ab ipso poeta nomen factum est, is ex logographorum consuetudine inscriptionis genus repetere non poterat; sin posteriore aetate poemati impositum, aliqua certe differentia inter carmen et historias intercedebat, quae admonere debebat, ne diuersis generibus significandis eadem nominis forma adhiberetur. Quodsi ea per se mira est, magis etiam dubia sit, si qua auctoritate nitatur quaerimus. Nam uno tantum eoque ambiguo testimonio tradita est a schol. Apoll. Rhod. I, 146. fr. 6. Ambiguum diximus testimonium, quia nescitur, utrum ipsum carmen an opus prosaicum ante oculos habuerit grammaticus. Iam si quis illud eo comprobari putet, quod Schol. III, 1372 aliquot uersus ab Apollonio ex Eumeli carmine transscriptos testatur, nos id argumentum non sic labefactandum existimamus, ut cum Weicherto negemus illos uersus in Corinthiacis locum habuisse, sed ita, ut quum scholia illa ex diuersorum grammaticorum (Weichert. p. 396 sq.) conflata sint commentariis, dubium esse moneamus, num utrumque scholion eundem auctorem habuerit. Illi autem qui uersus ipsos citant, carminis nomen non addiderunt; nisi quis e Muelleri scriptura apud Tzetz. ad Lyc. 174 „ἡ Κόρινθος“ inscriptionem eruat. Quanquam enim ibi sine dubitatione cum codicibus omnibus scribendum est, quod edidit Muellerus, Εὐμήλου τῆς Κορίνθου ἱστορικοῦ ποιητοῦ, tamen ἡ Κόρινθος patriam poetae significat, ut supra indicaui. Poterant autem Κορινθιακά et Κορινθία συγγραφή nomina eidem operi tribui, sicut Pausanias operis sui librum secundum, quem Κορινθιακά inscripsit, aliis locis Κορινθίαν συγγραφήν appellat, ueluti V, 18, 2. Quodsi Κορινθιακά titulum neque testimoniorum auctoritate niti apparet neque per se offensione carere uidimus, mirere

profecto, qui factum sit, ut ab omnibus sine dubitationis indicio usurparetur. Nobis uero iam ita statuendum uidetur, ut, quam inscriptionem aut poeta ipse suo carmini fecerit (Salmasius Eumelum ipsum poema *Κορινθιακά* inscripsisse dicit), aut antiquitas probauerit, nescire nos fateamur, quanquam breuitatis causa nomen usu receptum retineri poterit.

Sed de nomine satis; sequitur, ut de argumento dicatur; de quo tum e nomine, quod uulgo fertur, tum e reliquiis coniectura fieri potest.

Continebat autem carmen, ut iam Salmasius ad Sol. p. 858 uidit, antiquissimas Corinthi fabulas, initio a Solis (cuius equorum memoriam cum ipsius laudatione coniunctam fuisse uerisimile est) celebratione facto, si quidem Hygini testimonium, quod primus inueni, ad carminis initium recte rettuli. Sequebatur diuinae prolis enumeratio, inter quam deus terram suam ita diuisit, ut Aloeo Asopiam (Sicyonem), Aeetae Ephyraeam (Corinthum) assignaret. Quo regno non contentus Aeetes, postquam Buno, Mercurii et Alcidamiae nymphae filio, imperium tuendum tradidit, in Colchidem abiit. Aloeum autem in Asopiae dominatu filius excepit Epopeus, qui Buno mortuo etiam Ephyraeae rex factus est. Cuius superbia et crudelitate permotus Marathon, filius eius, in Atticam discessit; unde post patris mortem reuersus filiis suis imperium ita bipartitum permisit, ut Sicyoni Asopiam, Ephyraeam autem Corintho daret; a quibus postea terrarum nomina deriuata sunt. Corinthus enim olim Ephyre dicebatur, cuius nominis originem Eumelus (fr. 4) a nympha cognomine, Oceani et Thetyis filia et Epimethei uxore, duxerat. Marathon in Atticam recessit, ubi cognominis urbis heros eponymus factus est. Corintho autem mortuo Medea a ciuibus Iolco arcessita cum Iasone imperium exercuit. Quae ut immortalitatem liberis suis pararet, eas in templum Iunonis abscondidit, cuius gratiam et beneuolentiam repudiato

Iouis amore sibi conciliauerat. Sed quum ea spe falli se sensisset et Iason cognita re illa iratus, uenia Medeae negata, Iolcum rediisset, ipsa quoque Medea Corinthum reliquit et Sisypho urbis imperium commisit, quem Glaucus filius excepit. Hic ut amissos equos requireret, Lacedaemonem profectus cum Pantidyia concubuit, ex eaque Ledam genuit, quae quum mater postea Thestio nupsisset, huius filia credebatur.

Hucusque tenorem Eumeliae narrationis restituere licet testimoniorum auctoritate; quae secuta sint, uix coniectura assequi possumus. Putamus tamen non ita multum ad argumenti integritatem et ambitum desiderari. Sed sunt nonnulla ad carminis materiam pertinentia, de quibus disceptari queat; sunt etiam, quae parum recte a uiris doctis de ea re dicta uideantur; e quorum numero illud est, quod Salmasius l. c. nuptias Iasonis cum Creontis filia enarratas in Corinthiacis fuisse dicit. Hanc enim rem, e tragicorum, ut uidetur, fabulis profectam, ab Eumeli narratione alienam fuisse apparet e Pausaniae uerbis (fr. III) καὶ ἅμα ὑπὸ τοῦ Ἰάσονος φωραθεῖσαν (οὐ γὰρ αὐτὸν ἔχειν δεομένῃ συγγνώμην, ἀποπλέοντα δ' ἐς Ἰωλκὸν οἴχεσθαι) τούτων δὲ εἵνεκα ἀπελθεῖν καὶ Μήδειαν. Corintho relicta, quo se contulerit Medea, e fragmentis non intelligitur. Uidetur in Colchidem rediisse.

Multo grauior et difficilior ea quaestio est, quae ad Argonautarum fabulas pertinet. Eas quum plurimi hoc carmine comprehensas fuisse existimassent (Salmas. ad Sol. l. l. Vossius de Poet. Gr. p. 13. Groddeck. p. 97. Not. t. Wuellner. de Cycl. ep. p. 48), Weichertus p. 201 sq. earum memoriam a Corinthiacis exclusam fuisse disputauit. Quod quanquam ita comprobare studuit, ut nullam scholiastae Apolloniani adnotationem ad has fabulas pertinere diceret, uersus autem, quos Schol. ad III, 1372 ex Eumelo sumptos testatur, e Corinthiacis petitos negaret et ad Nostos referret, tamen equidem facere non

possum, quin ab eius sententia discedam; cuius dissensionis gaudeo quod nunc uideo socium me habere Ulricium p. 433. N. 219. Nam ut primum de uersibus transscriptis loquar, hoc est scholiastae testimonium: *οὗτός καὶ οἱ ἑξῆς στίχοι εἰλημμένοι εἰσὶ παρ' Εὐμήλου, παρ' ᾧ Μήδεια πρὸς Ἴδμονα* (Par. *Ἰάσωνα*) *διαλέγεται.* Haec ad Nostos pertinere propterea non probabile uidetur, quod id carmen a paucis tantum Eumelo adscribebatur, in quibus num scholii illius auctor fuerit, magna est dubitatio. Et si Eumelo carmen tribuebat, etiam diuersas de Nostorum poeta sententias nouerat, ita ut si eam, quae minorem habebat auctoritatem, sequebatur, controuersiae aliquod indicium aut carminis nomen additum fuisse uideatur. Hoc fecit ad I, 1165, ubi Eumeli mentioni Titanomachiae nomen adiecit, quanquam huius carminis origo maiore auctoritate ad Eumelum referebatur. Sed hoc argumento facile concedo rem non confici; grauius uerbis *παρ' ᾧ — διαλέγεται* continetur, quorum haec esse sententia uidetur, ut scholiasta uersus illos, quibus Apollonius suo nomine narrat, ab Eumelo in aliquo Medeae cum Idmone (Iasone) diuerbio positos fuisse dicat. Iam si ex Nostis essent, iis non alius locus fuisse posset, nisi in Necyia, ad quam etiam illos uersus, quos Weichertus p. 200 ex Argumento Medeae Euripidiae laudauit, pertinuisse plus quam uerisimile est. Welcker. Cycl. Ep. p. 282.

Sed quomodo ibi Medea illam orationem ad Idmonem conuertere potuerit, non perspicitur. Si Homeri Necyiam comparamus, concludi potest eam in Nostis ita fuisse institutam, ut aliquot umbrae cum Neoptolemo (ut Welckero uidetur), ut cum Agamemnone (quae est Nitzschii sententia: cf. de Aristot. c. Wolf. p. 40 sqq. Welcker. p. 281. 283) conuenirent, easque aut ipsas fata sua narrantes faceret poeta aut suo nomine exponeret. Sed mortuos inter se confabulantes induxisse poetam, ita ut Medea Idmoni Iasonis pugnam cum ter-

migenis referret, credibile non est, quia non intelligitur, cur hanc narrationem usque ad Agamemnonis aut Neoptolemi descensum reticuerit. Neque Parisina scriptura quicquam adiuuamur. His rationibus admonitus ad Weicherti sententiam accedere nequeo. Si igitur Nostorum esse illi uersus non uidentur, iam de nullo alio Eumeli carmine, nisi de Corinthiacis cogitari potest; ita ut in hoc carmine de Argonautarum rebus expositum fuisse efficiatur. Iam uero quaeritur, quomodo in eo uersus illi locum habere potuerint, Sed ut statim quod sentio dicam, difficillimum est de ea re iudicium, quum neque sciamus quas fabulas secutus fuerit poeta, neque quomodo narrationem instituerit compertum habeamus. Possum plures afferre rationes, quibus uersibus non ineptus locus assignetur; sed in tanta rei obscuritate coniectandi hariolandique studium reprimere praestat. Utcunque enim Eumelus rem instituit, maiore probabilitate ad Corinthiaca illi uersus quam ad Nostos referuntur. In illo carmine Argonautarum res narratas esse etiam ex eo, quod Eumelus (ap. Paus. II, 3, 10) Iasonem cum Medea Corinthi regnasse dixerat, collegit Groddeckius p. 97, quod recte factum esse negat Weichertus p. 205. Pausaniae testimonio etsi non necessario efficitur quod uoluit Groddeckius, tamen cum Iasonis mentione aliquam illius expeditionis narrationem coniunctam fuisse probabile est, qua exponeretur, quomodo Medea Iolcum peruenisset, unde Eumelus eam a Corinthiis aduocatam dixerat (μεταπεμψαμένους ἐξ Ἰωλκοῦ).

Requiritur hoc propterea, ut non solum res ipsae expositae, sed etiam (quod ἱστορικὸν ποιητὴν maxime decebat) caussae explicatae haberentur. Mirum enim uideri poterat, cur Medea non ex Colchide, quo pater abierat, sed Iolco, et cum Iasone quidem, aduenisse diceretur. His rationibus ducti si recte statuimus Argonautarum expeditionem carminis partem fuisse, ad eam fortasse Sinopes memoria (fr. VII), ut apud Apol-

lonium Rh. II, 946 sqq., pertinuit, quam Weichertus p. 203 ad eum poematis locum refert, quo Asopi eiusque regionis mentio fiebat.

Haec de argumento dicta sunto. Unum addo de aetate. Muellerum enim supra uidimus contendere ante Ol. XX. non posse *Κορινθιακά* composita esse. Quod si uerum esset, contra antiquitatis testimonia carmen Eumelo abiudicare deberemus. Nam tribuitur ei a Theopompo et scholiasta Pindari, ne quid de dubiis testimoniis dicam. Pausaniae autem dubitatio (II, 1, 1) ad scriptum prosaicum pertinet. Sed illud Muelleri iudicium non satis certum esse supra ostendimus. Cf. etiam Ulricium p. 406. N. 104.

## II. *Εὐρωπία.*

Hoc carmen alii (Hieronymus et Schol. Il. VI, 131) Eumelo adscribunt, alii de auctore dubitant (Clem. Al. Strom. VI. p. 151 Sylb. Paus. IX, 5, 8), nec tamen aemulorum nomina ad nostram notitiam peruenere. Quum igitur aliae res in hoc carmine dubiae sint, tum ne nomen quidem ita certum habetur, ut de eius forma quaerere inutile uideri debeat. De qua diuersae extant uirorum doctorum iudicia. Salmas. ad Sol. p. 859. C. haec scripsit: „Melius legimus *Εὐρωπείας* (quam *Εὐρωπίας*). Nam *Εὐρώπη Εὐρώπεια*, ut *Καλλιόπη Καλλιόπεια*, *Ἐρύθη Ἐρύθεια*, *Βερενίκη Βερενίκεια* et similia. Poetae tamen etiam *Εὐρωπίαν* dixere, ut uersui consulerent. Euripides in Theseo:

*Σχεδὸν παρ' αὐτοῖς κρασπέδοις Εὐρωπίαν.*"

His addidit carmen etiam *Εὐρώπη* inscriptum fuisse. Quorum nihil uerum esse postea demonstrabimus. Nec melius Scaliger ad Eus. p. 72, qui dicit carmen ab Clemente *Εὐρωπίαν*, a Pausania *Εὐρώπην* uocatam esse. „*Εὐρωπία* dicta fortasse ἀπὸ τοῦ *Εὔρωπος*. Sed de Sicyoniorum rege intelligendum esse quominus credam,

faciunt ea, quae ex illa poesi adducit Clemens, quae manifesto ad Argiuas res, non ad Sicyonias pertinent.“ [Hunc Scaligeri errorem notauit eiusque caussam aperuit Wuellner. de Cycl. ep. p. 58. Aberrauit enim oculis ad *Phoronidis* uersus, qui ibidem apud Clementem extant et ad Iunonem Argiuam spectant.] „Quae uero „a Pausania preferuntur, pertinent ad Boeotica. For„lasse duae poeses fuerint diuersae, *Εὐρωπία καὶ Εὐ„ρώπη.* — — — — Si coniecturae locus est, tam *Εὐρώ„πην* quam *Εὐρωπίαν* dictum fuisse illud opus uerisi„mile est. Nam ueteres Graeci *Εὐρωπείαν* et *Εὐρωπίαν* „dicebant, quae postea *Εὐρώπη.* — — Itaque mirum „non est, *Εὐρώπην* uocari a Pausania, quae ab aliis „scriptoribus *Εὐρωπία* dicitur.“ Weichertus p. 194 *Εὐρωπεία* solum ueram nominis formam censet. Wuellner. p. 58 tam *Εὐρώπια* (sic) quam *Εὐρώπεια* recte inscribi carmen existimat.

Iam ut recte instituatur quaestio, hoc ante omnia tenendum est, ab iis, qui carmen citant, nulla uarietate formam *Εὐρωπία* exhiberi. Quae si defendi potest, de reliquis non est cogitandum. Uidemus autem ab iis nominibus, quorum radix in consonantem exit, fieri solere inscriptiones in *-ία: Τηλεγον|ία, Λυκουργ|ία, Εὐμολπ|ία, Οἰδιποδ|ία, Μελαμποδ|ία.* Ab iis autem, quorum character *ε* est, ueluti a tertiae declinationis nominibus in *-εύς* et *-ης,* formae in *-εια* deriuantur: *Ὀδύσσεια, Ἡράκλεια.* Sed etiam e priore genere aliquot exempla in *-εια* inueniuntur, ut *Οἰδιπόδεια* (Marm. Borg. et schol. Plat. p. 330. Bekk.), *Πελόπεια* (Schol. Pind. Pyth. IX, 25), *Κυκλώπεια, Δολώνεια.* Sed quaeritur, quid de iis, quae a nominibus primae declinationis formantur, statuendum sit. Quod antequam diiudicetur, de harum inscriptionum significatione dicendum est; in qua re ii mihi uidentur errare, qui cum Salmasio et Scaligero *Εὐρώπεια* siue *-ία* pro altera nominis *Εὐρώπη* forma, non pro deriuato uocabulo habent (ut Klein. ad Stes. p. 73. Not., qui

*Πηνελόπεια* comparat), et Euripidis uersu *Εὐρωπία* formam defendere posse sibi uidentur. Hoc probari nequit, primum quod poetica forma in inscriptione multum offensionis habet; deinde quod Pausanias X, 5, 8 carmen sic citat *τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην:* quo testimonio eorum sententiam redargui, qui cum Salmasio et Scaligero *Εὐρώπη* quoque carmen inscriptum fuisse opinantur (ut Bernhardy. p. 288 et Welcker. p. 40), Wuellner. recte monuit. Potius hae formae in *-εια* et *-ία* pro deriuatis habendae sunt. Quae quomodo a primae declinationis uocabulis fiant, difficile dictu est, quoniam praeter ambiguum Europiae nomen nullum extat eius generis exemplum. Nam *Τιτανομαχία* et similia, quae a *μάχη* deriuantur, comparare non licet, quum in his ipsa pugnarum nomina ad titulos adhibita sint, non deriuatae ex eis formae. Unum, quod recte componi uidetur, est *Ὀρέστεια* ab *Ὀρέστης*, quod uulgo *Ὀρεστεία* scribitur (Athen. XII. p. 513. Bekker. Anecd. p. 783. Schol. ad Arist. Pac. u. 797. Stes. fr. XXXVII. ed. Kleine). Apud Aristophanem (Ran. 1135 Dind.) ante Brunckium *Ὀρεστίας* edebatur, pro quo e septem codd. *Ὀρεστείας* scriptum est in Dindorfii editione. Iam si reputamus, primae declinationis uocabulorum radicem (praeter talia *Ἑρμῆς, βοῤῥᾶς, γῆ, μνᾶ*) in consonantem exire, formae *Εὐρωπία, Ὀρεστία* ad similitudinem *Τηλεγονία, Μελαμποδία*, aliorum factae, analogia non carent. Ex altera parte formae in *-εια* reiici non debent; et sic Stesichorus *ἐν Εὐρωπείᾳ* a Schol. Eur. Phoen. 674 et Nicander *πέμπτῳ τῆς Εὐρωπείας* a Steph. Byz. u. *Ἄθως* citantur; contra idem Nicander *ἐν τρίτῳ Εὐρωπίας* ab Athenaeo VII. p. 296 a). Quodsi utraque forma bona est, iam de alterius in *-εια* accentu dicendum est, quem in tertia a fine syllaba ponendum esse cum Ahrensio

a) Ceterum Nicandri carmen etiam *Εὐρώπη* dicitur schol. Apoll. Rhod. IV, 57.

(Jahn. Ann. Phil. et Paed. 1830. T. XIII. p. 191. Not.) existimo. Si enim pro substantiuo abstracto habes, accedit ad similitudinem uocabulorum *Ὀδύσσεια*, *Οἰδι-πόδεια*: sin minus recte pro feminino adiectiui in *-ειος*, omisso *ποίησις* uocabulo, etiam proparoxytonon esse debebit, quum eiusmodi adiectiua, quae in substantiuorum significationem abierunt, proparoxytona fiant, ut Buttmannus auctor est Gramm. Gr. II. p. 407, exemplis *μεσόγεια* et *ἀκρώρεια* usus.

*Εὐρώπεια* igitur et *Εὐρωπία* recte scribi putamus. Quum uero in Eumeli carminis citatione prior forma non inueniatur, hoc rectius *Εὐρωπίαν* dici censemus. Ceterum nondum ad finem perductam putamus hanc rem, quae altioris est indaginis. Conf. Ahrensium l. l., quem maxime probauimus auctorem. Unum addo, Wuellneri *Εὐρώπια* non magis admitti posse, quam *Οἰδιπόδια*, de quo infra dicetur.

2. Quod ad argumentum Europiae attinet, Scaliger ad Eus. p. 72 dubitare non debebat, utrum de Europa, tertia terrae parte, an de Agenoris filia fuisset carmen. Posterius uerum esse iam uidit Salmasius l. l., qui in eo magnopere errauit, quod idem opus alios Nicandro, alios Eumelo adscripsisse suspicatus est. Cf. Wuellner. p. 58. Quid continuerit carmen tum e nomine tum e fragmentis ita colligere licet, ut, quamquam in uniuersum dubitatio esse non possit, tamen de singulis rebus ualde ambigi et disceptari queat. Persequebatur enim auctor Europae fabulam, cum qua, ut fama coniuncta erant, ita poemate Thebarum initia celebrauit. Hoc intelligitur e Pausaniae testimonio (fr. XI), quo Amphionis memoria continetur, quem etiam Hesiodus lyra muros Thebarum extruxisse tradidit. Etiam Bacchi fabulae copiose uidentur expositae fuisse (fr. IX). Quo iure autem Weichertus p. 194, Heynio (ad Apollod. T. II. p. 356) auctore fabulas de Callistone, Lycaonis filia (XIII), de Chrysopelia (XIV), de Xenodamo, Menelai

filio (XVIII), ad Europiam retulerit, non perspicio. Xenodami quidem memoriam maiore iure ad Corinthiaca referre liceret, in quibus Glaucus, Sisyphi filius, Lacedaemonem profectus esse ibique Ledam genuisse dicebatur, qua occasione data poeta Ledae stirpem enumerare breuiter poterat. Sed haec ratio mihi magis dubia uisa est, quam ut hoc testimonium Corinthiacorum fragmentis inserendum putarem. Arcadum fabulas eodem rettulissem, si uera esset glossa, quae in Tzetzae cod. Ciz. quarto uersui Eumelii fragmenti adscripta est: ἣν μὲν Ἀρκαδίαν. Sed Sol non Arcadiam et Sicyonem dedit Aloeo. Non magis certum est, quod idem uir doctus illud de tribus Eumeli Musis testimonium ad Europiam pertinere dixit, quod in tali (?) carmine earum fabula praeteriri non potuisset, uersum autem a Clemente seruatum (fr. XV) in eiusdem poematis initio positum fuisse suspicatus est. Quae coniecturae neque affirmari ullo modo neque refutari possunt, quanquam hoc mihi cum Hermanno (Opusc. II. p. 299) non satis uerisimile uidetur, in eodem carmine diuersis istis fabulis locum fuisse. De aetate carminis nihil dicerem, nisi commemoranda uideretur O. Muelleri sententia Proleg. ad Myth. p. 389, qui eius auctorem circa Ol. XX uixisse suspicatur. Quam opinionem, e Bacchicae fabulae ratione conceptam, neque quo confirmem habeo, neque quo impugnem.

## III. *Βουγονία.*

Hieronymus Eus. Chron. Eumelo Bugoniam tribuit; de cuius carminis argumento Salmasius ad Sol. p. 859, 1. B. sic disputat: „Bugonia poema, ut uidetur, fuit, „quo Aristaei fabula descripta habebatur, qui amissas „cum apibus opes reparauit occiso boue eo modo, quo „Uirgilius [Georg. IV, 281 sqq.] narrat. Inde apes „ipsae *Βουγενεῖς* Graecis dictae et *Βουγόναι*. Inde *Βου-*

„γονία carmen Eumeli. Quod etiam incertum ferebatur an Eumeli esset.“ Quo postrema uerba spectent nescio; nam Bugonia Eumeli aut Eumeli nusquam praeterea memoratur. Hanc Salmasii de carminis argumento sententiam multi probauerunt, ut Scaliger ad Eus. Chron. p. 71, 6. Vossius de Poet. Gr. p. 12. Mellmann. de caussis et auct. narrat. de mut. form. p. 61, qui Bugoniam carmen de apum generatione interpretatur. Et Scaliger quidem Eumeli poema significari a Uarrone putauit de R. R. II, 5, ubi boum uirtutibus, quae antea enumeratae sunt, haec laus additur: *„denique ex hoc putrefacto nasci dulcissimas apes, mellis matres, a quo eas Graeci βουγόνας appellant. — — Sed bono animo es, non minus satisfaciam tibi, quam qui Bugoniam scripsit.* Quo loco Salmasii et Scaligeri sententiam quodammodo confirmari uideri dicit Weichertus p. 191. Sed uidetur ea, quae deinceps apud Uarronem sequuntur, non respexisse; quod si fecisset, ipsum Uarronis locum illi Bugoniae interpretationi repugnare uidisset. Sequuntur enim haec: *Primum in bubulo genere aetatis gradus dicuntur quatuor. Prima uitulorum, secunda iuuencorum, tertia boum nouellorum, quarta uetulorum. Discernuntur in prima uitulus et uitula, in secunda iuuencus et iuuenca, in tertia et quarta taurus et uacca. Quae sterilis est uacca taura appellata, quae praegnans horda.* Ex his et quae sequuntur, satis apparere puto, Uarronem Bugoniae nomen non de apum ex bobus procreatione, sed de ipsorum boum generatione et cultu dixisse, ea autem, quae antea de illa apum origine et nomine dicebantur, nullo modo cum Bugoniae uocabulo coniuncta esse. Sententia uerborum: *non minus — scripsit,* haec est: „ego pariter accurate de bobus creandis et habendis tibi disseram, atque Bugoniae auctor.“ Βουγόνας, quod apud Uarronem est, Scaliger ad h. l. p. 274. ed. Gesn.) apes dictas esse negat et βουγενεῖς restituendum existimat, quam formam Graeci scriptores habent. An-

tigonus Caryst. c. 33. p. 21: προςαγορεύει οὖν καὶ Φιλητᾶς τὰς μελίσσας βουγενεῖς λέγων·

Βουγενίας φάμενος προςεβήσατο μακρὰ μελίσσας.

Hesychius: Βουγενέων τῶν μελισσῶν· Καλλίμαχος· Ἄρμενα πὰρ Δαναοῦ γῆς ἐπὶ βουγενέων. καὶ ἡ μέλισσα βουγενής, ὅτι ἐκ βοείων ὀστέων γεννᾶται. Bianor poeta citatus a Scaligero ad Eus. p. 71: φεῦ, βρέφος ὡς ἀδίκως ὤλεσε, βουγενέες. Probo Scaligeri emendationem, quae si uera est, etiam Bugoniae uocabulum de apibus e tauro procreandis intelligi nequit; et Salmasius retractata quaestione in notis ad Euseb. ap. Schurzfleischium in Notit. bibl. Uin. 1250 [a]) recte sic scripsit: „Haec etsi uera sint (apes βουγενεῖς dictas esse), uellem nihilominus Scaligerum (ad Eus. p. 71), satius probasse, quod Bugoniam, quae Βουγενογονία hoc modo potius esset dicenda, Eumelus scripserit.“ Addit deinde Theogoniae nomen apud Hieronymum reponendum esse, de qua emendatione supra diximus. Hanc reiiciens Weichertus p. 192 non etiam de iis, quae de titulo dixit Salmasius, dubitare, sed eum ferendum existimare debebat. Bugonia enim nihil significare potest nisi τὴν τῶν βοῶν γονήν, ut recte animaduertit Scaliger ad Uarr. l. l. Quare Eumeli carmen non de apum e tauris generatione esse poterat. Quod ut negemus, facit etiam altera eaque grauior ratio. Etenim illa fabula, tractatione Uirgiliana nobilis, ante Ptolemaeorum aetatem incognita erat, et Philetas primus apes βουγενεῖς dixit. Effecit hoc Vossius egregia disputatione ad Uirg. Georg. IV, 287. p. 826 sq. Cf. Beckmann. ad Antigon. Caryst. p. 36.

---

a) Weichertus p. 192. 193 has notas cum emendatione „Theogonia“ Scaligero adscribit. Nam non e Schurzfleischii libro, quem citat, sed e Gesneriana Uarronis editione p. 275, quam non citat, eius rei notitiam hausit.

Si igitur Eumelii poematis inscriptionem de apum e tauro putrefacto generatione interpretari nos neque nominis forma neque fabulae aetas patitur, alia iam est explicatio circumspicienda. Quam quum inueniri posse Weichertus p. 193 desperaret, aut ignorationem confitendam, aut, si opus esset emendatione, *βουφονία* scribendum esse existimauit; quo carmine Triptolemi fabulam, qui teste Xenocrate apud Porphyrium de Abstin. IV, 22 animalia rustica uiolari uetuerat, celebratam fuisse suspicatur. De hac coniectura ita iudico, in tanta rei obscuritate ipsum mutandi conatum periculosum esse, praesertim quum ne de necessitate quidem emendandi constet. Deinde tale argumentum multo magis Atticorum mysteriorum poetae quam Eumeli personae conueniret; neque omnino illa fabula iam Eumeli aetate cognita fuisse uidetur. Ac ne hoc quidem uerisimile est, mystica carmina ad Eumeli nomen relata esse.

Leutschius de Theb. cycl. p. 22. N. 68 sic dicit: „Carmen quod Eumelo tribuitur, Bugonia etiam est ex mea sententia carmen agricolare." Haec sententia prae ceteris mihi quoque placet et loco Uarronis confirmari potest, ubi Bugoniam opus de bobus parandis et habendis significare patet. Quanquam mirum est, Corinthio poetae tale carmen adscribi, quum Corinthi nullum rei rusticae studium fuerit. Kochius Praef. ad Anton. Liber. p. XXIV hominum in boues mutationem pro argumento carminis habere uidetur. Nam sic dicit: „Fabulae de hominibus in bestias, plantas, montes, flumina conuersis placebant antiquis scriptoribus, cui rei documento est Boei *'Ορνιθογονία* et Eumeli *Βουγονία*, quanquam is quomodo uersatus sit in materia omnino nescimus."

Nam his opinionibus suspicionem addere nec facile uidetur neque utile, quoniam res tanta obscuritate

premitur, ut ne ad probabilitatem quidem coniecturae accedere, nedum ipsam ueritatem assequi nobis liceat.

IV. *Ἆισμα προσόδιον.*

Omnis huius carminis notitia uni Pausaniae debetur; qui eius ter mentionem facit. E lyrico genere fuisse tum ex *ᾆσμα* uocabulo apparet, tum testimoniis constat, quibus prosodia lyricae poesi adnumerantur. Etym. M. u. *ὕμνος*, — *κεχώρισται ἐγκωμίων καὶ προσῳδίων καὶ ἐπαίνων* (*παιάνων* corr. Klein. ad Stes. p. 87) *οὐχ ὡς κἀκείνων μὴ ὄντων ὕμνων. γράφεται δὲ ὕμνος προσῳδίας, ὕμνος ἐγκωμίου, ὕμνος παιᾶνος, καὶ τὰ ὅμοια· διαστέλλεται ὡς εἴδη ἀπὸ γένους, ἀλλὰ* [*καὶ* add. Kl.] *ἀντιδιαστέλλονται· προσῴδια γὰρ Ἀθηναῖοι προσιόντες ναοῖς ἢ βωμοῖς πρὸς αὐλὸν ᾖδον, τὸν δὲ ὕμνον* [*ἑστῶτες* add. Kl.] *πρὸς κιθάραν.* — *οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ Λυρικῶν ποιητῶν* et u. *προςωδίαι* [*προσῴδια* Kl.] *παρὰ τοῦ προσιόντας ναοῖς ἢ βωμοῖς πρὸς αὐλὸν ᾄδειν, κτλ.* Cramer. Anecd. Gr. IV, p. 314: *προσόδιόν ἐστι ποίημα ὑπὸ ἀῤῥένων ἢ παρθένων χοροῦ ἐν τῇ προσόδῳ τῇ πρὸς τὸν θεὸν ᾀδόμενον. φέρεται δὲ ἐν τούτῳ τῷ γένει καὶ τὸ ἀποτρεπτικόν· ἐστὶ δὲ ποίημα σπαστικὸν κατὰ τὸν ἀπὸ τῶν θεῶν χωρισμὸν ᾀδόμενον.* Ex his apparet antiquam et ueram formam *προσῴδια* fuisse, et sic Didymum scripsisse puto. Sed in Etymologico nihil mutandum est, quia seriores grammatici ab *ᾄδειν* uerbo deriuabant uocabulum, quum ab *ὁδὸς* esset deducendum. Apud Pausaniam certa uidetur scriptura *προσόδιον*. Lyrica fuisse *προσόδια* etiam e dialecto dorica patet. Plutarch. de Mus. p. 1136 f., *οὐκ ἠγνόει δέ, ὅτι πολλὰ Δώρια παρθένεια ἄλλα Ἀλκμᾶνι καὶ Πινδάρῳ καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Βακχυλίδῃ πεποίηται· ἀλλὰ μὴν καὶ ἔτι προσόδια καὶ παιᾶνας καὶ μέντοι καὶ ὅτι τραγικοὶ οἶκτοί ποτε ἐπὶ τοῦ Δωρίου τρόπου ἐμελῳδήθησαν κτλ.* Etiam duo uersus, quos ex Eumeli prosodio seruauit Pausanias, doricam dialectum habent. Quod ad numeros attinet, uidentur

hexametri dactylici in bisyllabum catalectici fuisse. Pausanias enim ἔπη uocabulo utitur. IV, 4, 1: τὰ ἔπη ταῦτα. IV, 33, 2. Unde intelligitur alterum uersum mancum esse. Retinuit igitur Eumelus, utpote poeta epicus, epicos numeros; dorica autem dialecto usus est, singulari quidem exemplo, tum quia Messeniis compositum erat carmen, tum quia lyricum. A nemine unquam poema hoc Eumelo abiudicatum est. Pausanias enim dicit IV, 4, 1: εἶναί τε ὡς ἀληθῶς Εὐμήλου νομίζεται μόνα τὰ ἔπη ταῦτα.

## V. Τιτανομαχία.

Titanomachia Eumelo tribuitur a scholiasta Apollonii I, 1165: Εὔμηλος δὲ ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ τὸν Αἰγαίωνα Γῆς καὶ Πόντου φησὶ παῖδα, κατοικοῦντα δὲ ἐν τῇ θαλάσσῃ τοῖς Τιτᾶσι συμμαχεῖν, quae exscripserunt Eud. p. 91 et Phauor. Lex. u. Αἰγίων. Sed plures auctores ferebantur, inter quos clarissimus erat Arctinus. Athen. VII, p. 277: οἶδα ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος ἢ ὅστις δή ποτε χαίρει ὀνομαζόμενος, ἐν τῷ δευτέρῳ οὕτως εἴρηκεν. Cf. I, p. 83. De qua discrepantia quid sentiremus, supra P. I. C. IV diximus. De Titanomachia cf. Heeren. in Bibl. Uett. Litt. et Artt. IV, p. 52. Wuellner. de Cycl. p. 44. Weichert. p. 187 sqq. Welcker. de cycl. p. 218. Ulric. p. 404. Fragmenta collegit C. G. Mueller. de cyclo p. 54 sq.

## VI. Νόστοι.

Pindarus Ol. XIII, 31 Corinthi florere dicit Musam ἁδύπνοον: ad quem locum scholiasta haec adnotauit: τοῦτο δὲ διὰ τὸν Εὔμολπον ὄντα Κορίνθιον καὶ γράψαντα νόστον τῶν Ἑλλήνων. ἄλλως· τοῦτό φησιν ἀντὶ τοῦ μουσικοί εἰσι, παρόσον καὶ ποιηταὶ διασημότατοι ἐν Κορίνθῳ ἐγένοντο, ὧν ἦν καὶ Αἴσων, οὗ μέμνηται καὶ Σιμωνίδης. Pro Εὔμολπον Εὔμηλον scribendum esse supra demon-

straauimus. De reliquis, quibus Nosti adscribebantur, cf. P. I. Cap. IV. § 1.

---

# Caput II.

## De Cinaethone.

### § 1.

### *De Cinaethonis persona.*

Cinaethon a) Lacedaemonius (Paus. II, 3, 9. Schol. Uat. ad Eur. Troad. 822. Tzetza Exeg. Il. p. 45, 10. Hieron. Eus. Chron. V), qua aetate uixerit, discimus ex Hieronymo, Euseb. Chron., qui ad Ol. V adscripsit: *Cinaethon Lacedaemonius, qui Telegoniam scripsit, agnoscebatur.* De eo pauca dicenda essent, nisi certe aliquid de Welckeri coniectura monendum uideretur, qui hunc poetam a Cynaetho rapsodo non diuersum fuisse suspicatur (de Cycl. ep. p. 237 sq.). Quae quoniam a uiro maximae in his litteris auctoritatis prolata est, ne quis claro uiri nomine permotus temere ad credendum adducatur (id quod paene accidit Bodio Hist. Gr. p. ep. p. 358), quaerendum uidetur, quibus rationibus et argumentis ab auctore confirmata sit. Proficiscitur Welckerus a scholiastae Pindarici ad Nem. II, 1 testimonio: *Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τοὺς ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου γένους, οἳ καὶ τὴν ποίησιν αὐτοῦ ἐκ διαδοχῆς ᾖδον· μετὰ δὲ ταῦτα καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ οὐκέτι τὸ*

---

a) *Κιναίθων* nomen accentu in secunda a fine syllaba notatur Paus. II, 3, 9. IV, 2, 1, unde Sylburgius correxit II, 18, 6. VIII, 53, 5, ubi *Κιναιθών* legebatur. Sylburgium probat Siebelis. ad II, 18, 6, propter Schol. ad Il. *Γ*, 175, ad Apollod. I, 1375, ubi paroxytonon est. Secutus est Bekker.: Tzetza Ex. Il. p. 45, 12, scripsit *Κιναίθων*. *Κιναιθῶνα* est apud Schol. Uat. Eur. Troad. 821.

γένος εἰς Ὅμηρον ἀνάγοντες· ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν. ἦν δὲ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων τῶν Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι. οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐῤῥαψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν. Quorum fidem duabus potissimum rationibus impugnauit uir celeberrimus, primum, quod Thucydides hymnum in Apollinem, si tam recens fuisset, Homero adscribere non potuisset, deinde quod incredibile esset, Syracusas tam sero primum Homericae poesis rhapsodum uidisse, quam multae res carminum Homericorum in Sicilia notitiam proderint. His caussis ductus Cynaethum atque Cynaethonem suspicatur eandem personam esse, et in scholiis κατὰ τὴν ἕκτην ἢ ἐννάτην Ὀλυμπιάδα corrigit. Iam quod ad posterius argumentum attinet, illo testimonio non hoc continetur, ante Cynaethi aetatem epicam Graecorum poesin et Homeri carmina Syracusanis ignota fuisse, sed illud tantum traditur, Cynaethi temporibus prima rhapsodiae certamina Syracusis publice instituta esse. Neque multo ante in aliis Doricae gentis ciuitatibus rhapsodorum operam innotuisse testatur Maximus Tyrius. XXIII, 5: ὀψὲ μὲν γὰρ ἡ Σπάρτη ῥαψῳδεῖ, ὀψὲ δὲ καὶ ἡ Κρήτη, ὀψὲ δὲ καὶ τὸ Δωρικὸν ἐν Λιβύῃ γένος, quod testimonium reiecit quidem, sed non reprobauit Welckerus p. 246. Sed refutare difficillimum est, neque ullo modo rhapsodorum certamina iam antiquis temporibus in Doricis ciuitatibus usitata fuisse poterit demonstrari. Cf. Bernhardy. p. 233. Alterius autem argumenti uim equidem non perspicio. Nam primum illud non certum est, quod Welcker. p. 240 Hippostrati memoriam ad testimonium de hymni in Apollinem auctore referendam putauit. Uidetur enim ad postrema tantum οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος κτέ. pertinere. Deinde etiamsi Hippostratus hymnum

Cinaethoni adscripsit, non apparet, utrum suam coniecturam an antiquiorem famam secutus fuerit. Si igitur Welckeri argumenta minime id momentum habent, ut rem per se prorsus incredibilem reddant probabiliorem, complures eaeque haud leues rationes illi coniecturae repugnant. Ac primum quidem facile persuaderi nobis patimur Clintoni (p. 278 sq. Kr.) rationibus, Syracusas undecima demum Olympiade conditas esse. Sed ut uera sit Muelleri computatio, tamen non uerisimile est ipsis Syracusarum initiis rhapsodos interfuisse. Deinde nemini scholiastae uerba non praeiudicata opinione consideranti dubium erit, quin quum duo Homeridarum genera discernantur, Cynaethus ad posterius referatur, quod antiquae genti ab Homero generis originem deriuanti opponitur. Quod male fieret, si Cynaethus iam prima Olympiadum decade floruisset, cui aetati Welckerus ipse antiquissimos poetas Homericos, Creophylum, Arctinum, Stasinum adscribit. Deinde talibus poetis magna poeticae facultatis laude florentibus et clarorum carminum auctoribus male conuenit, quod scholiasta Cynaethum fecisse dicit: *πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντα ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν.* Neque praetermittendum est, quod Cynaethus nusquam Lacedaemonius, Cinaetho nusquam Chius dicitur; nam quod Welckerus in tabula Borgiana Cinaethonem Chium tradi ait, haec ipsius est coniectura, qua non debebat alteram confirmare. Plura argumenta proferre eo minus opus est, quod nulla prorsus ratio apparet, cur a uulgari sententia recedamus. Coniectura autem ipsa si reiicienda est, efficitur ut probari nequeant quae inde deriuauit, ueluti quod Cinaethonem, Chio profectum, Corinthum peruenisse, ibique Aesonis nomine (cf. Schol. Pind. Ol. XIII, 31) inclaruisse et hinc Lacedaemonem abiisse opinatur, unde Syracusas migrasset. Quae suspiciones refutatione non magis egent, quam quod eum Cinaethonem, quem Pausanias *γενεαλογήσαι* dicit, ab illo, cui

Ilias parua, Heraclea, Oedipodia et Telegonia adscribuntur, diuersum fuisse existimat p. 242.

## § 2.

### *De carminibus Cinaethoni adscriptis.*

I. *Γενεαλογίαι.* II. *Τηλεγονία* (*Θεογονία*).

Cinaethonem genealogiarum auctorem fuisse intelligitur e Pausaniae testimoniis II, 3, 9: *ἐγενεαλόγησε γὰρ καὶ οὗτος ἔπεσι* et IV, 2, 1: *Κιναίθων καὶ Ἄσιος ἐγενεαλόγησαν.* Negauit hoc sine caussa Weichertus p. 239; quanquam dubium est, num carmen genealogicum reuera *Γενεαλογίαι* inscriptum fuerit. Nam Pausanias illud sic citat, ut Cinaethonem *ἐν τοῖς ἔπεσιν* aliquid scripsisse testetur, II, 18, 6. VIII, 53, 5. Quae fuerit carminis inscriptio, prorsus nescitur, neque illud constat, utrum unum an plura carmina genealogici generis Cinaetho composuerit. Pertinent autem ea, quae e genealogiis afferuntur, ad Atridarum fabulas (fr. I. II), ad Cretum genealogias (III) et ad Iasonis prolem (IV), in quibus eum maxime popularium suorum famam secutum esse probabile est.

Sed in hac testimoniorum paucitate plura de hac re dicere periculosum est; hoc tamen Scaligerum ad Eus. p. 73 non recte suspicatum esse puto, genealogias illas in Telegonia, quam Hieronymus Cinaethoni tribuit, locum habuisse, in qua sententia est etiam Paulus Colomesius ad Gyrald. p. 120. Neque eorum sententia probabilis est, qui pro *Telegonia* apud Hieronymum *Genealogiae* nomen restituere conantur; quod Leutschius Theb. cycl. p. 34. N. 133 extra dubitationem positum dicit. Etiam Meursius Misc. Lacon. IV hoc coniecerat. Prorsus autem Heerenius errauit, qui l. l. p. 58 genealogias illas e Theogonia sumptas fuisse opinatur, quae Cinaethoni aliis testimoniis esset adscripta. Sed equidem quae illa sint testimonia nescio. Citauit auctorem

Gyraldum p. 120, ubi haec leguntur: „Post Arctinum fuit Cinaethon, poeta Lacedaemonius, qui Theogoniam scripsit, ut est auctor Pausanias in Corinthiacis. Meminit et Eusebius.“

Sed neque Pausanias (nisi id e *γενεαλογεῖν* uocabulo collegit Gyraldus) neque Eusebius quicquam de tali carmine tradunt. Apud Hieronymum quidem Telegonia Cinaethoni adscribitur, pro quo uocabulo Theogoniam reponendam esse sine ulla ratione censuit Heerenius p. 59. De scripturae diuersitate supra diximus. Quare Wuellnerus p. 43 Lilii et Heerenii auctoritatem sequi et Cinaethonis Theogoniam, quae nulla fuit, ad cyclum referre non debebat p. 43 et 45, ubi dicit: „Quanquam nolo negare hoc (Heroogoniae) argumentum Theogonia potuisse absolui; quod si Cinaethonis Theogoniam in cyclo fuisse ponamus, eamque ut quibusdam uidetur, a Pausania respici reuera factum est“ [a]. Abeat igitur ista Cinaethonis Theogonia commentitia. Quod autem ad Telegoniam attinet, eam a cyclica non diuersam fuisse supra P. I. C. IV disputaui. De Telegonia cf. Heynium Bibl. Uett. Litt. et Artt. I. Inedit. p. 43. Wuellner. p. 95 sq. Mueller. de cyclo p. 136. Welcker. p. 311. Ulric. p. 423 sq. 427.

## III. *Ἡράκλεια.*

Schol. Apoll. Rhod. I, 1357: *Ὅτι δὲ Κιανοὶ ὅμηρα ἔδοσαν Ἡρακλεῖ καὶ ὤμοσαν μὴ λήξειν ζητοῦντες Ὕλαν, καὶ φροντίδα ἔχουσι Τραχινίων διὰ τὸ ἐκεῖσε κατοικισθῆναι ὑφ᾽ Ἡρακλεῖ τοὺς ὁμηρεύσαντας, Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ.* Ad hanc Heracleam, cuius praeterea nusquam fit mentio, Groddeckius Init. Hist. Gr. Litt. p. 36 et Muellerus Dor. II, p. 477 (quem de fabula nonnisi additia Welckeri de Cycl. ep. p. 233. N. 367 admonitione

a) P. 96. Telegoniam Cinaethoni adscribi dicit, quod cum illa opinione conciliari nequit.

consulas) genealogias illas retulit, quarum apud Pausaniam extat memoria. Sed quem locum (IV, 2, 1) maxime ad hanc opinionem probandam affert Muellerus, is ei uehementer refragatur. Nam Pausanias nihil de Heraclidis in Cinaethonis genealogiis, sed in Eoeis aliquid de Hylli filia dici testatur. Cf. Hes. fr. CLII. Welckeri coniecturam p. 233, Cinaethonis Heracleam et Creophyli carmen idem opus esse, supra P. I. C. IV diximus non improbabilem esse; sed ultra non habet quo prouehatur. Nam quum plures Heracleae antiquis temporibus compositae sint, quid est quod negemus etiam Cinaethoni unam adscriptam esse eamque a Creophyli carmine diuersam. Denique memoranda est Bernhardyi p. 258 suspicio, qui eo, quod Schol. Par. *Κιαναίων* exhibet, Cinaethonis nomen dubium fieri putat et Cononis [b]) reponendum censet. Sed ut nihil dicam de alterius scholiastae auctoritate, *Κιναίθων* facilius quam *Κόνων* in *Κιαναίων* corrumpi potuisse quisque uidet.

## IV. *Οἰδιποδία.*

Oedipodia Cinaethoni tribuitur in tabula Borgiana: — τ]ην *Οἰδιποδειαν* την υπο *Κιναίθωνος* το[υ — — —. Bis praeterea memoratur non adiecto auctoris nomine. Schol. ad Eur. Phoen. 1760 *οἱ τὴν Οἰδιποδίαν γράφοντες οὐδεὶς οὕτω φησὶ περὶ τῆς Σφιγγός* ***

*Ἀλλ' ἔτι κάλλιστόν τε καὶ ἱμεροέστατον ἄλλων*
*Παῖδα φίλον Κρείοντος ἀμύμονος, Αἵμονα δῖον.*

Ex hoc loco misere corrupto nihil licet colligere. Ne id quidem constat, utrum uersus ex Oedipodia sumpti sint, an, quod mihi quidem minus uerisimile uidetur, alius carminis nomen exciderit. Si sunt Oedipodiae uersus, fortasse poeta rem ita instituit, ut etiam Haemonem a Sphinge interfectum diceret contra Tragico-

b) Cf. Weichert p. 248. N. 319.

rum fabulam. Alter locus est Pausaniae IX, 5, 8, qui dicit sibi uideri Oedipo nullos liberos ex Iocasta natos esse, ad quam sententiam probandam quattuor utitur Homeri uersibus, deinde addit: *πῶς οὖν ἐποίησαν ἀνάπυστα ἄφαρ εἰ δὴ τέσσαρες ἐξ Ἰοκάστης ἐγένοντο παῖδες τῷ Οἰδίποδι, οἳ ἐξ Εὐρυγανείας τῆς Ὑπέρφαντος ἐγεγόνεσαν. δηλοῖ δὲ καὶ ο τὰ ἔπη ποιήσας ἃ Οἰδιπόδια ὀνομάζουσιν.* In his nomen carminis aliquid offensionis habet; nec licet hoc cum *ἔπη Ναυπάκτια* et *Κύπρια* componere, in quibus adiectiuum a nomine patriae carminis deriuatum est. Welckerus comparauit p. 247 *Μελαμπόδιον*, quod ubi carminis inscriptio sit nescio. Recte Porsonum sensisse puto, qui *Οἰδιπόδειαν* maluit. Sed leniori mutatione *Οἰδιποδίαν* corrigi poterit; quod necessarium fere duco. Uide Ahrens. l. l. Recte autem Wuellnerum p. 59 scripsisse puto: „Cinaethonis Oedipodia quum alio loco nullo commemoretur, eadem atque illa, cuius auctor incertus dicitur, esse mihi uidetur." Consentit Welcker. p. 247, qui quod ambitum carminis ex inscriptione tabulae Borgianae (— —*τες ἐπῶν οὖσαν 'ΕΧ*) cognoscere sibi uisus est, dubia neque satis probabili opinione, quam de prisca marmoris magnitudine concepit, nititur. Cf. Heeren. p. 60. De Oedipodia cf. Ulric. p. 426 sq.

## V. Ἰλιὰς μικρά.

Schol. Uat. ad Eur. Troad. 821: *τὸν Γανυμήδη καθ' Ὅμηρον* (Il. V, 265. XX, 231) *Τρωὸς ὄντα παῖδα, Λαομέδοντος νῦν εἰπὲν ἀκολουθήσας τῷ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα πεποιηκότι, ὃν οἱ μὲν Θεστορίδην Φωκέα φασίν, οἱ δὲ Κιναιθῶνα Λακεδαιμόνιον, ὡς Ἑλλάνικος, οἱ δὲ Διόδωρον Ἐρυθραῖον.* De hac auctorum diuersitate corruptissimum est Tzetzae indicium Exeg. Il. 45, 10: *Ὁμήρου δὲ* (sc. *ἡ παροῦσα ποίησις ἐπιγέγραπται*) *πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν μικρῶν Ἰλιάδων, καὶ γὰρ Λέσχης Πυῤῥαῖος, Κιναίθων τε Λακεδαιμόνιος καὶ ὁ Ἐρυθραῖος Διόδωρος, Τρυφιόδωρός*

τε καὶ Κόϊντος ὁ Σμυρναῖος καὶ ἕτεροι Ἰλιάδας συγγεγραφήκεσαν. ἄλφα δὲ Ἰλιάδος ἐπιγέγραπται καὶ βῆτα καὶ γάμμα καὶ τὰ λοιπά, πρὸς ἀντιδιαστολὴν καὶ τοῦτο τῶν μικρῶν Ἰλιάδων· ἐκεῖναι γὰρ οὐκ εἰς ἄλφα καὶ βῆτα διῄρηνται. Ueriora nos supra P. I. Cap. IV docuimus, ubi etiam reliquos, qui auctores ferebantur, enumeratos inuenies.

---

## Caput III.
## De carmine Naupactio.

### § I.
### *De carminis auctore.*

De hoc carmine quaerenti proficiscendum est a Pausaniae memoria X, 38, 11: τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια ὀνομαζόμενα ὑπὸ Ἑλλήνων ἀνδρὶ ἐξποιοῦσιν οἱ πολλοὶ Μιλησίῳ· Χάρων δὲ ὁ Πύθεω φησιν αὐτὰ ποιῆσαι Ναυπάκτιον Καρκίνον· ἑπόμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς τῇ τοῦ Λαμψακηνοῦ δόξῃ· τίνα γὰρ καὶ λόγον ἔχοι ἄν, ἔπεσιν ἀνδρὸς Μιλησίου πεποιημένοις ἐς γυναῖκας τεθῆναί σφισιν ὄνομα Ναυπάκτια;

Plurimi igitur hoc carmen homini cuidam Milesio tribuebant, quorum sententia quibus argumentis nixa fuerit, prorsus nescitur. Horum opinioni Charonis Lampsaceni, auctoris sane locupletis, iudicium repugnabat, qui quum Carcini Naupactii carmen esse diceret, non internis quibusdam rationibus ductus, sed antiquam famam secutus uidetur. Pausanias uero Charonis auctoritatem, cui se addixit, ita confirmare studuit, ut argumento ex ipsius carminis ratione petito diuersam famam improbabilem esse ostenderet. Et sane Charonis testimonium eo maiore uidetur fide dignum, quod ipse auctoris nomen prodidit, quum reliqui incerto cuidam homini poema adscriberent, neque haberent eius iudicii auctorem, qui cum Lampsaceno posset comparari,

Hic enim (de quo copiose disputauit Creuzerus Fragm. Histor. p. 89—132) Ol. LXIX florebat, ita ut non multum a Pherecydis, Hecataei et Acusilai logographorum temporibus abesset. Weichert. p. 211. N. 269. Quare non improbandum uidetur, quod plerique nostrae aetatis uiri eruditi Pausaniae iudicium sequendum putauerunt. U. Groddeck. in Bibl. l. l. p. 92. Heyn. ad Apollodor. T. II, p. 359. Wuellner. p. 46. Ulric. p. 437. Sed quamuis haec sententia magnam habeat probabilitatem, tamen non ita certa uidetur, ut omnis dubitatio remota esse debeat. Primum enim altera opinio adeo uulgata erat, ut Charon solis uideatur ab ea recessisse; quae eo magis uideri possit ex antiqua fama profecta esse, quod ex ipso carmine, quantum quidem nobis indicare de eo licet, nulla de Mileto patria coniectura fieri poterat. Deinde Pausanias ipse duobus locis II, 3, 9; III, 2, 1 (fr. IX. XI) simpliciter τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια auctoris nomine non addito affert. Etiam reliqui, qui hoc carmen citant, auctorem se nescire profitentur (fr. I. III. IV—VIII. X). Denique uero Schol. Apollonii Rhod. II, 299 haec habet: τοῦτο δέ φησι καὶ Νεοπτόλεμος ὁ τὰ Ναυπακτικὰ ποιήσας. De hoc Neoptolemo haec est Heynii l. l. suspicio: „Ibi Neoptolemus, forte Pariames, cuius glossae a pluribus memorantur et qui idem Dionysiadem scripserat, Athen. III, 82 D., auctor perhibetur." Sed hunc Neoptolemum potius ad Alexandrinorum aetatem pertinere, nec satis certo poetam haberi, e grammatica librorum eius ratione optime ostendit Weichertus de Apollon. p. 213—215, cuius disputationem suppleuit Muetzellius de Emend. Th. p. 290 sq. Itaque qui ille Neoptolemus fuerit, nescitur. Groddeckius quidem p. 92. N. l. suspicatus est, eundem esse atque hominem illum Milesium apud Pausaniam. Quae coniectura quanquam neque confirmari certis rationibus neque redargui potest, tamen si reputamus plures saepe antiquorum carminum epicorum auctores

ferri, et Pausaniam, si nomen Milesii cognitum habuisset, id non silentio praetermissurum fuisse, non dubitabimus Weicherto assentire, qui Groddeckianam coniecturam admodum incertam sibi uideri indicauit p. 215. Neque probabilior ipsius est opinio (p. 242), Milesium illum Arctinum esse. Hic enim diuerso poesis generi, et Homerico quidem, operam uidetur dedisse et Troianas res carminibus celebrasse (quanquam ei etiam Titanomachia tribuitur); neque uerisimile est, eum fabulas genealogicas, quae in ipsa Graecia ferebantur, Hesiodio more tractasse. Deinde Arctinus tam nobilis poeta erat, ut, si plerique (οἱ πολλοί) eum huius poematis auctorem habuissent, Pausanias id commemoraturus fuisse uideatur. Sed quisquis Naupactia composuit, quum Carcini persona pari atque Neoptolemi obscuritate prematur, haec de auctore quaestio non satis fructuosa uideri potest; neque coniecturis in hac re quicquam efficitur. Acquiescamus igitur Pausaniae iudicio satis specioso et probabili ratione ab ipso firmato.

Cum hac altera quaestio coniuncta est, quae de aetate est carminis, in qua instituenda magis etiam testimoniorum inopia laboramus. Nam nec quo Carcinus [a]) nec quo Neoptolemus tempore uixerit, scimus. Satis antiquum epos fuisse inde perspicitur, quod iam ante Herodoti aetatem cognitum fuisse e Charonis memoria patet; qui si ex eo testimonium alicuius narrationis petierat, poema illi aetati adscribendum uidetur, qua genealogicarum fabularum colligendi et epicis carminibus enarrandi studium per Graeciam florebat. Pau-

a) Erant praeterea duo Carcini, tragici poetae, Philippi et Alexandri temporibus, quorum alter Agrigentinus, alter Atheniensis dicitur. Fabric. Bibl. Gr. II, p. 290—292. Groddeck. p. 92 m. Weichert. p. 212. N. 272. Meineke Comment. Misc. I, p. 24. Sed cf. Droysen. Interpr. Aeschyl. Germ.

sanias enim huius carminis memoriam cum Cinaethonis et Asii genealogiis et cum Eoeis coniunxit (IV, 2, 1, II, 3). Si quidem constaret, Naupactia ad Eoearum similitudinem expressa esse, certior de aetate sententia concipi posset; sed quum nihil impediat, quin hoc carmen antiquius etiam Eoeis putemus, fluctuet nostrum iudicium certoque careat fundamento necesse est.

## § 2.

### *De carminis argumento et nomine.*

De carminis argumento colligere aliquid licet e Pausaniae uerbis, qui testatur fuisse *ἔπη πεποιημένα ἐς γυναῖκας*, prorsus eodem modo, quo I, 3, 1 Hesiodi carmina genealogica *ἔπη ἐς γυναῖκας* et IX, 31, 5: *ᾀδόμενα ἐς τὰς γυναῖκας* dicit. Hinc iure coniectura de utriusque carminis similitudine fieri posset, si obscura obscuris illustrarentur. Sed quamuis accuratiore cognitione careamus, hoc pro certo poni uidetur posse, in quo omnes nunc consentiunt, hoc carmine celebratas fuisse „illustres in fabulis feminas una cum eorum prosapiis," ut Heynius l. l. dicit b). Cf. Wuellner. p. 46. Weichert. p. 211 sq. Heinrich. Prol. ad Scut. Herc. p. LII. Nec tamen intra genealogiarum tenuitatem poetam se continuisse, sed satis copiose de heroum rebus gestis exposuisse ex iis concludi potest, quae scholiasta ad Apollonium de Argonautarum expeditione ex hoc carmine affert (cf. fr. III—VIII). Haec ad

b) Uir doctissimus errorem aliquem suum antea commissum ipse his uerbis correxit: „Reditum Heraclidarum in eo descriptum esse suspicabar olim; nam illi ad Naupactum Aetoliae classem fabricati sunt. Apollod. II, 8, 2, 3. Steph. Byz. *Ναύπακτος*. Enimuero non inspexeram nec satis memineram Pausaniam" etc. Ulricius p. 437 sq., Muellerum Dor. I, p. 141 secutus, e Paus. IV, 2, 1 aliquid de antiquis Messeniae regibus et Heraclidis in carmine dictum fuisse suspicatur. Sed ipse Pausanias de iis nihil se in Naupactiis inuenisse dicit. Cf. fr. Hes. CLII.

Medeae fabulam pertinuisse recte suspicatur Weichertus p. 246; quanquam non crediderim, quod Groddeckio p. 90 uisum est, Argonautarum fabulam in episodio quodam fuisse narratam. Ex eadem carminis parte uerisimile est sumpta esse quae Pausanias (fr. IX) de Iasone eiusque filio affert.

Ceterum paucis tantum antiquorum scriptorum Naupactia nota erant; nam si Pausaniam et Apollonii scholiastam exceperis, trium tantum auctorum singula testimonia extant; Apollodori (fr. X) de Hippolyto ab Aesculapio interfecto, quam rem cum Apollinis et Coronidis amoribus coniunctam fuisse non improbabiliter coniecit cum Groddeckio Weichertus; Herodiani (fr. II) ita obscurum, ut de quo dictum sit, nequeam diuinare; scholiastae Uict. ad Iliad. (fr. I) de Aiace Oilei filio. Unum praeterea addendum est, quod non inutile uidetur ad obseruandum. Quum enim omnia quae supersunt testimonia ad Locrensium et Naupactiorum fabulas pertineant, poeta popularium suorum famam maxime uidetur secutus esse, unde nouum argumentum a Charonis de auctore sententiam firmandam deriuari potest. De Argonautarum fabula cf. Odof. Mueller. Orch. p. 298; ad Locrenses spectat Oileus; Aesculapium etiam Naupacti templum habuisse tradit Pausanias X, 38, 13: τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερὸν ἐρείπια ἦν, ἐξ ἀρχῆς δὲ ᾠκοδόμησεν αὐτὸ ἀνὴρ ἰδιώτης Φαλύσιος. Non igitur mirum est, quod Pausanias IV, 2, 1 dicit perlegentem se Naupactia nihil inuenisse de Polycaonis e Messena filiis. Hoc testimonium etiam propterea memorabile est, quod inde cognoscimus Pausaniae aetate nondum perditum fuisse carmen, ut Thierschius (Comment. Acad. Mon. 1813. p. 32) putabat. Cf. Leutsch. de Theb. cycl. p. 55. Not. 220.

Exposito carminis argumento rectius de nomine indicabitur. Dicitur enim a Pausania ἔπη Ναυπάκτια, a reliquis Ναυπακτικά. Iam si nomen non ab argu-

mento, sed a patria deductum erat, ut e Pausaniae uerbis intelligitur, *Ναυπάκτια ἔπη* uerum nomen fuisse apparet. Nam ii, qui *Ναυπακτικά* formam habent, nunquam *ἔπη* addunt; Pausanias autem nunquam *τὰ Ναυπάκτια* citat. Quod si reputamus, errare intelligemus, si quis illis *τὰ Ναυπάκτια* restituere uellet. Nam non librariorum culpae, sed scriptorum ignorationi alteram formam deberi, omissum illud *ἔπη* uocabulum docet. Neque enim *τὰ Ναυπάκτια* (quanquam Bernhardy. p. 259 sic scribit), neque *τὰ Ναυπακτικὰ ἔπη* recte dicitur. Quod ut appareat, breuiter de utriusque terminationis significatu exponendum est. *Ναυπακτικός* de iis rebus dici, quae ad urbem Naupactum spectant, multorum docet uocabulorum similitudo, quae ad librorum inscriptiones ita adhibita sunt, ut adiectiua in —*ικά* uel —*ιακά* res siue historias earum urbium aut gentium designent, a quarum nominibus deriuata sunt. Huc pertinent tituli plerique, quibus antiquissimi historici libros suos inscripserunt, ueluti *Περσικά*, *Τρωικά*, *Βιθυνικά*, *Ἀργολικά*, *Λακωνικά*. Ad horum similitudinem auctores illi, qui *Ναυπακτικά* scripsere, quum quid *ἔπη Ναυπάκτια* sibi uellent non perspicerent, hoc nomen immutauerunt, ita ut res Naupactiorum in eo carmine expositas fuisse uideantur existimasse. Itaque *ἔπη* omittendum erat. Sed ea opinio quamuis falsa aliquam tamen utilitatem nobis affert. Nam oriri nunquam potuisset, nisi pleraeque fabulae carmine tractatae ad ipsam Naupactum pertinuissent, ita ut quae supra de argumento diximus hac ratione liceat confirmare. *Ναυπάκτια ἔπη* uero sunt carmina Naupacti composita, de qua appellandi ratione Wuellnerus l. l. probabiliter haec monuit: „Commercio litterarum et artium antiquis illis temporibus nondum satis diuulgato carmina, quo loco composita erant, eo praecipue decantata et si quae ceteris praestabant simpliciter *ἔπη* dicta uidentur. Quae quum aliae Graeciae ciuitates reciperent, a ceteris patriae nomine distinxerunt.“ Sed

praeter *ἔπη Ναυπάκτια* et *Κύπρια* nullum eius generis exemplum inuenias. Neque omnino plura carminum nomina in *—ια* desinentia extant. Nam *Ἀμαζόνια*, quod Wuellner. p. 57 habet, nihil est; *Ἀμαζονία* scribendum est, ut *Μελαμποδία*, *Οἰδιποδία*. *Εὐρώπια* ferri non posse supra significaui. Minus etiam *Ναυπακτικά* forma epicae poesi antiquae conuenit, a qua tituli in *—ικά* prorsus abhorrent. Ne Argonautica quidem epos antiquum fuisse demonstrari potest. Cf. Ahrens. in Iahnii Ann. Phil. XIII. 1830. p. 194. *Ἀμαζονικά*, quae statuit Wuellner. p. 65, inaudita sunt. *Κορινθιακά* Eumeli nihil contra nos ualere, supra ostendimus.

Superest, ut Bernhardyi sententiam commemorem p. 259 breuiter significatam. Quam si recte intelligo, uir doctissimus et *Ναυπακτικά* formam et famae de auctore discrepantiam sic explicare uidetur, ut hoc carmen (pariter atque Eumeli Corinthiaca) secundam manum siue emendantis, siue addentis siue in prosam orationem conuertentis passum esse statuat. Et postremum quidem etiam ex Apollodori uerbis ὁ *τὰ Ναυπακτικὰ σ υ γ γ ρ ά ψ α ς* colligi posset, si *συγγράφειν* non nisi de scriptis prosaicis diceretur. Sed etiam de carminibus nonnunquam hoc uerbo usi sunt scriptores. Schol. Par. ad Apoll. Rh. I, 308: *οἱ δὲ τὴν Θηβαΐδα συγγράψαντες.* Schol. Clem. Alex. Prot. T. IV. p. 104 Kl. *κυκλικοὶ δὲ καλοῦνται ποιηταὶ οἱ — τὰ πρῶτα ἢ τὰ μεταγενέστερα — συγγράψαντες.* Tzetza ad Lyc. 570: ὁ *τὰ Κυπριακὰ συγγραψάμενος.* Neque e *Ναυπακτικά* forma de prosaico opere coniecturam capere licet, quoniam ii ipsi, qui hac forma utuntur, uersus afferunt.

# Caput IV.

## De Asio Samio.

Asius Samius dicitur ab Athenaeo III, p. 125 B: *κατὰ τὸν Σάμιον ποιητὴν Ἄσιον τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον*, et a Pausania VII, 4, 1: *Ἄσιος δὲ ὁ Ἀμφιπτολέμου Σάμιος* [a]). Amphiptolemi filius etiam II, 6, 2 perhibetur: *Ἄσιος ὁ Ἀμφιπτολέμου* [b]), ita ut patris nomine addito confirmetur Clauieri et aliorum (Valcken. diatr. p. 59) emendatio *Ἄσιος* pro *Ἄγις* [c]).

De eius aetate praeter ambiguam Athenaei notationem *τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον* nihil testatum habemus (Clinton. Fast. Hell. I. p. 364).

Wolfius Proleg. p. 70 Asium Arctini et Eumeli aequalem fuisse putabat. Bachius consentit: „Interea hoc tamen uerisimillimum esse uidetur, Asii aetatem haud ita multum ab Olympiadum initio abfuisse, propterea quod Pausanias IV, 2, 1 una cum Hesiodi Eoeis, carmine Naupactio, Cinaethonis genealogiis Asium quoque laudauit auctorem' vum (? sic) genealogiarum. Praeterea Apollodorus III, 8, 2 Eumelum, Hesiodum, Asium, Pherecydem testes antiquissimos prouocauit."

Sed hac ratione quid efficiatur non perspicio, neque Eoearum aut Naupactiorum aetates tam certae sunt, ut ex his aliam definire liceat. Pherecydem autem ab Apollodoro citatum ne Bachius quidem ipse illi aetati adsignabit. Contra certa sunt argumenta, quibus effi-

a) Nec tamen adeo clarus erat poeta, ut nomine omisso Samius *κατ' ἐξοχὴν* dici posset; neque audeo cum Reinesio apud Hesychium s. *Ἐπωστρίδες* (*αἱ κατὰ Σάμον ταῖς γυναιξὶ τὴν δεξιὰν χεῖρα ἐπέχουσαι καὶ τὴν ὄσφυν*) *κατὰ Σάμιον* emendare; cuius emendationis quum nulla sit necessitas, ne admitti quidem potest, nisi *κατὰ τὸν Σάμιον* scribatur.

b) Codd. uariant: *Ἀμφιπολέμου, Ἐμφιπτολέμου, Ἐμφιπολέμου.*

c) De aliis nominis corruptelis cf. ad fr. IV et VI.

citur eum non ante Ol. XXX uixisse. Usus est metro elegiaco, quorum inuentores Callinus et Archilochus ferebantur. Quibus aliquanto recentiorem fuisse Asium e comico elegorum ap. Athen. III. p. 125 D colore apparet. Quos quum considero et cum epico fragmento (Ath. XII, 525 E) comparo, suspicio mihi subnascitur, Asium illo tempore floruisse, quo parodiae studium oriri coepit. Cf. Naek. ad Choer. p. 76. Itaque probo Ulricium p. 439 et Bernhardyum in tabula chronologica, qui Asium ad Ol. XXX fere referunt; quanquam recentior etiam mihi uidetur. Poterit fortasse etiam ex eo de eius tempore coniectura capi, quod quanquam poeta Ionicus et Sami florens, ubi Homericum poesis genus colebatur (Welcker. Cycl. 222) tamen ad genealogias componendas aggressus est. His rationibus non repugnat Athenaei illud τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον, quod Alexandrinorum poetarum ratione habita dictum esse potest.

Asii carminum tria genera non immerito distinxerunt uiri docti, duo epica, tertium elegiacum. Genealogias eum composuisse, tum e Pausaniae testimonio IV, 2, 1 Κιναίϑων καὶ Ἄσιος ἐγενεαλόγησαν, tum e fragmentis I—IX patet. Hae genealogiae semper ἔπη uocabulo a Pausania citantur, cf. ad fr. VI. Uidetur hoc carmen satis amplum fuisse, quum multarum gentium stemmata complecteretur, inter quae Samiorum et Boeotorum fabulae eminent.

Ad hoc genus pertinere non poterant uersus de Samiorum pompa luxuriosa (fr. XIII), cuius descriptionem singulari quodam poematio epico comprehensam fuisse recte suspicati sunt uiri docti. De quo Naekius ad Choer. l. l. sic scripsit: „Haec non carmine epicoheroico, sed in minore quodam poemate scripta fuerunt. In quo genere paullo artificiosiorem dictionem et comicum illum Margitae colorem placuisse Asio elegi conuincunt, quos seruauit Athen. III. p. 125.“ Hoc poemation ab Homerica poesi epico-heroica diuersum

fuisse etiam argumentum docet, non ex fabulari historia heroica sed e praesenti uitae conditione petitum. E qua re item colligi potest, Asium non ita antiquum poetam fuisse. Praeterea erat elegiacus poeta, sed elegiarum seueritatem, qualis in Tyrtaei et Callini reliquiis conspicua est, iocosa hilaritate uidetur relaxasse, ita ut non male ei iocosa grandiloquentia, comica et artificiosior dictio tribuatur. Sed haec indoles non cadit in genealogias.

Quum Valckenaerius l. l. obseruasset, solum Pausaniam ex iis, qui Asii genealogias memorant, ipsum carmen legisse uideri, Strabonem autem et Athenaeum ex aliis scriptoribus suam notitiam hausisse, Bachius p. 139 pauca contra disputauit, quae ut intelligerem nondum contigit mihi.

---

## Caput V.

### De Chersia Orchomenio.

Chersias, omnium obscurissimus, uno Pausaniae testimonio nobis innotuit, cuius tempore quum carmen illius iam periisset, e Callippi libro eius memoriam seruauit IX, 38, 9: ὁμολογεῖ δὲ ἔπη σφίσιν, ἃ ἐποίησε Χερσίας, ἀνὴρ Ὀρχομένιος·

Ἐκ δὲ Ποσειδάωνος ἀγακλειτῆς τε Μιδείας
Ἀσπληδὼν γένεθ' υἱὸς ἀν' εὐρύχορον πτολίεθρον.

τοῦ δὲ τοῦ Χερσίου τῶν ἐπῶν οὐδεμία ἦν ἔτι κατ' ἐμὲ μνήμη, ἀλλὰ καὶ τάδε ἐπηγάγετο ὁ Κάλλιππος ἐς τὸν αὐτὸν λόγον τὸν ἔχοντα ἐς Ὀρχομενίους [a])· τούτου δὲ τοῦ Χερσίου καὶ ἐπίγραμμα τὸ ἐπὶ τῷ Ἡσιόδου τάφου μνημονεύουσιν [b]). Epigramma (de quo uide supra p. 23) affert Paus. IX, 38, 3: καὶ ἐλεγεῖα ἐπὶ τῷ μνήματι ἐπεγέγραπτο·

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται
Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

Praeter Pausaniae testimonium nulla reperitur carminis mentio. E genealogico genere fuisse patet e uersibus allatis (quanquam non certum est iudicium ex paucis), magis autem e poetae patria. (Cf. Mueller. Orch. p. 18. 389. Ulric. p. 440).

Chersiam Plutarchus cum septem Sapientibus confabulantem fecit, et de eo haec scripsit c. XIII. T. VIII. p. 31 Hutt.: Χερσίας ὁ ποιητὴς (ἀφεῖτο γὰρ ἤδη τῆς αἰτίας καὶ διήλλακτο τῷ Περιάνδρῳ νεωστὶ Χίλωνος δεηθέντος). E quibus uiri docti collegerunt eum circa Ol. XL uixisse. (De Periandri aetate uide Clinton. I. p. 208. 210). Neque quidquam est, quod illo tempore Chersiam floruisse negemus. Sed tamen uereor ne Plutarchus in illo dialogo parum idoneus sit auctor. Dubitat Bernhardy. p. 261. 516.

a) E Callippo Pausanias etiam Atthidis Hegesinei memoriam petierat IX, 19, 1: ταύτην τοῦ Ἡγησίνου τὴν ποίησιν οὐκ ἐπελεξάμην, ἀλλὰ πρότερον ἄρα ἐκλελοιπυῖα ἦν πρὶν ἐμὲ γενέσθαι. Κάλλιππος δὲ Κορίνθιος ἐν τῇ ἐς Ὀρχομενίους συγγραφῇ μάρτυρα ποιεῖται τῷ λόγῳ τοῦ Ἡγησίνου τὰ ἔπη.

b) Ceterum Pausanias unus est eius rei auctor, quod moneo propter Ulricii errorem p. 440. N. 249.

# FRAGMENTA.

# Procemium ad fragmenta.

---

## *De fragmentorum tractatione.*

Hesiodiorum carminum fragmenta quanquam saepius iam edita sunt: tamen non uereor, ne noua opera in iis posita peritis harum litterarum iudicibus inutilis et superuacanea uideatur. Nam triplici potissimum genere iis aliquid utilitatis afferri poterat, quum quae extant collectiones neque ita plenae essent, ut omnia ueterum scriptorum de perditis Hesiodi carminibus congesta haberentur, neque ad eam emendationis perfectionem adductae uiderentur, qua acquiescere possemus, neque a dispositionis ratione magnam laudem et commendationem haberent. Quod quomodo acciderit, iam breuiter ita explicabo, ut simul de opera et studio uirorum doctorum huic rei nauato exponam et iudicium faciam. In qua indicatione nullam eorum rationem haberi consentaneum est, qui inde ab Heinsio usque ad Loesnerum neque scriptorum ueterum libros, ubi extant fragmenta, diligenter indicauerunt, neque ea testimonia respexerunt, quibus nullo uersu allato ex Hesiodiis carminibus aliquid refertur.

Qualis autem opera fragmentis Hesiodiis nauanda esset, primus egregio exemplo docuit Ruhnkenius Epistola crit. I, p. 104—116. (Opusc. II, p. 579—594), qui non solum nonnulla ad fragmentorum emendationem praeclare contulit, sed etiam uaria scriptorum de una eademque re testimonia respexit, neque interpretationem neque posteriorum poetarum neglexit imitationes. Sed dolendum est, quod ea tantummodo fragmenta et testimonia tractauit, quibus aliquam emendationis utilitatem afferre se posse speraret, integram autem plenamque collectionem instituere noluit. Nam praeter ea, quae Hesiodo abiudicabat, de uiginti tantum fere locis disputauit, ita quidem, ut quanquam pleraque digna sunt tanto ingenio, tamen etiam nonnulla temere et improbabiliter iudicata sint, cuius rei exempla e nostra adnotatione peti possunt. Nam hoc mihi faciendum putaui, ut omnia, quae Ruhnkenius dederat, in meas commentationes referrem. Ut integras eius disputationes ipsius uerbis, Gaisfordi et Dindorfii exemplo, non transcriberem, propterea factum est, quod nouis auxiliis nostra aetate inuentis Ruhnkeniani commentarii nec pleni erant, neque ita semper probandi, ut non eius sententiae aliquoties impugnandae uiderentur. Quare in hac re commoditati studui, ita tamen, ut nullam Ruhnkenii sententiam aut coniecturam negligerem et eius copiis accuratissime uterer.

Quae Ruhnkenius praestiterat Gaisfordus et Dindorfius collectionibus suis non sine magna utilitate inseruerunt; sed quum in reliquorum fragmentorum tractatione illius rationem non sequerentur, uix alia laude digni sunt, nisi quod aliquam fragmentorum multitudinem congesserunt. Et Gaisfordus quidem habet duodenonaginta, quibus Dindorfius tredecim addidit. Quod autem ad emendationem attinet, Gaisfordi opera nec plena fuit neque ualde fructuosa;

Dindorfius autem quae dedit, paucorum et leuium uitiorum correctione continentur, aut in augendo qui dicitur apparatu critico posita sunt. Sed in utroque genere quae praestitit, neque numero multa neque dignitate grauia sunt.

Plura de Goettlingii opera iudicare licet, ita tamen ut cum laude ei tributa aliqua debeat reprehensio coniuncta esse; de cuius collectione seuerissimum quidem, sed uerissimum est Hermanni iudicium in Opusc. VI, 1, p. 255 sq. Magnam quidem laudem uir doctissimus meretur, quod fragmentorum multitudinem insigni additamento auxit. Nam quum Dindorfius centum et unum habeat, Goettlingiana collectio quattuor et sexaginta numerorum accessione plenior est. Cui laudi tamen aliquid propterea detrahendum est, quod Goettlingius saepius ea, quae apud Gaisfordum et Dindorfium uno numero coniuncta erant, in plures distribuit sedes, ita ut uix quadragenarium numerum eius additamenta excedant. Neque illud negligendum est, quod aliquot testimonia fragmentis inseruit, in quibus Hesiodi nomen aperto aut ueterum scriptorum aut librariorum nititur errore. Quodsi negari non potest, aliqua laude Goettlingii operam non indignam esse, uario genere in reprehensionem incurrit. Et primum quidem cum magno libelli detrimento commisit, ut Ruhnkenianis copiis non ea qua par erat diligentia uteretur. Quod si fecisset, multa scriptorum ueterum testimonia non desiderarentur. Deinde quod ad rem criticam attinet, plura quam expectes uitia aperta reliquit; nonnullis etiam damnum attulit, uel uti quod in Aegimii fragmento IV, 3 *Ἀθάνατον* pro *Ἀμύματον* scripsit. Critico autem apparatui congerendo nullam impendit operam. Quae ipse coniectura tentauit uir doctissimus, in iis certam emendationem non inueni; plurima sunt infeliciter excogitata; de

paucis disceptari potest. Nouam autem laudem sibi quaesiuit ab immutata fragmentorum dispositione. Neque ullo modo uituperari potest, quod priorem ordinem, a Gaisfordo institutum et a Dindorfio propagatum, relinquendum esse existimauit, quippe qui nulla ratione nitatur. Itaque fragmenta ad singula carminum nomina retulit, Aegimium, Opera, Astronomiam, Catalogos et Eoeas, Melampodiam, Chironis ὑποθήκας; quibus incertae sedis fragmenta subiunxit. Sed quantum etiam in Goettlingiano ordine desideretur, e meae operae comparatione spero intellectum iri.

Post Goettlingium optime de Hesiodi fragmentis meruit Godofredus Hermannus, uir summus, in censura libri Goettlingiani Opusc. VI, 1. p. 256—282. Is enim non solum permulta testimonia ab illo neglecta addidit, sed etiam noua adiecit fragmenta haud pauca, triginta fere numero. Praeterea sat multa bene correxit, aliquot Goettlingii commenta parum probabilia recte refutauit; nonnulla tamen eaque satis grauia quae tentauit, non magnam habent probabilitatis commendationem.

Ante Goettlingium Lehmannus (Berol. 1828) Hesiodi fragmenta edere coeperat, et Catalogi quidem et Eoearum reliquias ab eo collectas habemus; quem librum nouissimus editor non sine magno sui libri detrimento prorsus neglexit. Quod nisi fecisset, non solum plenior sed etiam melius disposita esset eius collectio. Nam maxima Lehmanniani libelli uirtus in eo posita est, quod fragmenta meliore ordine ponere studuit, ita ut non sine aliquo fructu eius labore sim usus. Praeterea uero non magni pretii est iste libellus, insigniaque aliquot continet negligentiae documenta, quae congerere hoc loco et inutile duco et inuidiosum. In emendandis reliquiis quam

posuit operam, ea leuis plerumque et futilis est et uix quicquam feliciter ausus est.

Boissonadii Hesiodo uti non licuit.

Quum igitur saepius iam fragmenta Hesiodi sint tractata, non inutile erit, quicquid utilitatis ab illis Ascraei reliquiis allatum est, uno libro comprehendere, ut qui iis usurus est non opus habeat multos libros adire; praesertim quum nonnullae emendationes iam dudum factae editorum diligentiam fugerint. Neque solum congerendis multis rebus, emendandae et amplificandae Hesiodiorum carminum cognitioni utilibus, opus erat, sed relicta etiam erant multa, quae uel rectius posse uel plenius dici uiderentur. Itaque hanc operam suscepi Hesiodiis litteris ut spero non prorsus inutilem, cuius rationem et consilium breuiter explicabo, ut quid praestare uoluerim facilius cognoscatur.

Quae desiderantur in iis quae extant editionibus tribus potissimum rebus contineri supra significaui. Quare triplex noster labor fuit. Primum collectionem nostram quam plenissimam facere studuimus et qua potuimus diligentia ueterum scriptorum testimonia collegimus, neque frustra nos speramus hunc laborem suscepisse. Deinde ad emendationem nos conuertimus, in qua multa cautione opus erat. Nam ars critica talibus fragmentis adhibenda nescio an plures habeat difficultates et dubitationes, quam quae in integris litterarum monumentis exercetur. Nam ex altera parte credi uix potest, quam longe multae reliquiae a genuina scriptura absint. Scriptores enim, quibus fragmenta debentur, saepe aut memoriter citabant antiquorum poetarum uersus aut corruptis codicibus utebantur, neque semper plures conferendi copiam habebant. Atque quum a prudentissimis criticis in aliquo scriptore edendo

ueterum citationibus rectissime minus fidei et auctoritatis tribuatur, quam codicum integrorum scripturis, quum citationes illas si a codicum fide recedunt corrupti loci alicuius formam plerumque facile intelligatur, sine ullo negotio perspicitur quam iniqua sit nostra in fragmentis quae solis citationibus debentur tractandis conditio. Quum igitur rationi consentaneum sit, suspiciosos nos esse de scripturae cuiusque fragmenti ueritate, in Hesiodiis reliquiis emendandis aliquot exemplis illam dubitandi rationem confirmatam uidimus. Uide uarietates scripturae ad fr. VII. XVI, 6. 8. XXXVIII. XLI. XLVIII sq. CXXX. CXXXV. CXXXVI. CXLII. CXLVI sq. CLXXXI. CLXXXVIII. CCVI. CCXX. CCXXXVII. Eum. fr. II. Haec exempla si quis considerauerit, facile sentiet, quam periculosa sit talium fragmentorum emendatio, in quibus, nisi aliunde uitii admoneremur, saepe uix de corruptela coniecturam caperemus. Ex altera autem parte prudentia suadet, ne quid sine grauissimis caussis mutemus, quoniam multa uera esse appareret, de quibus nunc dubitamus, si totius loci tenorem et cum proximis coniunctionem intueri liceret. Hoc damnum in ipsius materiae natura positum ita quodammodo resarcire studui, ut apparatum criticum quem dicunt tum ex antiquorum librorum scripturis tum e uirorum doctorum coniecturis per uarios libros dispersis quam accuratissime congererem, neque quidquam praetermittendum putaui, quod ad fragmentorum emendationem aliquam utilitatem habere uideretur. Neglexi autem fere Phauorinei lexici testimonia; in quo libro quamquam permulta extant fragmenta Hesiodia, tamen ne unum quidem inueni quod non aliunde cognitum habeamus; ita ut molestissimum laborem frustra susceperim a).

a) Unum memorabile inueni, quod prorsus nouum mihi erat. P. 170. a haec glossa legitur: *Γάσος, ὁ [illegible] ἐν πολλοῖς [illegible]*

Nam hanc mihi legem et necessitatem imposui, ut semper fontes ipsos, quibus Hesiodiorum fragmentorum notitiam debemus, adirem neque ullum locum e uulgatis collectionibus transscriberem. Quae opera huic libello fructuosissima ab editoribus neglecta est.

Denique nouo ordine disponenda putaui fragmenta, quod qua ratione factum sit breuiter dicam. Ac primo quidem loco ea posui, quae ad Catalogos certis testimoniis referuntur; his ea inserui, quae quum ad mythologicum siue genealogicum genus pertineant, tamen non constat, ex quo carmine sumpta fuerint. Et in his quidem ordinandis sic uersatus sum, ut coniungerem quae ad eundem fabularum orbem pertinere uiderentur. Seiunxi autem ea quae aut diserto testimonio aut summa coniecturae probabilitate alius carminis particulas esse docemur, ita tamen, ut in ea fragmentorum parte, ubi historicam quasi ordinem secutus sum, ea significarem, quae, ex certis carminibus petita, cum eodem fabularum genere coniuncta sunt. Ita factum est, ut Catalogi fragmentis fortasse nonnulla insererem, quae ex alio carmine sumpta sunt; sed hoc assecutus sum, ut, quae Hesiodiae de quaque gente aut heroe fabulae fuerint, uno conspectu possit cognosci. Scio quidem etiam hanc disponendi rationem aliquid habere incommodi; sed quicquid tentas, semper difficultatibus quibusdam obstrictum te senties. Neque dubito, quin alius me doctior et ingeniosior meliorem rationem sit excogitaturus, a quo doceri facillime me patiar. Sed tamen periculum erat faciendum et aliqua certe ratio sequenda. Atque etiam in reliquis meae operae partibus optime scio, quid ad eam perfectionem desideretur, cuius imaginem animo conceptam habeo.

---

καὶ πανοῦργος, ὡς Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ. Hoc sagacioribus expediendum relinquo.

Unum superest monendum, ne quis a me requirat quod nolui praestare. Utilissimum enim fuisset docere, qui scriptores Hesiodum in fabularum tractatione aut secuti essent aut ab eo discessissent, et sic quasi historiam fabularum earumque mutationum exhibere. Sed huic immensi operis rei, ut quae ex omnium ueterum scriptorum diligentissima tractatione repetenda esset, prorsus impares quum meas uires esse sentirem, eam neglexi memor Horatiani illius uerbi:

*Sumite materiam uestris, qui scribitis, aequam*
*Uiribus et uersate diu, quid ferre recusent,*
*Quid ualeant humeri.*

De reliquorum poetarum reliquiis, quae praeter Asii fragmenta a Nic. Bachio edita primus exhibui, nihil fere est quod moneam. Addidi quod ad idem poesis genus pertinent atque nonnulla Hesiodi carmina. Cur autem cyclicorum carminum reliquias Eumelo et Cinaethoni a quibusdam adscriptorum non adiecerim, facile quemque intellecturum meamque rationem probaturum spero. Etiam collecta iam sunt a C. G. Muellero.

# I.

# FRAGMEMTA HESIODI.

## 1. Catalogus.

### I. (19).

**Seruius ad Uirgil. Aen. VII, 286.** *Antiquis mos erat meliores generos rogare. Hesiodus etiam περὶ τῶν γυναικῶν inducit multas heroidas optasse nuptias uirorum fortium.*

### II. (21).

**Schol. Apollon. Rhod. III, 1086.** *Ὅτι Προμηθέως καὶ Πανδώρας υἱὸς Δευκαλίων, Ἡσίοδος ἐν πρώτῳ Καταλόγων φησὶ, καὶ ὅτι Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας Ἕλλην.*

Eadem habet Eudocia p. 108, apud quam pariter atque in scholiis Apollonii postrema uitiosa sunt. Legitur enim utroque loco *καὶ ὅτι Προμηθέως καὶ Πύῤῥας Ἕλλην*, quae primus emendaui.

### III. (22).

Ab hac genealogia differt, quod Schol. Ambr. ad Hom. Od. K, 2 habet: *Δευκαλίων, ἐφ' ᾧ ὁ κατακλυσμὸς γέγονε, Προμηθέως μὲν ἦν υἱὸς, μητρὸς δὲ, ὡς πλεῖστοι λέγουσι, Κλυμένης, ὡς δὲ Ἡσίοδος, Πρυνείης.* Pro matris nomine Welckerus Tril. Aesch. p. 12. *Πρυλείη* legendum putat. In prioribus Promethei et Iapeti genealogias confusas esse, notat Lehmannus (fr. 14), qui addit, nisi omnia perturbata sint, de Prynea poetam in alio carmine cecinisse.

IV.

Lactant. Placid. Argum. ad Ouid. Metam. Lib. I. „*Ex terra cum omnia generata sint, uariarumque rerum mater reperiatur, tum humanum genus, quod cuncta uinceret, Prometheus Iapeti filius, ut idem Hesiodus ostendit, ex humo finxit, cui Minerua spiritum infudit.*“

Haec non Lactantii, sed alicuius glossatoris esse iudicauit et ex uerborum continuatione eiecta in nota posuit Staueren. p. 788. Welcker. Tril. p. 13 fabulam de hominibus ex luto fictis recentiorum censet poetarum esse.

V. (20).

Deucalionis filiae. Ioh. Laur. Lydus de mens. c. 4. p. 5 ed. Schow. Τοσούτων οὖν ἐπιξενωθέντων τῆς Ἰταλίας, ὥςπερ ἐδείχθη, Λατίνους μὲν τοὺς ἐπιχωριάζοντας, Γραικοὺς δὲ τοὺς Ἑλληνίζοντας ἐκάλουν, ἀπὸ Λατίνου τοῦ ἄρτι ἡμῖν ῥηθέντος καὶ Γραικοῦ τῶν ἀδελφῶν, ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν Καταλόγοις·

Κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος
Πανδώρη Διὶ πατρὶ, θεῶν σημάντορι πάντων,
Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι τέκε Γραικὸν μενεχάρμην.

Ante hos uersus leguntur uerba Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον, quae ut e Theog. u. 1013 assuta omisi. In Lydi libris uersus, quo Latini mentio fiebat, uidetur excidisse. Colligi hoc ex eo potest, quod Iriarte in Catal. Bibl. Matrit. VIII. p. 26 testatur, in codice Hispanico Lascaris manu scripto post Theogoniam quattuor uersus extare, Ἡσιόδου καὶ ταῦτα inscriptos, quorum primum sic affert:

Κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγανοῦ (sic) Δευκαλίωνος.

Cf. commentationem nostram de extrema parte Theogoniae P. II. L. I. C. I. § 3. U. 3 Lehmannus errore scri-

psit *Γραῖκον ἱππιοχάρμην*, quod notauit E. de Leutsch in Ephem. Hall. 1831. N. 189. p. 230. Fons erroris erat fragmentum proximum. Ceterum haec Pandora, Deucalionis filia, diuersa statuenda ab ea, quae memoratur fr. II. Cf. praeterea Wachsmuth. Hell. Alterthkde. I, p. 310. De *Γραῖκος* et *Γραικοί* uocabulorum accentu cf. Lehrs. de Arist. p. 283.

## VI. (26).

Constant. Porphyr. de them. p. 22. ed. Par. (p. 84 Meurs.) *Μακεδονία ἡ χώρα ὠνομάσθη ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Διὸς καὶ Θυίας τῆς Δευκαλίωνος, ὥς φησιν Ἡσίοδος ὁ ποιητής·*

*Ἡ δ' ὑποκυσαμένη Διῒ γείνατο τερπικεραύνῳ*
*Υἷε δύω, Μάγνητα Μακηδόνα θ' ἱππιοχάρμην,*
*Οἳ περὶ Πιερίην καὶ Ὄλυμπον δώματ' ἔναιον.*

De secunda u. *Μακεδών* syllaba cf. Dionys. Per. 254. 427. Hermesian. apud Athen. XIII, 598. D. Callim. hymn. in Del. 167 citauit Dindf. p. 98. Uulgo *Μακεδόνα*.

O. Mueller. Dor. I. p. 4 *Μάκεδνόν θ'* proposuit. *ὑποκυσαμένη* pro *ὑποκυσσαμένη* dedi auctoribus Hermanno de Danaid. p. XV. (Op. II. p. 335) et Buttmanno Gr. Gr. I. p. 177. — u. 2.] *Υἷε* scripsi, quum uulgatum *υἱὲ* ferri non posse uideretur.

## VII.

Cum praecedente fragmento coniunctus fortasse erat uersus apud grammaticum *περὶ βαρβαρισμοῦ*, editum a Valckenaerio ad Ammonium p. 196. *Κατὰ δὲ διαίρεσιν* (sc. *γίνεται βαρβαρισμός*), *ὡς ὅταν Ἡσίοδος λέγῃ·*

*Μάγνης δ' αὖ Δίκτυν τε καὶ ἀντίθεον Πολυδεύκεα.*

Scripsi *Δίκτυν* pro *Δίκτην*, quod uulgatur. Cf. Apollodor.

I, 9, 6. II, 4, 2, 1. Uid. Creuzer. in Annal. Uindob. Tom. LXI. 1833. p. 184, qui Osannum in Iahnii Annal. Phil. 1833. IX, 3. p. 255 citauit. In Boissonadii Anecd. Gr. III. p. 259 uersus sic legitur: *Μάγνης δὲ κατ' αὐτὸ καὶ ἀ. Π.*

## VIII. (23).

Filius Deucalionis Hellen. Tzetza in Lycophr. 284. *Δωριεὺς στρατός*] ὁ Ἑλληνικὸς ἀπὸ Δώρου τοῦ Ἕλληνος παιδός, ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν τῇ ἡρωϊκῇ γενεαλογίᾳ·

> Ἕλληνος δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες
> Δῶρός τε Ξοῦθός τε καὶ Αἴολος ἱππιοχάρμης.
> Αἰολίδαι δ' ἐγένοντο θεμιστοπόλοι βασιλῆες
> Κρηθεὺς ἠδ' Ἀθάμας καὶ Σίσυφος αἰολομήτης
> Σαλμωνεύς τ' ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος Περιήρης.

U. 1 et 2 citant Tzetza etiam Exeg. Il. p. 63, 13 et 134, 22 ex heroica genealogia et Plutarchus Symposiac. IX, 15. p. 747 f.; uerba *Δῶρός τε ζοῦθός τε* (sic) Herodian. *περὶ μον. λεξ.* p. 42. l. 8.

U. 3. 4. 5 extant etiam in Schol. Pind. Pyth. IV, 253, ubi olim *περὶ κῆρι* pro *Περιήρης* (uid. Heyn. ad Apollod. II. p. 59 ed. sec., et O. Mueller. Dor. I. p. 12). *τ'* ante *ἄδικος* deest apud Boeckhium.

U. 1] pro *θεμιστοπόλοι βασιλῆες* omnes Tzetzae libri apud Muellerum *θεμιστοπόλου βασιλῆος*, in Exeg. Il. p. 63 cod. *θεμιστοπόλου βασιλῆος* (supra: οι, ες). Quod dedi, est apud Plutarchum. Nominatiuum praetuli, ut seruaretur membrorum concinnitas u. 1 et 3.

U. 2] cod. Vit. 1 et Ciz. *Δοῦρος*. — Vit. 1. 2. 3. Ciz. *Αἴολος*.

U. 3] Vit. 1. Ciz. *Αἰολίδου δ' ἐγ. θεμιστοπόλου βασιλῆος*. De antiqua nonnullorum librorum corruptela, qua u. 5 secundum locum obtinebat, dixit qui hos uersus

tractauit Hering. Obseruat. p. 18 sq., quem cum schol. Thuc. I, 3 Ruhnkenius citauit. Schol. min. ad Hom. Od. *K*, 2. *Αἴολοι δύο, οὗτος μὲν* (sc. uentorum rex) *Ἱππότου τοῦ Μίμαντος, ἕτερος δὲ Ἕλληνος* (uulgo *Ἕλλην*. corr. Ernesti), *ὃς ἦν Διός* [fort. *Δευκαλίωνος*], *οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται.*

IX. (24).

Schol. Apoll. Rh. IV, 266. *Οἱ ἀπὸ τοῦ Δευκαλίωνος τὸ γένος ἔχοντες ἐβασίλευον Θεσσαλίας, ὥς φησιν Ἑκαταῖος καὶ Ἡσίοδος.*

X. (63).

Ex Aeoli filia Canace prognatus est Aloeus, cuius ex Iphimedia filii erant Otus et Ephialtes, de quibus Hesiodi memoriam seruauit Schol. Apoll.Rh. I, 482. *Ἐρατοσθένης δὲ γηγενεῖς αὐτούς φησι, διὰ δὲ τὸ ἀνατετράφθαι ὑπὸ Ἰφιμεδείας, τῆς Ἀλωέως γυναικός, μυθευθῆναι, ὡς Ἀλωέως εἰσὶν υἱοί. Ἡσίοδος δὲ Ἀλωέως καὶ Ἰφιμεδείας κατ' ἐπίκλησιν, ταῖς δὲ ἀληθείαις Ποσειδῶνος καὶ Ἰφιμεδείας αὐτούς. καὶ Ἄλον πόλιν Αἰτωλίας ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἐκτίσθαι.* Schol. Par. *καὶ Ἄλον πόλιν ἐν Θετταλίᾳ ἐπ' ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἐκτίσθαι.* Schol. Flor. exscripsit Eudoc. p. 37.

XI. (83).

Suid. et Zonar. u. *Ἐπιάλτην. Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος, καὶ οἱ Ἀττικοὶ τὸν δαίμονα· διὰ δὲ τοῦ φ τὸν ἄνδρα· καὶ τὸν* (al. *τὸ*) *ῥιγοπύρετον λεγόμενον.* Gaisfordus Eustathio p. 561 et 1687, 50, Phrynicho ap. Bekkerum p. 42 et Etymol. M. p. 434 citatis sic pergit: „His cum Suida collatis suspicari licet nonnulla grammatico nostro deesse, quae coniectura satis certa restitui nequeunt. Attamen e uerbis sicut scripta sunt sensus non incommodus elici potest; scil. Homerum et Hesiodum *Ἐπιάλτην* (Aloidarum alterum) scripsisse, non *Ἐφιάλτην*; eundem *Ἐπιάλτην* Atticos daemonem dixisse.“

XII. (134).

Altera Aeoli filia erat Calyce, cuius filius Endymion. Schol. Apoll. Rh. IV, 57. *Τὸν δὲ Ἐνδυμίωνα Ἡσίοδος μὲν Ἀεθλίου τοῦ Διὸς καὶ Καλύκης παῖδα λέγει, παρὰ Διὸς εἰληφότα δῶρον, αὐτὸν ταμίαν εἶναι θανάτου, ὅτε θέλοι ὀλέσθαι. καὶ Πείσανδρος δὲ τὰ αὐτά φησι καὶ Ἀκουσίλαος καὶ Φερεκύδης καὶ Νίκανδρος ἐν δευτέρῳ Αἰτωλικῶν καὶ Θεόπομπος ἐν Ἐποποιοῖς.* Hinc petita et corrigenda sunt, quae leguntur apud Eudoc. p. 148. Ipsa Hesiodi uerba aliquot seruauit Apollonius Dysc. de Pron. p. 109 A. (Bekk.) *Τῇ τίν σύζυγος ἡ ἽΝ, τοῦ ῖ ἀρθέντος· Ἡσίοδος·*

*ἶν δ' αὐτῷ θανάτου ταμίης [ὅτε μέλλοι ὀλέσθαι].*

Uerba, quae uncinis inclusi, desunt apud grammaticum; addidi e coniectura Schaeferi ad Gregor. Cor. p. 85 (Eudocia l. l. *ὅτε μέλλοι ὀλέσθαι* habet). Idem dicit in codice Paris. schol. Apoll. Rhod. pro *αὐτὸν ταμίαν εἶναι θανάτου* esse *ἐν αὐτῷ τ. ε. θαν.*, quod ex *ἶν αὐτῷ* corruptum existimat. Cf. Porson. Aduers. p. 296. Heyn. Obs. ad Apoll. II. p. 43 sq. Ruhnken. ep. crit. p. 114 (Uid. fr. CLVIII. Cum Aetolorum fabulis coniunctum est fr. CLVII).

XIII. (74).

Tertia Aeoli filia erat Pisidice, e qua Actor prouenit, Euryti et Cteati pater. Schol. Ven. ad Hom. Il. *Λ*, 749. *Ἀκτορίωνε Μολίονε] ἡ διπλῆ, ὅτι ἐντεῦθεν Ἡσίοδος Ἄκτορος κατ' ἐπίκλησιν καὶ Μολιόνης αὐτοὺς γεγενεαλόγηκεν, γόνῳ δὲ Ποσειδῶνος. οὔποτε δὲ Ὅμηρος ἀπὸ μητρὸς σχηματίζει.*

Apollon. Soph. Lex. Hom. u. *Μολίονε· μαχηταὶ ἀπὸ τῆς κατὰ μάχην γενομένης μολήσεως, ἢ ἀπὸ τοῦ συνεχῶς μολίσκειν εἰς μάχην· ἀπὸ γὰρ μητρὸς οὐδένα σημαίνει Ὅμηρος. Ἡσίοδος δὲ Μολίνης υἱοὺς γεγονότας παραδίδωσι.* Leg. *Μολιόνης.*

XIV. (74).

**Eustathius ad Il.** Ψ, 638. p. 1321, 20. (1442 Bas.) *Ἀκτορίωνος δὲ παῖδες Ἄκτορος, Κτέατος καὶ Εὔρυτος, ἀνδρεῖοι δὲ καὶ ἡνιοχικοί, ῥηθέντές που καὶ Μολίονες παρ' Ὁμήρῳ* (Il. Λ, 709. 750.) *παρὰ δὲ τοῖς ὕστερον* (in quorum numero etiam Hesiodum probabiliter ponimus) *Μολιονίδαι, οὓς Ὅμηρος μὲν διδύμους ἱστορεῖ ἁπλῶς, οἱ δὲ κατ' Ἀρίσταρχον οὐχ οὕτως, οἷον καὶ τοὺς Διοσκούρους, ἀλλὰ κατὰ τὸν Ἡσιόδου μῦθον καὶ διφυεῖς, δύο μὲν ἔχοντας σώματα, συμπεφυκότας* [a]) *δέ γε ἀλλήλοις.* Cf. ad Λ, 749. p. 882, 25. (834 B.) ubi additur, *φιλάδελφοι δὲ ἱστοροῦνται καὶ μιᾷ ψυχῇ ἐν δυσὶ σώμασι διοικούμενοι.* Cf. **Schol. Ven. ad Il.** Ψ, 638 et **Schol. Vict. ad** Λ, 709. *τερατώδεις τινὲς ἦσαν, ὡς Ἡσίοδος, ἄμφω ἐν ἑνὶ σώματι ὄντες.* **Eudoc.** p. 33. Eustath. ad Il. Λ, 709. Respexit Hesiodum fortasse Plutarchus *περὶ κοινῶν ἐννοιῶν* p. 1083 C. Uide Heynium ad Apollod. II. p. 184 sq.

XV. (155).

Actoriones Augeae contra Herculem auxilium tulerunt, quibus interfectis et Elide capta Phyleus restitutus est (Diodor. IV, 33. Apollod. II, 7. 2). **Eustath.** ad Il. Λ, 406. p. 125, 30. (90 B.) *καθὸ καὶ ἠναντίωται τοῦτο τῷ πρὸ αὐτοῦ τῷ παντελῶς ταυτοφώνῳ, οἷον τὸ Σκύλλῃ κοίλης ἐκ νηός· καὶ Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ καὶ φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν· καὶ Ἀῤῥιανὸς φῦναι Φινέα· καὶ Ἡσίοδος·*

*Φυλῆα φίλον μακάρεσσι θεοῖσι.*

Uulgo *Φυλέα*, quod est etiam p. 126, 11. (95.) *φυλέα φίλον μακάρεσσι* et 797, 45. (714.) *φυλέα φίλον.* Posteriore loco ea figura *παρήχησις* dicitur, *ἣν Ὅμηρος μὲν οὐκ ἐπετηδεύσατο, ἄλλοι δὲ πρὸ ἔργου ἔσχον.* Insigne eius figurae exemplum habet ex Empedocle Tzetza in Her-

a) *συμπεφυκότα δέ γε* Eud.

mogenem apud Cramerum Anecd. Gr. IV. p. 119. cf. p. 138. Uerba Φυλέα φίλον coniungenda esse, exempla ab Eustathio allata docent. Quare Φυλῆα scripsi, quod Hermannus uoluit.

## XVI. (30).

Aeoli filius erat Salmoneus, cuius filia Tyro ex Neptuno Neleum et Peliam peperit. De Nelei stirpe Hesiodi Catalogos ad testimonium uocat Schol. Ven. ad Il. B. 336. Ἡρακλῆς γὰρ, ἐπιστρατεύσας τῇ Πύλῳ διὰ τὸ μὴ καθαρθῆναι αὐτὸν ὑπὸ Νηλέως τὸν Ἰφίτου φόνον καὶ διὰ τὴν τῶν Νηλειδῶν δὲ ἀφροσύνην, πολὺς ἦν πορθῶν τὴν πόλιν. καὶ ἐφ' ὅσον μὲν Περικλύμενος ὁ Νηλέως ἔζη, δυςάλωτος ἦν ἡ πόλις· ἀμφίβιος γὰρ ἐγένετο ἐκεῖνος, καὶ δὴ γενόμενον αὐτὸν μέλισσαν καὶ στάντα ἐπὶ τοῦ Ἡρακλέους ἅρματος, δείξασα (uulg. εἰκάσασα [a]); corr. Ruhnken. ep. crit. p. 111) Ἀθηνᾶ ἐποίησεν ἀναιρεθῆναι. τότε Νέστωρ ἐν Γερήνοις τρεφόμενος, πορθηθεύσης τῆς Πύλου καὶ τῶν ια' ἀδελφῶν αὐτοῦ ἀναιρεθέντων, μόνος περιελείφθη· διο καὶ Γερήνιος ὠνομάσθη. ἱστορεῖ Ἡσίοδος ἐν Καταλόγοις. In eadem re Hesiodi memoria utuntur Eustath. ad Od. Λ, 285. p. 1685, 62. (436.) τὸν δὲ Περικλύμενον Ἡσίοδός φησι δῶρον εἰληφέναι παρὰ Ποσειδῶνος, ἀμείβειν ἑαυτὸν εἰς οἷον ἂν ζώου ἢ δένδρου αἱροῖτο εἰκόνα, et Schol. Min. et Ambr. ad Od. l. l. Ἡσίοδος τὸν Π. διηγεῖται δῶρον εἰληφέναι παρὰ Ποσ., ὥστε ἀμείβειν ἑαυτὸν εἰς οἷον κτλ.

Ipsos Hesiodi uersus seruauit Schol. Apoll. Rhod. I, 156. Ἡσίοδος δὲ μεταβληθέντα εἴς τινα τῶν συνήθων μορφῶν ἐπικαθεσθῆναι τῷ ὀμφαλῷ τοῦ ζυγοῦ τῶν Ἡρακλέους ἵππων, βουλόμενον εἰς μάχην καταστῆναι τῷ ἥρωϊ· τὸν δὲ Ἡρακλέα καιρίως αὐτὸν κατατοξεῦσαι, τῆς Ἀθηνᾶς ὑποδειξάσης· φησὶ δὲ οὕτως·

---

a) Sed hoc defendit Heynius ad Apollodorum II. p. 62, sic interpretatus: „coniectans et docens eum in ape latere."

*Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον,*
*Ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων ἐνοσίχθων*
*Παντοῖ'· ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν*
*Αἰετός, ἄλλοτε δ' αὖτε πελέσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι,*
*Μύρμηξ, ἄλλοτε δ' αὖτε μελλισσέων ἀγλαὰ φῦλα,*
*Ἄλλοτε δ' αἰνὸς ὄφις καὶ ἀμείλιχος. εἶχε δὲ δῶρα*
*Παντοῖ', οὐκ ὀνομαστά, τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσεν*
*Βουλῇ Ἀθηναίης.* —

Eosdem uersus habet Eudocia p. 333. — U. 2. *ὄλβια*, u. 3. *μέν τε ἐν*, u. 4. *πολέσκετο*, u. 5. *μελισσάων* Schol. Par. et Eud. — u. 6. *ἄλλοτε δεινὸς* Schol. Flor. et Eud.; Schol. Par. *ἄλλοτε δὲ δεινός*. Emendationem facilem admisi, quum *δὲ* abesse non posse uideretur. Theog. u. 830 sq. de Typhoei uocibus: *ἄλλοτε μὲν γὰρ | φθέγγονθ' ὥστε θεοῖσι συνιέμεν, ἄλλοτε δ' αὖτε | ταύρω ἐριβρύχεω, μένος ἀσχέτου, ὄσσαν ἀγαύρου, | ἄλλοτε δ' αὖτε λέοντος ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντος | ἄλλοτε δ' αὖ σκυλάκεσσιν ἐοικότα, θαύματ' ἀκοῦσαι, | ἄλλοτε δ' αὖ ῥοιζέσχ', ὑπὸ δ' ἤχεεν οὔρεα μακρά.* — In uersus 6 fine uocem *δῶρα* lacuna absorpserat in Par., quae in margine uocabulo *αὐτός* expletur, quod apud Eudociam in uerborum continuatione legitur. U. 7. *τὰ μὲν καὶ ἔπειτα δόλωσαν* Schol. Par. — U. 8. *ἐν βουλῇσιν Ἀθηναίης* Par. et Eud. — Heinsius mira licentia Hesiodi uersibus Homericos praefigens fragmenti initium hoc fecerat: *Δώδεκα γὰρ Νηλῆος ἀμύμονος υἱέες ἦμεν | Νέστωρ τε, Χρόμιός τε, Περικλύμενός τ' ἀγέρωχος, | ὄλβιος κτλ.* Loesner. ed. p. 441. Notauit Ruhnkenius, qui non immemor fuit Ouidianae imitationis Met. XII. u. 556 sqq. *Mira Periclymeni mors est: cui posse figuras | Sumere, quas uellet, rursusque reponere sumptas | Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor. | Hic ubi nequidquam est formas uariatus in omnes | Uertitur in faciem uolucris, quae fulmina curuis | Ferre solet pedibus* etc.

*'Αγέρωχος* uocabuli mira originatio est apud Eust. et schol. ad Od. *Λ*, 285, ex *ἄγαν*, *ῥᾳδίως* et *χέω*, aut *ἄγειν*, *ῥᾳδίως* et *χέειν* (*ὡς ἀγόμενον ῥᾳδίως καὶ χεόμενον*). Uid. Buttm. Lexil. II, 98. Cf. Heyn. Obs. ad Apollod. II. p. 62. O. Mueller. Dor. I. p. 445 et II. p. 479.

XVII. (31).

Steph. Byz. u. *Γερηνία· πόλις τῆς Μεσσηνίας, ἔνθα Νέστωρ ὁ Πύλιος ἐτράφη ἢ φυγὰς ἤχθη· 'Ησίοδος ἐν πρώτῳ Καταλόγων·*

*Κτεῖνε δὲ Νηλῆος ταλασίφρονος υἱέας ἐσθλοὺς*
*Ἕνδεκα· δωδέκατος δὲ Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ*
*Ξεῖνος ἐὼν ἐτύχησε παρ' ἱπποδάμοισι Γερήνοις.*

*ἀπὸ εὐθείας τῆς Γέρηνος· καὶ αὖθις·*

*Νέστωρ οἶος ἄλυξεν ἐν ἀνθεμόεντι Γερήνῳ·*

Hos uersus leges etiam ap. Eustath. ad Il. *B*, 336. p. 231. 39. (175 B.) Libri numerus antiquis Stephani editionibus deerat; accessit e MSS. U. 1] *Κτεῖναι N.* uulgo. *κτεῖνε δὲ N.* cod. Rehd. et Eustath. — In commentariis ad Steph. l. l. extat Salmasii coniectura *παρ' ἱπποδάμοιο Γερήνοις*, in qua uitium latere suspicor; fort. *Γερήνου*. Schol. Min. Od. *Γ*, 68. *Γερήνιος*] *κατὰ μὲν 'Ησίοδον ὁ ἐν Γερήνοις ἀνατραφείς.* Huc pertinet etiam corruptum Stephani testimonium u. *Τάβαι — πόλις Λυδίας· ὁ πολίτης Ταβηνός, 'Ησίοδος· παρ' ἱπποδάμοισι Γερηνοῖς;* ubi Salmasius *Ταβηνοῖς* corrigere uolebat; sed rectius Holstenius aliquid excidisse putat: f. *'Ο πολίτης Ταβηνός, ὡς Γερηνός· 'Ησίοδος κτλ.* Ceterum in illo Stephani loco difficultates quaedam insunt, quas expedire hic nequeo, quarum una in accentu uocabuli *Γερήνοις* posita est.

XVIII. (78).

Philemon u. *εὐφυής* et Phauor. Ecl. p. 781, 20. *Καὶ τοῖς θηλυκοῖς ὀνόμασιν ἀρσενικὰ συντάττουσιν ἐπίθετα,*

ὡς παρ' Ὁμήρῳ· κλυτὸς Ἱπποδάμεια, καὶ θερμὸς ἀϋτμή; καὶ ἁλὸς πολιοῖο· καὶ παρ' Ἡσιόδῳ·

*δαϊζομένου πόληος·*

Goettlingius, apud quem error typothetarum *δαϊζομένους* corrigendus est, *δαϊζομένοιο* scriptum fuisse suspicatur. Possit etiam *δαϊζομένου δὲ πόληος*, aut *δαϊζομένου πόλιος*, quod legitur in Phauor. Lex. p. 435 a. scribi. Schema hoc Euboicum dicitur in fragmento grammatici, quod inscribitur *Ἄνθη καὶ Διάλεκτοι κατὰ Λεσβώνακτα* apud Cram. Anecd. Gr. IV. p. 270. *Οἱ Εὐβοεῖς τοῖς θηλυκοῖς ὀνόμασιν ἀρσενικὰ συνάπτουσιν ἐπίθετα· οἷον „ἁλὸς πολιοῖο". ὁμοίως καὶ τοῖς οὐδετέροις ὀνόμασιν ἀρσενικὰ καὶ θηλυκὰ ἐπίθετα καὶ μετοχὰς ἀρσενικὰς καὶ θηλυκάς· οἷον „Κόριον Καλλίστη, μειράκιον λέγων".* — Hesiodi uerba non inepte ad Pyli expugnationem retulit Lehmannus ad fr. 34.

## XIX. (103).

Eustath. ad Od. p. 1796, 39. (597. B.). *Τηλεμάχου δὲ καὶ Πολυκάστης Περσέπτολιν (γενεαλογοῦσιν), ὡς Ἡσίοδος·*

*Τηλεμάχῳ δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐΰζωνος Πολυκάστη*
*Νέστορος ὁπλοτάτη κούρη Νηληϊάδαο*
*Περσέπολιν μιχθεῖσα διὰ χρυσέην Ἀφροδίτην.*

Eud. p. 77. *Τηλεμάχου δὲ καὶ Πολυκάστης τῆς Νέστορος Περσέπτολιν, ὡς Ἡσίοδος.* — Apud Eust. legitur *Νηληϊάδεω Περσέπτολιν* et *χρυσῆν*. *Χρυσέην* Goettlingius; reliqua iam Dindf. correxit.

## XX.

Nelei frater erat Pelias, ad cuius filium Acastum confugit Peleus, propter Phocum fratrem interfectum a patre expulsus.

Porphyrius a Valcken. ad Ammon. p. 242 editus: *συντόμως δὲ τὰ ἀρχαῖα δεδήλωκε, μιγῆναι οὐκ ἐθελούσῃ*

ἀλλ' οὐχ ὥσπερ Ἡσίοδος τὰ περὶ Πηλέως καὶ τῆς Ἀκάστου γυναικὸς διὰ μικρὸν διεξελθών. Fabulam narrant Schol. Pind. Nem. IV, 88. Schol. Od. Φ, 295. Eud. p. 31. Apollod. III, 13, 3. Schol. Apollon. Rhod. I, 224, cuius haec uerba sunt: *Ἄκαστος, Πελίου υἱὸς, ἔγημεν Κρηθηΐδα, ἢ ὥς τινες, Ἱππολύτην. ἡ δὲ Πηλέως ἐρασθεῖσα, αὐτῇ ὡς ἀπετύγχανε δεομένη, προλαβοῦσα τὸν Πηλέα τῷ ἀνδρὶ κατηγόρει, ὡς πειραθέντα αὐτῆς. ὁ δὲ ἐξαγαγὼν τὸν Πηλέα ὡς ἐπὶ θήραν εἰς τὸ Πήλιον κατέλιπεν αὐτὸν ἄοπλον ἐν τῷ Πηλίῳ, ἵνα ὑπὸ θηρίων διεφθαρῇ. ἐπιστὰς δὲ ὁ Ἑρμῆς, ἢ ὥς τινες Χείρων, ἔδωκεν αὐτῷ ἡφαιστότευκτον μάχαιραν, ᾗ τὰ ἐπιόντα τῶν θηρίων ἀνῄρει καὶ ἐς τὴν πόλιν ἐπανελθὼν τὴν Ἀκάστου γυναῖκα καὶ αὐτόν, ὥς φασί τινες, ἀνεῖλε τὸν Ἄκαστον.*

Magna est de mulieris nomine controuersia. Apollodorus dicit Astydamiam, schol. Pind. Cretheidem, Hippolyti filiam; ita ut, quod nomen Hesiodus habuerit, non possit inuestigari.

## XXI. (75).

Schol. Pind. Nem. IV, 95 enarrata illa historia sic pergit: *Ταῦτα δὲ ἱστοροῦσι πολλοὶ μὲν, ἀτὰρ δὴ καὶ Ἡσίοδος λέγων οὕτως·*

*Ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή,*
*Αὐτὸν μὲν σχέσθαι, κρύψαι δ' ἀδόκητα μάχαιραν*
*Καλὴν, ἥν οἱ ἔτευξε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις,*
*Ὡς τὴν μαστεύων οἶος κατὰ Πήλιον αἰπὺ*
*Αἶψ' ὑπὸ Κενταύροισιν ὀρεσκῴοισι δαμείη.*

U. 2.] De uerbis *αὐτὸν μὲν σχέσθαι* Heynius Obseru. ad Apollod. II, p. 312 sic dicit: „Sic iam emendarunt pro „σχέσθαι", sed quo sensu? f. *αὐτοῦ μὲν σχέσθαι* (ut „Od. δ, 422 *ἀποσχέσθαι*), continere se ab eo occidendo, „ei parcere." Quae mutatio nec necessaria nec probabilis est. *Αὐτὸν* est subiectum, ipsum quidem absti-

nere u caedo." Apud Lenn. p. 444 proxima sic leguntur *χρόνιοι δ' ἀδόμησαν " μάχεσθαί τε.*

## XXII. (179).

**Crethei stirps.** Schol. ad Od. *M*, 69. *Τυρὼ ἡ Σαλμωνέως ἔχουσα δύο παῖδας ἐκ Ποσειδῶνος, Νηλέα τε καὶ Πελίαν, ἔγημε Κρηθέα καὶ ἔχει παῖδας ἐξ αὐτοῦ τρεῖς, Αἴσονα καὶ Φέρητα καὶ Ἀμυθάονα. Αἴσονος δὲ καὶ Πολυμήλας καθ' Ἡσίοδον γίνεται Ἰάσων, κατὰ δὲ Φερεκύδην ἐξ Ἀλκιμέδης.* Ruhnkenius ep. crit. I. p. 105 Scholio ad Apollon. Rhod. I, 46 ductus (*Ἡρόδωρος δὲ Πολυφήμην φησὶν εἶναι τὴν Ἰάσονος μητέρα*) et Hesiodi nomen in Herodori mutare et pro *Πολυμήλας Πολυφήμης* scribere uoluit. De quo iudicio, quod nec Hermanno (Op. VI, 268) nec Lehmanno ad fr. 41 placuit, Heynius ad Apollod. II. p. 69 prudenter ita iudicat: „Ita uero innumera essent delenda, quae ex Hesiodeis perditis passim memorantur . . . . Immo uero uariatum est in matris nomine, ut sexcenties in aliis." Cuius rei deinde aliquot exempla affert. Lehmanno *Πολυμήδη* uidetur matris nomen fuisse, quod est ap. Apollod. I, 9, 16, 1.

## XXIII.

**Steph. Byz.** u. *Αἰσών, πόλις Θεσσαλίας, ἀπὸ Αἴσωνος τοῦ Ἰάσονος πατρὸς, οὗ τὸ ὄνομα διὰ τοῦ ω κλίνεται, ὡς Ἡσίοδος· τὸ δὲ Αἰσωνίδης ἀπὸ τοῦ Αἴσονος.*

**** ἠδὲ Φέρητα ****

De hoc loco interpretes minus recte iudicasse mihi uidentur. Uulgo *διὰ τοῦ ο* legebatur, quod ex cod. Rehd., qui *ω* habet, emendaui. Berkelius *ἀπὸ τοῦ Αἴσονος* uolebat in prioribus; et cum Holstenio et Pinedone Stephani testimonium ad Theog. 999 referebat. Sed huic sententiae repugnat oppositio, quae per *τὸ δὲ* fit. Ego puto Hesiodum *Αἴσωνος* dixisse; sed Stephanum etiam alterius declinandi rationis mentionem facere uoluisse et sic illud *Αἰσονίδης* attulisse, quod ex *Αἴσονος* deri-

uandum esset. Cuius formae auctorem affert Homerum Od. *Λ*, 258; ita ut sic fere Stephanum scripsisse putem: *τὸ δὲ Αἰσονίδης* (Theog. 999) *ἀπὸ τοῦ Αἴσονος γίγνεται, ᾗ κλίσει χρῆται καὶ Ὅμηρος ἐν τῷ*

*Αἴσονά τ᾽ ἠδὲ Φέρητ᾽ Ἀμυθάονά θ᾽ ἱππιοχάρμην.*

## XXIV. (86).

**Schol. Pind. Nem. III, 92.** *Ὅτι δὲ ἐτράφη παρὰ τῷ Χείρωνι ὁ Ἰάσων, Ἡσίοδός φησιν·*

*Αἴσων, ὃς τέκεθ᾽ υἱὸν Ἰήσονα, ποιμένα λαῶν,*
*Ὃν Χείρων θρέψεν ἐνὶ Πηλίῳ ὑλήεντι.*

Boeckhius et Goettlingius *ὃν Χείρων ἔθρεψ᾽*, Spitzner. de uers. her. p. 41, *ὃν θρέψεν Χείρων*, Muetzell. de emend. Theog. p. 84 sq. *ὃν Χείρων θρέψας* legendum putant. Lehmannus uulgatam scripturam emendatione non egere dicit; mihi uero uidetur egere, sed corrigendi ratio certa non est.

## XXV. (76).

Ex Athamantis filio, Schoeneo, nata est Atalanta. **Apollod. III, 9, 2, 8.** *Ἡσίοδος δὲ καί τινες ἕτεροι τὴν Ἀταλάντην οὐκ Ἰάσου, ἀλλὰ Σχοινέως εἶπον.*

## XXVI. (75).

**Schol. Ven. ad Il. *B*, 764.** *ἀλλὰ φασὶν εἰς ἰδιότητα τοῦ Ἀχιλλέως βεβαρυτονῆσθαι τὸ ποδώκης· παρὰ γοῦν τῷ Ἡσιόδῳ ἀνεγνώκασι·*

*ποδώκης δῖ᾽ Ἀταλάντη.*

Apud Goettl. errore *ποδώκης* scriptum est.

## XXVII. (92).

**Schol. Uict. ad Il. *Ψ*, 683.** *Κατὰ τὴν ιδ̄ Ὀλυμπιάδα, ἐφ᾽ Ἱππομένους Ἀθήνησιν ἄρχοντος, Ὀλυμπιάσι στάδιον θεόντων ἐνὶ περιζώμασι συνέβη ἕνα αὐτῶν Ἔρσιππον*

ἐμποδισθέντα ὑπὸ τοῦ περιζώματος πεσεῖν καὶ τελευτῆσαι· ὅθεν ἐθεσπίσθη γυμνοὺς ἀγωνίζεσθαι μέχρι τοῦ νῦν· διὸ καὶ οἱ τόποι, ἐν οἷς ἔκτοτε ἐπονοῦντο, γυμνάσια καλοῦνται. νεώτερος οὖν Ἡσίοδος, γυμνὸν εἰσάγων Ἱππομένη ἀγωνιζόμενον τῇ Ἀταλάντῃ (uulgo ἀγωνιζόμενον τάλαντων, quod emendauit Heynius ex Eustathio).

Eandem rem narrat Eustathius ad l. l. p. 1324, 5. (1446 B.), ubi nomen Ὄρσιππος extat, quod rectius uidetur, quum schol. Uen. habeant Ὀρίππου. Eadem scholia uariant in Olympiadis numero (A. τ' καὶ β', Did. λβ'), et Orsippum non uictum sed uictorem perhibent (λυθὲν τὸ περίζωμα αἴτιον αὐτῷ ἦν νίκης). Cf. Thucyd. I, 6. Heyn. ad Apollod. II, 270. Voss. epp. mythol. II. p. 96.

### XXVIII. (94).

Inachi stirps, ad quam etiam fr. CLIII pertinet, Strabo X, 3, 19. p. 471 Cas. (723 Alm. Tom. IV. p. 199 Tzschuck.) Ἡσίοδος μὲν γὰρ Ἑκαταίου καὶ τῆς Φορωνέως θυγατρὸς πέντε γενέσθαι θυγατέρας φησίν, ἐξ ὧν

οὔρειαι Νύμφαι θεαὶ ἐξεγένοντο
Καὶ γένος οὐτιδανῶν Σατύρων καὶ ἀμηχανοεργῶν,
Κουρῆτές τε θεοὶ φιλοπαίγμονες, ὀρχηστῆρες.

ὁ δὲ τὴν Φορωνίδα γράψας αὐλητὰς καὶ Φρύγας τοὺς Κουρῆτας λέγει. „Horum pars prior tam mendose scripta est, ut nec mater Curetum nec auia appareat, ac ne pater quidem, siue is unus fuit, siue plures. Pro Ἑκαταίου Welckerus substituit Ἑκάτου coniectura plausibili, cui ad dimidium adstipulatur Schol. Lyc. 77, Curetes Apollinis et Danaidis Nymphae Creticae filios perhibens, sed ne pro certa recipiatur obstat totius loci pluribus partibus truncati uitiositas et quod Apollinem satyrorum patrem esse nescitur. Itaque hinc nihil amplius discimus, quam Curetes de plebe deorum fuisse affines Nymphis Faunisque Satyrisque et monticolis Syluanis.“ Lobeck. Agl. p. 1116. „Quaenam fuerit Pho-

„ronei filia, non constat; fortasse Asteria, ex qua „Calchantis stirpem deducebant. u. Schol. Apollon. Rhod. „I, 139.“ Lehmann. In Strabonis libris legitur ἐξ ὧν ὄρειαι Νύμφαι θεαὶ ἐγένοντο. Uersum ita expleuit Casaubonus, ut ἐξ ὧν in eius initio poneret. Secuti sunt plerique. Sed uocabula illa duo non Hesiodi, sed Strabonis esse uidentur. Hesiodus forte τάων δ’, uel simile quid dederat.

## XXIX. (32).

Strabo I, p. 42 Cas. 72 Alm. (I, 113 Tz.) Ἡσίοδος δ’ ἐν Καταλόγῳ φησί·

*Καὶ κούρην Ἀράβοιο, τὸν Ἑρμάων ἀκάκητα*
*Γείνατο καὶ Θρονίη κούρη Βήλοιο ἄνακτος.*

οὕτω δὲ καὶ Στησίχορος λέγει. εἰκάζειν οὖν ἔστιν, ὅτι ἀπὸ τούτου καὶ ἡ χώρα Ἀραβία ἤδη τότε ὠνομάζετο· κατὰ δὲ τοὺς ἥρωας τυχὸν ἴσως οὔπω. Eustath. ad Od. Δ, 84. p. 1484, 65. (153 B.). Ἄραβάς τε, οἳ οὕτως ὀνομάζονται ἀπὸ Ἀράβου τινός, ὡς Ἡσίοδος ἐν καταλόγῳ φησί. Eustath. ad Dion. Per. 927. Ἡσίοδος μέντοι ἐν τῷ „κούρην Ἀράβοιο“, ἐξ οὗ ἡ Ἀραβία κεκλῆσθαι δοκεῖ, δι’ ἑνὸς ἀμεταβόλου καὶ συστολῆς τῆς ἀρχούσης καὶ αὐτὸς ἐμφαίνει δεῖν γράφειν τοὺς Ἄραβας. Cf. Casaub. ad Strab. ed. Friedem. I, p. 345.

## XXX.

Sanchuniathon Philonianus p. 6 Wagenfeld. Καὶ γὰρ περὶ ἐνίων, ὧν οὐδὲ τὰ ὀνόματα ἴσασιν οἱ Φοίνικες, οὔτ’ Ἀγήνορος οἱ Σιδόνιοι, οὔθ’ οἱ Βύβλιοι τοῦ Βάλαντος, ὃν φασιν οἱ ποιηταὶ

*Βύβλον τ’ ἀγχίαλον καὶ Σιδῶν’ ἀνθεμόεσσαν*
*Νικῆσαι τριχάρηνον,*

κτλ. Uersus esse Hesiodi docemur Etym. M. p. 216, 36. u. Βύβλος πόλις Φοινίκης ἀρχαιοτάτη· Ἡσίοδος· Βύβλον τ’ ἀγχίαλον καὶ Σιδῶν’ ἀνθεμόεσσαν. Qui uersus quum

apud Dionys. Per. 912 legatur, Muncker. ad Anton. Liber. c. 30, Ruhnken. ep. crit. I, p. 104, Schneider. Anal. crit. p. 30, quos probat Sturz. ad Etym. Gud. p. 796, Dionysii nomen substituere uoluerunt. Quam coniecturam improbabilem esse Philonis docet testimonium, quo Hesiodi fragmentum ab Etymologo seruatum uersus dimidio augetur. *Βάλας* uero a Philone memoratus, idem uidetur esse, qui alibi Belus dicitur et ab Apollodoro II, 1, 4 Agenoris frater perhibetur. Haec probabiliter disputauit Goettlingius in Intelligenzbl. d. Ien. Allg. Litt. Z. Oct. 1837. N. 28. p. 218, qui hos uersus cum superiore fragmento in hunc fere modum coniunctos fuisse suspicatur: *κούρη Βήλοιο ἄνακτος, Βήλου, Φοινίκης τὸν ἐπικλείουσι πόληας Βύβλον τ' ἀγχίαλον καὶ Σιδῶν' ἀνθεμόεσσαν, Νικῆσαι τρικάρηνον.*

Poterat certe meliorem coniungendi rationem fingere. Idem *τρικάρηνον* ita interpretatur, ut Sidonem cum duabus coloniis, Tyro et Thebis, intelligat. Wagenfeldius tricipitem Belum finxerat, quale monstrum hoc loco ne uerborum quidem ordo admittit.

## XXXI.

Theo Progymn. c. VI. apud Walz. rhet. Gr. I, p. 277. *ἢ διὰ τὸ μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον εἶναι τὰ ἱστορούμενα, οἷον πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι Ἡρακλῆς ἔκτεινε Βούσιριν. κατὰ γὰρ τὰ Ἡσιόδου πρεσβύτερος Ἡρακλέους ἐστὶν ὁ Βούσιρις ἕνδεκα γενεαῖς.* Cf. Heyn. ad Apollod. II, p. 171.

## XXXII.

Lactant. Placid. Arg. Ouid. Met. Lib. IV. fab. 5. p. 811. Stav. „*Sol praelatam Leucotheen ex Eurynome et Orchamo Achaemeniae principe origine Beli genitam Clymenae ac Rhodo, Circes matri, et Clytiae, quarum pulcritudine ante sollicitum animum egerat, dilexit. Et cupiens, ut in antedictis, cupidi-*

*tatem sedare, in. speciem matris puellae Eurynomes conuersus, uirginem deceptam dolo uitiauit. Cuius adulterio Clytie incensa, qua nondum satiatus erat Sol, parenti puellae indicauit. Quam ille quum terrae defodisset, uitiator admissi misericordiam exhibens, diducto solo, cui subiecta fuerat, pro ea uirgam tinctam nectare, quae gratissima diis hominibusque esset, extulit, quae thurea adpellatur. Hoc Hesiodus indicat.*"

### XXXIII.

Ibid. ad Met. XI. fab. 4. p. 864. Stav. „*Pan quum Tmolum montem Lydiae frequentans fistula se oblectaret, elatus gloria agrestium Nympharum Apollinem in certamen deuocauit. Iudice ergo Tmolo, cuius mons erat, cum uictoria Apollini esset adiudicata, Midae regi supra dicto adsidenti soli displicuit. Quam ob caussam Apollo — iratus aures eius asininae ut essent sempiterno effecit, cuius iudicium nulli rei facerent. Qui tamen fertur Midas esse Matris Magnae filius. Sic enim cum Hesiodo consentit Ouidius.*"

### XXXIV.

Ib. ad XIII. fab. 3. p. 875. „*Memnon, Tithoni et Aurorae filius, Priamo ferens auxilium ab Achille occiditur. Mater ergo pro assiduo officio inducendae lucis ab Ioue impetrat, ut in cineres eius adusto rogo sorores in uolucres conuertantur, Memnonides nomine. Quae memores belli quotannis ad sepulcrum eius conueniunt et inter se dimicantes sanguine suo manibus eius frequenter parentant. Et ipsa mater eius matutinis temporibus lacrimas desiderio filii sui Memnonis transmutat in rorem, quod* [leg. *cui*] *tamen monumentum in Phrygiae constituit patruus eius, ut Hesiodus uult.*"

### XXXV. (72).

Eustath. ad Il. *Δ*, 171. p. 461, 3 (350) *Πολυδίψιον δὲ τὸ Ἄργος καλεῖ, ἢ ὡς πάνυ ποθούμενον Ἕλλησιν ἢ ὅτι*

*μυθεύεται ἄνυδρον ποτε εἶναι, — — ἢ καὶ ἀπὸ τῶν Δαναΐδων, αἳ παραγενόμεναι ἐξ Αἰγύπτου φρεωρυχίαν ἐδίδαξαν ὡς Ἡσίοδος·*

*Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναὸς ποίησεν ἔνυδρον*

Legitur *εὔυδρον.* — Strabo VIII, 7. 8. p. 371 Cas. (570 Alm. T. III, p. 224 Tzchuck.) *Τὴν μὲν οὖν χώραν συγχωροῦσιν εὐυδρεῖν, αὐτὴν δὲ τὴν πόλιν ἐν ἀνύδρῳ χωρίῳ κεῖσθαι, φρεάτων δὲ εὐπορεῖν, ἃ ταῖς Δαναΐσιν ἀνάπτουσιν, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἔπος εἰπεῖν τοῦτο·*

*Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν Δαναοὶ θέσαν Ἄργος ἔνυδρον.*

Dubium est, num Strabo Hesiodi uersum respexerit, quum auctoris nomen non additum sit. Hesychius u. *Δίψιον Ἄργος· Ἡσίοδος μὲν τὸ ἔνυδρον, Ἀρίσταρχος δὲ τὸ πολυπόθητον.* Ruhnkenius praef. ad Hesych. Tom. II, p. 8 rectissime intellexit, Hesiodi nomen ferri hic non posse, et Heliodorum substituendum esse coniecit, quod frustra factum esse dicit Gaisfordus, probante, ut uidetur, Goettlingio. Plura eiusmodi confusionis exempla infra dabimus in fragmentis falsis. Strabo VIII, 370 Cas. (Tom. III, p. 219 Tz.) *Περὶ δὲ τῶν μυθευομένων πηγῶν εἴρηται, ὅτι πλάσματα τῶν ποιητῶν ἐστι· πλάσμα δὲ καὶ τὸ Ἄργος ἄνυδρον·*

*Θεοὶ δ' αὖ θέσαν Ἄργος ἄνυδρον,*

ubi Tyrwhittus uersum integrum ex altero loco restituere uolebat. Cf. Staveren. Obseru. Misc. Vol. X, p. 308.

## XXXVI. (182).

Lyncei et Hypermnestrae nepos Proetus, de cuius filiabus expositum erat in Catalogo. Strabo. VIII, 7. 6. p. 370 Cas. (III, p. 217 Tz.) *Καὶ Ἀπολλόδωρος δὲ μόνους τοὺς ἐν Θετταλίᾳ καλεῖσθαί φησιν Ἕλληνας· Μυρμιδόνες δ' ἐκαλοῦντο καὶ Ἕλληνες· Ἡσίοδον μέντοι καὶ Ἀρχίλοχον ἤδη εἰδέναι καὶ Ἕλληνας λεγομένους τοὺς σύμ-*

*παντας καὶ Πανέλληνας, τὸν μὲν περὶ τῶν Προιτίδων λέγοντα, ὡς Πανέλληνες ἐμνήστευον αὐτάς, τὸν δέ, ὡς Πανελλήνων ὀϊζὺς ἐς Θάσον συνέδραμεν.* Cf. Op. 526.

XXXVII. (28).

Suid. u. *Μαχλοσύνη, κατωφέρεια* (*καταφέρεια* corrigit Heynius ad fragm. Apollod. I, p. 440) *γυναικομανία· Ἡσιόδειος ἡ λέξις· λέγει γὰρ περὶ τῶν Προίτου θυγατέρων·*

*Εἵνεκα μαχλοσύνης στυγερῆς τέρεν ὤλεσαν ἄνθος.*

Schol. Ven. Il. Ω, 15: *καὶ ἡ μαχλοσύνη κοινῶς ἐπὶ γυναικὶ μανία. Ἡσιόδειος δ' ἐστὶν ἡ λέξις· ἐκεῖνος γὰρ πρῶτος ἐχρήσατο ἐπὶ τῶν Προίτου θυγατέρων.*

Eustath. ad l. l. p. 1337, 33 (1465) *Ἀρίσταρχος δὲ διὰ τὴν μαχλοσύνης λέξιν ἀθετεῖ τὸν στίχον· νεωτέρων γὰρ ἡ λέξις καὶ Ἡσιόδειος, ἐκείνου πρώτου χρησαμένου αὐτῇ ἐπὶ τῶν Προίτου θυγατέρων.* Ruhnkenius: „Hesiodum in hac re narranda secutus Aelianus U. H. III, 42, uerbum quoque Hesiodeum retinuit: *Ἐλέγη καὶ Κελαινή, Προίτου θυγατέρες· μαχλοὺς δὲ αὐτὰς ἡ τῆς Κύπρου βασιλὶς εἰργάσατο,* ubi uide Iac. Perizonium. Hesiodus igitur in Catalogo Heroidum tradidit, Iunonem [immo Uenerem] Proeti filias ob effusam libidinem sic puniisse, ut capitis uenustatem uitiligine uel impetigine foedaret." Uersum a Suida citatum in Hesiodi carmine excepisse proximum uidetur fragmentum. Quare pro *ὤλεσαν ὤλεσεν* scribendum suspicor, ita ut subiectum sit *ἡ τῆς Κύπρου βασιλίς* [a]). De alia narratione uide Melampodiae fr. CXCIII.

XXXVIII. (27).

Eustath. ad Od. Ν, u. 401. p. 1746, 9 (523) *ἐκ τοῦ ῥηθέντος κνύω καὶ κνύμα δακτύλων προφέρει* (*Ἡρωδιανός*)

---

a) Haec scripta erant, quum Gaisfordianum Suidae exemplum nactus uiderem hanc coniecturam tribus codicibus A. B. E. confirmari, sed eorum auctoritatem immerito a Gaisfordo neglectam esse.

ἐκ τοῦ κωμικοῦ, καὶ κνύος δὲ τὴν φθορὰν κατὰ γένος οὐδέτερον, ὁμοίως τῷ θῶ· θύος καὶ φλῶ φλίος παρ' Ἀρχιλόχῳ ἐπὶ φλυαρίας, φέρων καὶ χρῆσιν ἐκ τοῦ παρὰ Ἡσιόδῳ καταλόγου περὶ τῶν Προιτίδων·

Καὶ γάρ σφιν κεφαλῇσι κατὰ κνύος αἰνὸν ἔχευεν·
Ἄλφος γὰρ χρόα πάντα κατέσχεθεν· ἐκ δέ νυ χαῖται
Ἔῤῥεον ἐκ κεφαλέων, ψίλωτο δὲ καλὰ κάρηνα.

Uersum 1 cum Hesiodi nomine citat grammaticus in Crameri *Anecd.* I, p. 226, 16. Etym. M. p. 523, 8: κνύω, ἀφ'. οὗ κνύος ἡ φθορά, οἷον κατὰ κνίος ἔχευεν, ψίλωτο δὲ κάρηνα.

u. 2] uulg. κατέσχεν, quod, ut dedimus, correxit Heinsius, probante Ruhnkenio et Lehmanno. Minus probabiliter Heynius Obseru. ad Apollod. p. 110 κατήσχυν', et Th. Bergkius de com. Att. rel. p. 23 κατίσχναιν'. In eodem uersu Vossius Adnott. et Gloss. marg. p. 81 pro γάρ uoluit δέ. — Ἐκ δέ νυ] uulgo ἐν δέ νυ. Lehmannus tacite ἐκ scripsit, quod recipiendum uidebatur; et sic apud Loesn. p. 433 scriptum inuenio. Ψίλωτο] An ψιλοῦτο?

## XXXIX. (140).

Schol. Uen. ad Il. M. 292: Ἡσίοδος δὲ Εὐρώπης καὶ Διὸς αὐτόν (Σαρπηδόνα) φησιν. Εὐρώπην τὴν Φοίνικος Ζεὺς θεασάμενος ἔν τινι λειμῶνι μετὰ νυμφῶν ἄνθη ἀναλέγουσαν ἠράσθη καὶ κατελθὼν ἤλλαξεν ἑαυτὸν εἰς ταῦρον καὶ ἀπὸ τοῦ στόματος κρόκον ἔπνει, οὕτως τε τὴν Εὐρώπην ἀπατήσας ἐβάστασε καὶ διαπορθμεύσας εἰς Κρήτην ἐμίγη αὐτῇ· εἶθ' οὕτως συνῴκισεν αὐτὴν τῶν Κρητῶν βασιλεῖ· γενομένη δὲ ἔγκυος ἐκείνη παῖδας ἐγέννησε Μίνωα, Σαρπηδόνα καὶ Ῥαδάμανθυν. ἡ ἱστορία παρ' Ἡσιόδῳ καὶ Βακχυλίδῃ.

Schol. Uat. ad Eur. Rhes. u. 28: ἢ τὸν Εὐρώπας] παρ' Ὁμήρῳ πρὸς ὄρεσιν Εὐρώπης εἶναι τὸν Σαρπηδόνα. ὁ δὲ Ἡσίοδος Εὐρώπης μέν φησιν αὐτόν, ὡς Ἑλλάνικος. „Homerum uidetur intelligere grammaticum

nescio quem, qui male interpretatus erat Rhesi locum de terra Europa.“ Goettl. Quum duplex esset de Europae patre fama, aliis Agenorem aliis eius filium Phoenicem perhibentibus, Hesiodus in iis erat, quos Apollodorus III, 1, 1, 3 τινές uocabulo comprehendit. U. Mueller. Orch. p. 114.

XL. (47).

Apollodor. III, 14, 4, 2: Ἡσίοδος δὲ αὐτὸν (Ἄδωνιν) Φοίνικος καὶ Ἀλφεσιβοίας λέγει. Probus ad Uirg. Ecl. X, 18: *Adonis, ut Hesiodus ait Phoenicis et Alphesiboeae.*

XLI. (41)

Porphyrius in Schol. Uen. ad Il. Ξ, 200 de uoce ἀπειρέσιος. Σημαίνει δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ κατὰ τὸ εἶδος διαφέροντος καὶ ἄγαν καλοῦ, ὡς παρ' Ἡσιόδῳ ἐν γυναικῶν καταλόγῳ ἐπὶ τῆς Ἀγήνορος παιδὸς Δημοδόκης,

τὴν πλεῖστοι ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Μνήστευον καὶ πολλὰ καὶ ἀγλαὰ δῶρ' ὀνόμηναν,
Ἴφθιμοι βασιλῆες, ἀπειρέσιον κατὰ εἶδος.

Uulgo Δημοδόκης uersui primo addunt; sed genitiuus a Porphyrio, ut nomen ad suam uerborum structuram accommodaret, profectus uidetur. Quare reddidi Porphyrio. u. 2] ἐμνήστευον et ὀνόμηνας uulgo, quae Gaisfordus correxit Heynio auctore (Il. T. VI. p. 464) qui Demodocen non diuersam ab Demonice ap. Apollod. I, 7, 7 putat. Corruptius etiam uersus scripti sunt in Schol. Ambr. ad Od. Λ, 98: τὴν πλεῖστοι ἐπιχθονίων ἀνδρῶν μνηστεύοντο καὶ πόλλ' ἀγλαὰ δῶρ' ὀνόμηναν κτλ.

XLII.

Schol. Uen. ad Il. Κ, 431: Ἡ διπλῆ, ὅτι ἑτέρους τῶν Τρώων οἶδε τοὺς Φρύγας, καὶ ὅτι Ὅμηρος οὐκ οἶδε καλουμένους Λυδούς, ἀλλὰ Μῄονας. πρὸς τὰ περὶ Κιλικίας Ἡσιόδου. Lehrs. de Arist. p. 237, ubi *X* in *K* corrigas.

XLIII.

Cum Agenoris stirpe res Thebanorum coniunctae erant. Palaephatus c. 42: *ἱστοροῦσιν ἄλλοι τε καὶ Ἡσίοδος, ὅτι κιθάρᾳ τὸ τεῖχος τῶν Θηβῶν ἐτείχισαν Ζῆθος καὶ Ἀμφίων.*

XLIV. (47).

Apollod. III, 5, 6, 2 de Amphionis et Niobae prole: *Ἡσίοδος δὲ δέκα μὲν υἱούς, δέκα δὲ θυγατέρας* (sc. *φησὶν Ἀμφίονος καὶ Νιόβης γενέσθαι*). Aelian. U. H. XII, 36: *Ἐοίκασιν οἱ ἀρχαῖοι ὑπὲρ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν τῆς Νιόβης παίδων μὴ συνᾴδειν ἀλλήλοις. Ὅμηρος μὲν ἕξ λέγει καὶ τοσαύτας κόρας, Λάσος δὲ δὶς ἑπτὰ λέγει, Ἡσίοδος δὲ ἐννέα καὶ δέκα, εἰ μὴ ἄρα οὐκ εἰσὶν Ἡσιόδου τὰ ἔπη, ἀλλ' ὡς πολλὰ καὶ ἄλλα κατέψευσται αὐτοῦ. Ἀλκμὰν δέκα φησί· κτλ.* Quorum testimoniorum discrepantia sic explicanda uidetur, ut alterum (forte Aeliani) ad Eoeas, alterum ad Catalogum referatur.

XLV.

Schol. Uen. ad Il. Ψ, 681: *καὶ Ἡσίοδος δέ φησιν ἐν Θήβαις αὐτοῦ* (sc. *Οἰδίποδος*) *ἀποθανόντος Ἀργείαν τὴν Ἀδράστου σὺν ἄλλοις ἐλθεῖν ἐπὶ τὴν κηδείαν αὐτοῦ.*

XLVI. (167).

Orchomeni ex Elara filius Tityus. Schol. Apoll. Rh. I, 761. — Etym. M. p. 60, 40 de formis *Ἐλάρα* et *Ἀλέρα. Ὅτι δὲ τὸ πρῶτόν* (*Ἐλάρα*) *ἐστὶν ἀληθές, πίστις τούτου ἐκ τοῦ παρ' Ἡσιόδῳ μετὰ προςθήκης τοῦ ι λέγεσθαι τὸ πατρωνυμικόν· Ἐλαριάδην γάρ φησι Τιτυόν.*

Boeckhius ad fr. Pind. 138, p. 635, Hesiodum *Ἐλαράδην* dixisse, probabilius Hermannus *Ἐλαρίδην*, comparans *Φιλυρίδην* Theog. 1002, Lehmannus (fr. 131) *Ἐλαριάδην* ferri posse iudicat, citans Thierschii Gr. Gr. p. 177.

XLVII. (192).

Eustath. ad Il. B, 511. p. 272, 18 (206) *Ὀρχομενοῦ γάρ, φασίν, υἱοί*

*Ἀσπληδὼν Κλύμενός τε καὶ Ἀμφίδοκος θεοειδής.*

Hunc uersum, quem etiam Steph. Byz. u. Ἀσπληδών habet, Hesiodo probabili coniectura tribuunt Hermannus et Buttmannus de Minyis. Commentt. Acad. Ber. 1820. 21. p. 178.

XLVIII. (153).

Eustath. ad Il. *B*, u. 523. p. 275, 7 (208) καὶ Ἡσίοδος περὶ Κηφισσοῦ λέγει

*Ὅστε Λιλαίηθεν προχέει καλλίρροον ὕδωρ.*

Quem uersum, licet etiam in Hom. Hymn. Apoll. 241 legatur, Ruhnkenius ep. cr. p. 106 Hesiodo recte non abiudicauit. Nam Hesiodo tribuitur etiam a Schol. Uen. ad l. l. ὁ δὲ Κηφισὸς ποταμός ἐστι τῆς Φωκίδος, ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λιλαίας, ὥς φησιν Ἡσίοδος

*Ὅστε Λιλαίηθι προϊεῖ καλλίρροον ὕδωρ.*

Schol. Lips. ad l. l. a Bachmanno ed. Λίλαιαν] τόπος παρὰ τὸν Παρνασσόν, ἀπὸ Λιλαίας τῆς Κηφισοῦ θυγατρός, οὗ μέμνηται καὶ Ἡσίοδος.

Goettl. προϊεῖ emendauit; legitur προΐει. Scholiastae Uenet. scriptura sine dubio uerior.

XLIX. (132).

Strabo. IX, 3, 17. p. 424 Cas. 649 Alm. (III, 538 Tz.) de Cephiso: καὶ Ἡσίοδος δ' ἐπὶ πλέον περὶ τοῦ ποταμοῦ λέγει καὶ τῆς ῥύσεως, ὡς δι' ὅλης ῥέοι τῆς Φωκίδος σκολιῶς καὶ δρακοντοειδῶς·

*ὅς παρὰ Πανοπίδα Γλήχωνά τ' ἐρυμνήν;*
*καί δὲ δι' Ὀρχομενοῦ εἰλιγμένος εἶσι, δράκων ὥς.*

Uersum alterum citat Schol. ad Arat. Phaen. u. 45: Ἡσίοδος γὰρ τὸν ποταμὸν εἴκασε δράκοντι εἰπών· καί τε διερχόμενος ἠπειγμένος ἐστὶ δράκων ὥς. Theo ad l. l. p. 272 ed. Buhl. καί τε διερχόμενος ἐπειγμένος εἰσὶ δράκων ὥς. Recte Strabonis scripturam praetulerunt Ruhn-

kenius et Heringa obs. crit. c. II, p. 18. Ceterum Strabo δὲ habet, non τε, ut Gaisfordus, Dindorfius, Lehmannus et Goettlingius Ruhnkenio temere credentes dicunt. διερχόμενος in Schol. Arateis corruptum uidetur e δι' Ἐρχομενοῦ, quod ante Goettlingium iam animaduerterat E. de Leutsch. in Ephem. Litt. Hall. 1831. N. 189. p. 219, citans Islerum (Quaest. Hes. p. 10), O. Muellerum (Orch. p. 129. 480), Boeckhium (Corp. Inscr. I, p. 42. 718. 722). εἶσι recte restituerunt Heringa et Ruhnkenius. Victorius Uar. Lectt. XXXIII, 15 εἰσί. De Strabonis libris mihi parum constat. U. 1. cod. Moscou. Παροπιδιὰ (sic). Idem liber cum Mediceo Γλήχωνα, quod cum Hermanno praeferendum duco. Goettlingio legendum uidetur ὃς παρὰ μὲν Πανοπῆα ῥέει Γλ. uel ὃς παρὰ γῆν Πανοπηϊάδα. Priorem emendandi rationem, quam non prorsus improbat Hermannus, etiam Vossius (Adn. et Gl. m. p. 81) inierat, hanc quoque alteram coniecturam addens ὃς παρὰ Πανοπίδα προρέει Γλ. Hermannus hos duos uersus cum superiore fragmento ita coniungendos putat, ut pro ὅς, ex antecedente uersu ducto, καὶ restituatur et Πανοπίδα nominis epitheton excidisse existimetur. Mihi quoque coniungendi uidentur, nec tamen epitheton desidero. His expositis iam totum locum emendatum adscribam:

*ὅστε Λιλαίηθεν προχέει καλλίῤῥοον ὕδωρ,*
*καὶ παρὰ Πανοπίδα [προῤῥέει] Γλήχωνά τ' ἐρυμνήν,*
*καὶ δὲ* (siue *τε*) *δι' Ἐρχομενοῦ εἰλιγμένος εἶσι, δράκων ὥς.*

„Hesiodum imitatur Apollonius Rhod. IV, 1541: *Ὡς δὲ δράκων σκολιὴν εἰλιγμένος ἔρχεται οἶμον.* De comparatione fluminis cum serpentum lapsu uide Io. Dauisium ad Cicer. de N. D. II, 42.“ Ruhnk.

L. (133).

Schol. Pind. Ol. XIV, 1: *Κηφισὸς δὲ ποταμὸς ἐν Ὀρχομενῷ, ἔνθα καὶ αἱ Χάριτες τιμῶνται· ταύταις γὰρ*

*Ἐτέοκλος ὁ Κηφισοῦ τοῦ ποταμοῦ υἱὸς πρῶτος ἔθυσεν, ὥς φησιν Ἡσίοδος· διὰ δὲ τοῦ Ὀρχομενοῦ ὁ Κηφισὸς ῥεῖ.*

Disiectum perturbatumque esse scholion et ita emendandum, ut uerba *ὥς φησιν Ἡσ.* ad postrema *διὰ δὲ τοῦ Ὀ. ὁ Κ. ῥεῖ* referantur, suspicatur Hermannus, quae coniectura, quanquam non prorsus improbabilis, tamen adeo incerta est, ut non liceat scholiastae testimonium ad praecedens fragmentum tuto referre. Lehmannus autem (ad fr. 126 aperte errat scribens: „Schol. Uict. Il. ed. Heyn. VI, p. 654 (ad *Ξ*, 276) dicit Hesiodum nescire nomina Gratiarum.“ Scholiastae uerba haec sunt: *οὐκ οἶδε δὲ* (sc. Homerus) *τὰ παρ' Ἡσιόδῳ* (sc. Theog. 909) *ὀνόματα τῶν Χαρίτων.* Homerus enim unam Gratiarum *Πασιθέην* dixit.

## LI.

Schol. Uen. ad Il. *H*, 9: *ὁ γὰρ τοῦ Μενεσθίου πατὴρ Ἀρηΐθοος Βοιωτὸς ἦν, κατοικῶν Ἄρνην· ἔστι δὲ αὕτη Βοιωτίας, ὡς καὶ Ἡσίοδός φησι.*

Haec non ad Scut. u. 475 pertinere patet; ibi Arne Thessaliae urbs memoratur. Uidetur hoc ad Eoeas pertinere cf. Fragm. CXLVII.

## LII.

Steph. Byz. u. *Ὀγχηστός· ἄλσος* (*Βοιωτίας* add. Berckel.) — — *κεῖται δὲ ἐν τῇ Ἁλιαρτίων χώρᾳ, ἱδρυθὲν δ' ὑπὸ Ὀγχηστοῦ τοῦ Βοιωτοῦ, ὥς φησιν Ἡσίοδος.*

## LIII. (125).

Steph. Byz. u. *Αἰγαῖον πέλαγος· λέγεται καὶ ἀρσενικῶς Αἰγαῖος, ἔστι καὶ Αἰγαῖον πεδίον, σύναπτον τῇ Κίρρᾳ, ὡς Ἡσίοδος· λέγεται παρὰ Αἶγαν ποταμὸν φερόμενον ἀπὸ τοῦ περὶ τὸ Πύθιον ὄρους, ἀφ' οὗ καὶ τὸ πεδίον Αἰγαῖον.*

Recepi egregiam Casauboni (ad Strab. p. 44) coniecturam, MSS. Pal. et Voss. auctoritate firmatam, pro uulgato *παρὰ αἰγά ποτε φερομένην.* Cf. Eustath. ad

Dion. Per. 22. — Goettlingius Mueller. Dor. I, 318 citauit. Ad Boeotiae fabulas spectant etiam fr. CXLV — CXLVIII.

LIV. (100).

Pelasgi stirps.

Apollodor. II, 1, 1, 7: *Νιόβης δὲ καὶ Διός, ᾗ πρώτῃ γυναικὶ Ζεὺς θνητῇ ἐμίγη, παῖς Ἄργος ἐγένετο, ὡς δὲ Ἀκουσίλαός φησι καὶ Πελασγός, ἀφ' οὗ κληθῆναι τοὺς τὴν Πελοπόννησον οἰκοῦντας Πελασγούς. Ἡσίοδος δὲ τὸν Πελασγὸν αὐτόχθονά φησιν εἶναι.* Sic etiam III, 8, 1 dicit. Seruius ad Uirgil. Georg. II, 83: *Pelasgi a Pelasgo terrae filio, qui in Arcadia genitus dicitur, ut Hesiodus tradidit.* Cf. Asii fr. VIII.

LV. (101).

Strabo. V, 2, 4. p. 221 Cas. 338 Alm. (Tom. II, p. 128 Tz.) dicit Ephoro, ut Pelasgos ex Arcadia ortos narraret, Hesiodum fuisse auctorem: *φησὶ γάρ·*

*Υἱεῖς ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο,*
*Ὅν ποτε τίκτε Πελασγός.*

Legebatur ἐξ ἐγ., quod, licet a Coraio emendatum, Dindorfius et Goettlingius reliquerunt, Lehmannus correxit.

LVI.

Steph. Byz. u. *Παλλάντιον, πόλις Ἀρκαδίας, ἀπὸ Πάλλαντος, ἑνὸς τῶν Λυκάονος παίδων, ὡς Ἡσίοδος.*

*Παλάντιον* antiqq. edd., sed duplicatam litteram ipse litterarum ordo flagitat. Ceterum hic Pallas deest in Apollodori (III, 8, 1. 3) recensu. Ad Arcadiae fabulas pertinet etiam fr. CLXXXII.

LVII. (99).

Lycaonis fratrem forte Phellum dicebat Hesiodus. Hesiod. *περὶ μον. λεξ.* p. 11, 24: *Φέλλος τὸ κύριον. Ἡσίοδος·*

*Φέλλον ἐΰμμελίην τέκε τῇ Μελιβοίᾳ.*

Cod. ἐϋμελ. corr. Dind. Goettlingius uersum sic explendum putat: τέκε τηλεκλυτῇ Μελιβοίῃ. Melius Hermannus τέκετο κλειτὴ Μελίβοια. Meliboeam Lycaonis matrem dicit Apollod. III, 8, 1, 2. Diuersa erat Niobae et Amphionis filia quae Dianae tela effugisse dicebatur Apollod. III, 5, 6, 5.

LVIII. (42).

Herodian. περὶ μον. λεξ. p. 18, 24: τὰ διὰ τοῦ ανη ἐκφερόμενα θηλυκὰ μονογενῆ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς πάντα βαρύνεται, πτισάνη, δρεπάνη, σαργάνη, βρυκάνη, τρυπάνη· ἀλλὰ μόνον τὸ μηχανὴ σημειοῦται ὀξυνόμενον. προςέθηκα ὑπὲρ δύο συλλαβὰς διὰ τὸ φανὴ παρ' Ἡσιόδῳ ἐν δευτέρῳ [sc. καταλόγῳ] εἰρημένον.

*οἳ πρόσθε φανὴν ἔντοσθεν ἔχευθον.*

Uulgo οἱ, Goettling, Doctr. Acc. p. 153.

LIX.

In tertio Catalogorum libro de Argonautarum expeditione expositum fuisse uerisimile est, quacum Phinei fabula coniuncta erat. (Ad res Argonautarum spectant etiam fr. CLIX et CLX). Argonautarum recensum exhibuit Hesiodus. Schol. Apoll. Rhod. I, 45: Ἐπισημαίνεσθαι δ' ἄξιον, ὡς οὔτε Ἡσίοδος οὔτε Φερεκύδης φησὶ συμπεπλευκέναι τοῖς Ἀργοναύταις Ἴφικλον.

LX. (61).

Schol. Apollon. Rhod. II, 178: Ἀγήνορος γὰρ παῖς ἐστιν, (ὁ Φινεὺς) ὡς Ἑλλάνικος· ὡς δὲ Ἡσίοδός φησιν, Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος καὶ Κασσιεπείας. ὁμοίως δὲ καὶ Ἀσκληπιάδης καὶ Ἀντίμαχος καὶ Φερεκύδης φησίν. ἐκ γὰρ τῆς Κασσιεπείας τῆς Ἀράβου Φοίνικι γίνεται Κίλιξ καὶ Φινεὺς καὶ Δόρυκλος. ὁ δὲ Ἀτύμενος [Ἄτυμνος Par. Ἀτύμνιος Apollod. III, 1, 2. Cf. Salm. ad Sol. p. 121 A. Well.] κατὰ μὲν ἐπίκλησιν καὶ αὐτὸς τοῦ Φοίνικος,

*ταῖς δὲ ἀληθείαις τοῦ Διός.* — Paullo post: *Ὁ δὲ Ἡσίοδος τοῦ Φοίνικος αὐτόν φησι τοῦ Ἀγήνορος.*

Poteram hunc locum cum tribus proximis (et forte rectius) etiam post fr. XXXIX ponere.

LXI. (62).

Schol. Apoll. Rhod. II, 181. Occoecatum Phineum dixit Hesiodus *ἐν τῷ γ' καταλόγῳ, ἐπειδὴ τὸν μακρὸν χρόνον τῆς ὄψεως προέκρινεν*, uel ut Schol. ad u. 178 dicit, *ὅτι πολυχρόνιος εἵλετο μᾶλλον εἶναι ἢ βλέπειν.* Cf. Fragm. CLX.

LXII.

De Phinei liberis Schol. Apoll. Rhod. l. l. *Παῖδας δὲ αὐτοῦ φασι γενέσθαι Μαριανδυνὸν καὶ Θύνον· καὶ ἀπὸ μὲν Θύνου Θυνηΐδα, ἀπὸ δὲ Μαριανδυνοῦ Μαριανδυνίαν προσαγορευθῆναι λέγουσιν.*

Aliquam certe horum partem ex Hesiodo petitam esse testatur Schol. Par.: *παῖδας δέ φησιν αὐτῷ γενέσθαι Ἡσίοδος Μ. καὶ Θ.*

LXIII. (121).

Strabo. VII, 3, 9. p. 302 Cas. 463 Alm. (T. II. p. 368 Tz.) affert Ephori de Scythis narrationem, quem testatur dixisse: *εἶναι γάρ τινας τῶν Νομάδων Σκυθῶν γάλακτι τρεφομένους ἵππων* [*οὓς* add. Cas.], *τῇ δικαιοσύνῃ πάντων διαφέρειν· μεμνῆσθαι δ' αὐτῶν τοὺς ποιητάς· Ὅμηρον μὲν „Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων" φήσαντα τὴν γῆν καθαρᾶν· τὸν Ἡσίοδον δὲ ἐν τῇ καλουμένῃ Γῆς Περιόδῳ, τὸν Φινέα ὑπὸ τῶν Ἁρπυιῶν ἄγεσθαι·*

*Γλακτοφάγων εἰς αἶαν, ἀπήναις οἰκί' ἐχόντων.*

Porson. Aduers. p. 316 coniecit *ἀπήνας*; Lehrs. Quaest. ep. p. 261 *γαῖαν*; *αἶα* enim eiusmodi tantum locis poni, ubi uersus *γαῖα* respuat.

LXIV. (122).

Strabo. VII, 3, 7. p. 300 Cas. 460 Alm. (II, p. 362 Tz.) *Πῶς οὖν ἠγνόει τοὺς Σκύθας ὁ ποιητής,*

ἱππημολγοὺς καὶ γαλακτοφάγους προςαγορεύων; ὅτι γὰρ οἱ τότε τούτους ἱππημολγοὺς ἐκάλουν καὶ Ἡσίοδος μάρτυς ἐν τοῖς ὑπ' Ἐρατοσθένους παρατεθεῖσιν ἔπεσιν·

*Αἰθίοπάς [τε] Λίγυάς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς.*

Strabonis libri sic habent: *Αἰθίοπάς τε Λιγυστὶ δὲ Σκύθας ἱππημολγούς.* Heinsius *Αἰθίοπας Λίγυάς τ' ἠδὲ Σκύθας ἱππημολγούς*, ut Goettlingius quoque uult. Ab quibus non differt Clericus, nisi quod *Λίβυάς τ' ἠδὲ* scripsit. Seidel. in fragm. Eratosth. p. 16: *Αἰθίοπας Λίγυάς τε* (uel *Λίβυάς τε*), *Σκύθας δέ γε ἱππημολγούς.* Eadem caussa ductus, quum *ας* terminationem accusatiui pl. pr. decl. saepe corripi ab Hesiodo non meminisset, Heynius ad Hom. Il. *N*, 6. p. 369 sic legendum putat, *Αἰθίοπες Λίβυές τ' ἠδὲ Σκύθαι ἱππημολγοί*, uiolentissima emendatione. Pariter male Tzschuckius: „Forte *Αἰθίοπας Λίγυάς τε Σκύθας τούς θ' ἱππημολγούς.* Forte uerbum extusum excidit; quod suppleri posse significat in epistola Iacobs.: *Αἰθίοπας Λίβυάς τε Σκύθας θ' ἵκεθ' ἱππημολγούς.*“ Nec melius Lehmannus: *Αἰθίοπάς τε Λίγυς ἠδὲ Σκ. ἱππ.* Rectius Naekius ad Choer. p. 124: *Αἰθίοπας Λίγυάς τε ἰδὲ Σκύθας ἱππημολγούς*, quocum fere consentiunt Vossius ad Hom. Hymn. in Cer. 191. Niebuhr. opusc. min. hist. I, p. 365. Leutschius in Ephem. Hal. 1831. N. 189. p. 226 et Hermannus. Sed teneri posse uidetur prius *τε*, si *Λίγυας* per synizesin in duas syllabas contrahitur. Cf. Scut. H. u. 3. 16. 294.

## LXV.

Apollod. I, 9, 21, 7: *Διωκομένων δὲ τῶν Ἁρπυιῶν, ἡ μὲν κατὰ Πελοπόννησον εἰς τὴν Τίγρην ποταμὸν ἐμπίπτει, ὃς νῦν ἀπ' ἐκείνης Ἅρπυς καλεῖται. ταύτην οἱ μὲν Νικοθόην, οἱ δὲ Ἀελλόπουν καλοῦσιν· ἡ δὲ ἑτέρα καλουμένη Ὠκυπέτη, ὡς δὲ ἔνιοι Ὠκυθόη, Ἡσίοδος δὲ λέγει αὐτὴν Ὠκυπόδην, αὕτη κατὰ τὴν Προποντίδα φεύγουσα μέχρις Ἐχινάδων ἦλθε νήσων, αἳ νῦν ἀπ' ἐκείνης Στρο-*

*φάδες καλοῦνται.* Cf. Theog. 267. Muetzell. de em. Theog. p. 445.

LXVI.

Strabo. I, 3. p. 59 Cas. 103 Alm. (I, p. 159 Tzsch.) *καὶ ἡ πρότερον δὲ Ἀρεμίτα λεγομένη μία τῶν Ἐχινάδων νήσων ἤπειρος γέγονε. καὶ ἄλλας δὲ τῶν περὶ τὸν Ἀχελῶον νησίδων τὸ αὐτὸ πάθος φασὶ παθεῖν ἐκ τῆς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ προςχώσεως τοῦ πελάγους· συγχοῦνται δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ ὡς Ἡσίοδός φησιν.* Sed cf. quae monuit Muetzell. de em. Th. p. 305 not.

LXVII. (143).

Schol. Apoll. Rhod. II, 297: *Ὅτι δὲ ηὔξαντο οἱ περὶ Ζήτην τῷ Διὶ στραφέντες καταλαβεῖν αὐτάς* (Harpyias), *λέγει καὶ Ἡσίοδος·*

*Ἔνθ' οἵγ' εὐχέσθην Αἰνηΐῳ ὑψιμέδοντι.*

*ἔστι γὰρ Αἶνος ὄρος τῆς Κεφαλληνίας, ὅπου Αἰνησίου* (*Αἰνηνίου* Par.) *Διὸς ἱερόν ἐστιν.* Schol. Par. *ἔνθ' οἳ εὔχεσθον. εὔχεσθον* scripsit Boisson.

LXVIII. (143).

Ibid. paullo post: *Ἀπολλώνιος μὲν οὖν τὴν ἀποστρέψασαν τοὺς περὶ Ζήτην Ἶριν λέγει, Ἡσίοδος δὲ Ἑρμῆν.*

LXIX. (147).

Schol. Apoll. Rhod. II, 296: *Οἱ δὲ Στροφάδας φασὶν αὐτὰς κεκλῆσθαι, καθὸ ἐπιστραφέντες αὐτόθι ηὔξαντο τῷ Διὶ καταλαβεῖν τὰς Ἁρπυίας. κατὰ δὲ Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον καὶ Ἀπολλώνιον οὐ κτείνονται.*

LXX. (43).

Herodianus *περὶ μον. λέξ.* p. 42. l. 12: *Νοῦθος κύριον, ψόφος ἐν οὔδει. Ἡσίοδος ἐν τρίτῳ.*

*νοῦθος δὲ ποθῶν ὕπο δοῦπος ὀρώρει.*

*Τρίτῳ* scilicet *καταλόγῳ.* Dind. Goettlingius *ὑπό*, errore, ut uidetur, typographico [illegible] di de Iasone

*Marckscheffelii comment.*

cum tauro pugnante dicta fuisse suspicatur Lehmannus (fr. 51).

## LXXI.

Apollon. Dyscol. de pron. p. 125 A. Bekk. ὑπὸ γὰρ Ἡσιόδου ἐν ἀρχῇ τεθεῖσα (ἡ σφίν) εὐλόγως ὠρθοτονήθη ἐν τρίτῳ·

*σφίν δ' αὐτοῖς μέγα πῆμα.*

Gramm. in Cram. Anecd. Gr. I, p. 388, 20: ἅπαξ δ' ὠρθοτονήθη παρ' Ἡσιόδῳ, ἐπεὶ καὶ προετάγη· σφίν τ' αὐτοῖς μέγα πῆμα.

Recte fecit Goettlingius, quod non Schaefero obsecutus haec uerba Oper. u. 56 intulit cum Spohnio et Dindorfio. Sed in eo errasse uidetur, quod ἐν τρίτῳ uocabulo προςώπῳ supplendum putauit, quum sit ἐν τρίτῳ καταλόγῳ, ut recte monuerunt Hermannus (Opusc. VI, p. 224) et Lehmannus ad fr. 56, qui de Argonautis locum intellexit.

## LXXII. (173).

Harpocration, Photius et Suidas u. ὑπὸ γῆν οἰκοῦντες· λέγοι ἂν τοὺς ὑπὸ Σκύλακος ἐν τῷ Περίπλῳ λεγομένους Τρωγλοδύτας καὶ τοὺς ὑπὸ Ἡσιόδου ἐν γ' Καταλόγου Κατουδαίους ὀνομαζομένους. Hesych. u. Κατουδαίους citauit Hermannus. Cf. Valesium ad Harpocr. l. l.

## LXXIII. (44).

Harpocr. u. Μακροκέφαλοι· ἔθνος ἐστὶν οὕτω καλούμενον, οὗ καὶ Ἡσίοδος ἐν τρίτῳ γυναικῶν καταλόγῳ μέμνηται. Παλαίφατος δ' ἐν ἑβδόμῃ τῶν Τρωϊκῶν ἐν τῇ Λιβύῃ φησὶν ὑπεράνω Κόλχων οἰκεῖν τοὺς Μακροκεφάλους.

„Hesiodum Μακροκαρήνους eam gentem uocasse coniicit Meinekius ad fragm. Menandri p. 11. Recte. Nam etiam in Theog. u. 387 MSS. habent τρικέφαλον pro τρικάρηνον.“ GOETTL. Aliter de hac re iudicant

Muetzellius de emend. Theog. p. 449 sq. Thierschius gr. Gr. 177. Lehmannus poetam idem nomen atque Herodotum II, 104 usurpasse putat, *Μάκρονες* aut *Μάκρωνες*, ut legitur apud Schol. Apollon. Rhod. I, 1024.

### LXXIV. (126).

Strabo. I, p. 43 Cas. 72 Alm. (I, p. 115 Tz.). *Ἡσιόδου δ' οὐκ ἄν τις αἰτιάσαιτο ἄγνοιαν, Ἡμίκυνας λέγοντος καὶ Μακροκεφάλους καὶ Πυγμαίους.* Id. VII, 3. 6. p. 299 Cas. (T. II, p. 356 Tz.) *Οὐ θαυμαστὸν δ' εἶναι* (sc. ait Eratosthenes) *περὶ Ὁμήρου· καὶ γὰρ τοὺς ἔτι νεωτέρους ἐκείνου πολλὰ ἀγνοεῖν καὶ τερατολογεῖν, Ἡσίοδον μὲν Ἡμίκυνας λέγοντα καὶ Μεγαλοκεφάλους καὶ Πυγμαίους.* Etiam Stephanus Byz. u. *Ἡμίκυνες* de hoc populo Hesiodi testimonio usus erat, sed uersus perierunt. Simmias teste Stephano l. l. hanc gentem sic descripsit: *Ἡμικύνων τ' ἐνόησα γένος περιώσιον ἀνδρῶν, | τῶν ὤμων καθύπερθεν ἐϋστεφέων κύνεος κρὰς | τέτραπται γαμφηλῇσι περικρατέεσσιν ἐρυμνός. | τῶν μέν θ' ὥστε κυνῶν ὑλακὴ πέλει, οὐδέ τι τοίγε | ἄλλων ἀγνώσσουσι βροτῶν ὀνομάκλυτον αὐδήν.*

### LXXV. (129).

Herodot. IV, 32: *Ἀλλ' Ἡσιόδῳ μέν ἐστι περὶ Ὑπερβορέων εἰρημένα, ἔστι δὲ καὶ Ὁμήρῳ ἐν Ἐπιγόνοισι, εἰ δὴ τῷ ἐόντι γε ταῦτα τὰ ἔπη Ὅμηρος ἐποίησεν.* Wolfii Prol. p. 157 citauit Goettling.

### LXXVI. (123).

Schol. Aeschyl. 792: *Περὶ ὧν* (sc. *γρυπῶν*) *Ἡσίοδος πρῶτος ἐτερατεύσατο.*

### LXXVII. (59).

Schol. Apollon. Rhod. IV, 284: *Ἡσίοδος δέ φησι, διὰ Φάσιδος αὐτοὺς* (sc. *Ἀργοναύτας*) *πεπλευκέναι. Ἑκαταῖος δὲ ἐλέγχων αὐτὸν ἱστορεῖ, μὴ ἐκδιδόναι εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν, οὐδ' ὡς διὰ Ταναΐδος ἔπλευσαν,*

ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον. Uide Weichert. de Apollon. Rhod. p. 171. Not 214.

LXXVIII. (60).

Schol. Apoll. Rhod. IV, 259: Ἡσίοδος δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λυδῇ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φησιν ἐλθεῖν αὐτοὺς (Ἀργον.) εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι. Vossii epist. myth. II, 190, alte Weltkunde p. VII citauit Lehmannus.

LXXIX. (127).

*Ulixis errores.*

Strabo. I, p. 23 Cas. 42 Alm. (I, p. 61 Tz.) Ἐρατοσθένης δὲ Ἡσίοδον μὲν εἰκάζει πεπυσμένον περὶ τῆς Ὀδυσσέως πλάνης, ὅτι κατὰ Σικελίαν καὶ Ἰταλίαν γεγένηται, πιστεύσαντα τῇ δόξῃ μὴ μόνον τῶν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένων μεμνῆσθαι, ἀλλὰ καὶ Αἴτνης καὶ Ὀρτυγίας τοῦ πρὸς Συρακούσαις νησίου καὶ Τυῤῥηνῶν. O. Mueller. Dor. I, p. 377: „Die Sicilische Ortygia kam nun schon bei Hesiod vor, nämlich in einem jüngern Gedicht als Ol. 5, vor welcher Zeit die Insel ohne Bedeutung für die Hellenen war."

LXXX.

Schol. Apoll. Rh. III, 311: Ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς κατὰ τὸ Τυρσηνικὸν πέλαγος ὑποτιθεμένοις τὴν Ὀδυσσέως πλάνην, ὧν ἀρχηγὸς Ἡσίοδος, κατῳκηκέναι λέγων Κίρκην ἐν τῷ προειρημένῳ πελάγει.

LXXXI.

Ibid. paullo post: φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος Ἡσιόδῳ ἑπόμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος τοῦ Ἡλίου εἰς τὴν κατὰ Τυῤῥηνίαν κειμένην νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν.

LXXXII. (128).

Schol. Apoll. Rh. IV, 892: Ἠκολούθησεν (Ἀπολλώνιος) Ἡσιόδῳ, οὕτως ὀνομάζοντι τὴν νῆσον τῶν Σειρήνων

νῆσον ἐς Ἀνθεμόεσσαν, ἵνα σφίσι δῶκε Κρονίων.

ὀνόματα δὲ αὐτῶν Θελξιόπη ἢ Θελξινόη, Μολπή, Ἀγλαόφωνος. „Vossius ep. myth. II, p. 40 ad Odyss. *M*, 159 prouocans uult ἀνθεμόεσσαν scribi.“ Lehm. Sed cf. Weichert. de Apollon. Rhod. uita et scr. p. 208.

## LXXXIII. (164).

Eustath. ad Od. *M*, 169. p. 1710, 39 (472 B.) ἐνταῦθά φασιν οἱ παλαιοὶ ὅτι Ἡσίοδος ἐντεῦθεν λαβὼν ἐμυθεύσατο ὑπὸ Σειρήνων καὶ τοὺς ἀνέμους θέλγεσθαι.

Schol. ad l. l. Ἐντεῦθεν Ἡσίοδος καὶ τοὺς ἀνέμους θέλγειν αὐτὰς ἔφη.

## LXXXIV.

Schol. Odyss. *A*, 85: Ὠγυγίην ἐν τῇ κατ' Ἀντίμαχον Ὠγυλίην γράφεται· διαφέρουσι δὲ οἱ τόποι· τὴν μὲν γὰρ Ὠγυγίην ἐντὸς εἶναι πρὸς ἑσπέραν, τὴν δὲ κατὰ Κρήτην. Ἡσίοδός φησι κεῖσθαι τὸν δ' Ὠγύλιον. ἠδ' Ὠγύλη. νῆσον δὲ ταύτην οἱ καλοὺς καλοῦσιν. Ad haec uerba corruptissima, quae intacta reliquit Buttmannus, illustranda aliquid ualere putat Lehmannus Stephanum Byz. u. Ὠγυλίη. Ὠγυλίη νῆσος ἔνθα Ὀδυσσεὺς ἐκ τῆς ναυαγίας ἐξερρίφη. Idem οἱ παλαιοὶ pro οἱ καλοὺς scribendum esse existimat. Dixit de hoc loco etiam Schneidewinus in Exercitt. critt. in Poet. min. p. 26; qui, quae uerba ad Hesiodum pertinent, ea sic emendanda censet: Ἡσίοδός φησι καλεῖσθαι Ὤγυλον, οἱ δὲ Ὠγύλην.

## LXXXV. (144).

Schol. Apollon. Rhod. I, 757: διαφέρει πλήμνη καὶ πλήσμη· ἡ μὲν γὰρ τὴν χοινικίδα σημαίνει τοῦ τροχοῦ, ἡ δὲ πλήσμη τὴν πλήμμυραν τοῦ ποταμοῦ. διόπερ παρ' Ἡσιόδῳ οὕτως ἀναγνωστέον·

Αὐτὸς δ' ἐν πλήσμῃσι διϊπετέος ποταμοῖο,

καὶ οὐχ ὥς τινες·

ἐν πλήμνῃσι,

*εἰ μὴ ἔξωθεν προσλάβοιμεν τὴν σὺν πρόθεσιν ἵν' ᾖ σὺν πλήμνησι.* E uerbis postremis colligi potest, *αὐτὸς δὲ πλήσμησι* scriptum fuisse.

Lehmannus, qui Valcken. ad Ammon. p. 150 (197) citauit, haec non male de Ulixe naufragium passo et ad Phaeacum insulam natante intellexit. — Bachm. Anecd. Gr. II, p. 379, 19: *πλῆμναι, αἱ πλημμυρίδες τῶν ποταμῶν, πλῆσμαι δὲ αἱ τῶν τροχῶν σύριγγες.* Cf. Schol. ad Hes. Scut. 309.

## LXXXVI. (77).

Schol. ad Od. *H*, 54: *Ἡσίοδος ἀδελφὴν Ἀλκινόου τὴν Ἀρήτην ὑπέλαβεν.*

## LXXXVII. (18).

Schol. ad Od. *H*, 104: *μύλη γὰρ καὶ τὸ ἄκρον τοῦ μηροῦ. καὶ Ἡσίοδος γάρ φησι τὸ*

*ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι μήλοπα καρπόν,*

*ἐπὶ τῆς ἠλακάτης στρεφομένης δίκην μύλης· μήλοπα γὰρ τὸν τῶν προβάτων καρπόν, ἤτοι τὸν μαλλόν.*

*ἔπι*] uulgo *ἐπί*: corr. Herm. et Lehmannus, qui de Alcinoi ancillis molentibus uerba accepit.

## LXXXVIII.

Res Achaicae.

Stephan. Byz. u. *Ὑπερησία, πόλις τῆς Ἀχαΐας — — τὸ ἐθνικὸν τῆς Ὑπερησίας Ὑπερησιεύς, καὶ θηλυκὸν Ὑπερησὶς παρ' Ἡσιόδῳ.*

## LXXXIX. (91).

Apollod. I, 8, 4: *Ἀλθαίας δὲ ἀποθανούσης ἔγημεν Οἰνεὺς Περίβοιαν τὴν Ἱππονόου· ταύτην ὁ μὲν γράψας τὴν Θηβαΐδα πολεμηθείσης Ὠλένου, λέγει λαβεῖν Οἰνέα γέρας. Ἡσίοδος δὲ ἐξ Ὠλένου τῆς Ἀχαΐας ἐφθαρμένην ὑπὸ Ἱπποστράτου τοῦ Ἀμαρυγκέως Ἱππόνουν τὸν πατέρα πέμψαι πρὸς Οἰνέα πόῤῥω τῆς Ἑλλάδος ὄντα, ἐντειλάμενον ἀποκτεῖναι.* Uersus Hesiodios, ad hanc narrationem pertinentes,

quamuis mutilos, habemus in Schol. Pind. Ol. XI (X), 46: τὴν πόλιν δὲ καλεῖσθαί φασι Φύκτεον (Φυκτέαν Urat.), ἀπό τινος Φυκτέως, οὗ μέμνηται καὶ Ἡσίοδος οὕτω·

*Τὴν δ' Ἀμαρυγκείδης Ἱππόστρατος, ὄζος Ἄρηος,*
*Φυκτέος ἀγλαὸς υἱὸς, Ἐπειῶν ὄρχαμος ἀνδρῶν.*

U. 1] apud Goettlingium δ' excidit. U. 2] uulgo Φυκτέως, quod licet a Boeckhio emendatum reliquerunt editores. Iam Heinsius Φυκτέος ediderat, pro quo Φυκτέως reduxit Robins. Uide Muetzell. de em. Theog. p. 107. Uratisl. D misere mutilatum uersum sic exhibet: Φυκτεὺς ὄρχαμος ἀνδρῶν. Heynius ad Apollod. T. II, p. 52, postquam ἔγημε uel simile quid supplendum significauit, sic pergit: „uix tamen sana haec; nam eundem Phyctei filium et Amaryncidem appellatum tradere uix potuit. Forte de certamine agebatur et τὸν δ' — Φυκτέως (ac potius Φυκτέος) ἀγλαὸν υἱὸν uicerat Hippostratus. Damno tamen et hanc coniecturam; nam in patris Amaryncei ludis funebribus uix filius certasse uidetur. Uersus in medio excidisse uidetur."

Postremam coniecturam pro sua uenditans etiam Lehmannus (fr. 27) probat. (Ruhnk. ep. crit. p. 111).

XC. (149).

Periboea cum Oleni habitarit, fortasse ad eam referendum censet Ruhnkenius fragmentum apud Strab. VIII, p. 342 Cas. p. 526 Alm. ὁ δὲ Τευθέας εἰς τὸν Ἀχελῶον ἐμβάλλει τὸν κατὰ Δύμην ῥέοντα, ὁμώνυμον τῷ κατὰ τὴν Ἀκαρνανίαν, καλούμενον καὶ Πεῖρον. τοῦ δ' Ἡσιόδου εἰπόντος

*Ὤικεε δ' Ὠλενίην πέτρην ποταμοῖο παρ' ὄχθας*
*Εὐρήος Πείροιο,*

μεταγράφουσί τινες πόροιο [alii, ut Mosc. πώροιο] οὐκ εὖ. Cuius fragmenti partem seruauit Stephanus Byz. u. Ὤλενος· πόλις Ἀχαΐας καὶ Αἰτωλίας — — καὶ Ἡσίοδος· Ὤικεε — ποταμοῖο. Stephanum citauit Eustathius

ad Il. *Δ*, 756. p. 883, 1 (835): *προςεχῆ δὲ τῷ Βουπρασίῳ καὶ τὰ ἐφεξῆς χωρία, ὧν πέτρα μὲν Ὠλενία, ἧς φασι μεμνῆσθαι καὶ Ἡσίοδον ἐν τῷ Ὤικεε δ' Ὠλενίην πέτρην, δοκεῖ ἀπὸ Ὠλένου καλεῖσθαι πόλεως Ἀχαΐας· αὐτὴ δὲ ἀπὸ Ὠλένου, υἱοῦ Ἀναξιθέας, μιᾶς τῶν Δαναΐδων κατὰ τὸν τὰ ἐθνικὰ γράψαντα.*

*παρ' ὄχθας*] Heynius ad Il. *B*, 617 *παρ' ὄχθαις*. *εὐρῆος* ex Strabone restitui; Gaisf. Dind. et Goettl. ex Ruhnkenio *εὐρεῖος*.

## XCI.

Ruhnkenii coniecturam modo memoratam quominus pro certa habeamus impedit quod Oleni mentio saepius ab Hesiodo facta uidetur. Diod. Sic. V, 81: *Μετὰ δὲ ταῦτα* (sc. *τὸν κατὰ Δευκαλίωνα κατακλυσμὸν*) *Μακαρεὺς εἰς αὐτὴν* (de Lesbo insula loquitur) *ἀφικόμενος καὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας κατανοήσας κατῴκησεν αὐτήν. ἦν δὲ ὁ Μακαρεὺς υἱὸς μὲν Κρινάκου τοῦ Διός, ὥς φησιν Ἡσίοδος καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν ποιητῶν, κατοικῶν δ' ἐν Ὠλένῳ, τῆς τότε μὲν Ἰάδος, νῦν δ' Ἀχαΐας καλουμένης.*

## XCII. (67).

Asopi, fluuii Achaiae, Phliasium et Sicyonium agrum interfluentis (Paus. II, 5, 2) filia erat Aegina, quam rapuit Iuppiter. Apollod. III, 12, 6, 7. Diod. Sic. IV, 72. Hygin. f. 52. Tzetza ad Lycophr. u. 176: *Λέγουσιν, ὅτι Αἰακὸς ἐξ Αἰγίνης καὶ Διὸς γεννηθεὶς ἐν τῇ ἀπ' αὐτῆς Αἰγίνῃ νήσῳ κατελείφθη μόνος, ᾐτήσατο δὲ τῷ Διΐ, καὶ ὃς τοὺς μύρμηκας ἀνθρώπους ἐποίησε, καθὰ καὶ Ἡσίοδος ἐν τῇ Ἡρωϊκῇ Γενεαλογίᾳ φησίν·*

*Ἡ δ' ὑποκυσαμένη τέκεν Αἰακὸν ἱππιοχάρμην·*
*Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἥβης πολυηράτου ἵκετο μέτρον,*
*Μοῦνος ἐὼν ἤσχαλλε· πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε,*
*Ὅσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου,*

Τοὺς ἄνδρας ποίησε βαθυζώνους τε γυναῖκας.
Οἵ δ' ἤτοι πρῶτον ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας.

Hoc fragmentum, quod etiam in Schol. ad Pind. Nem. III, 21 extat, uno uersu augetur Schol. ad Ol. VIII, 26. — Ἡσίοδος·

Οἵ δ' ἤτοι πρῶτον ζεῦξαν νέας ἀμφιελίσσας,
Πρῶτοι δ' ἱστία θέσσαν νεὼς πτερὰ ποντοπόροιο.

U. 1] ἠδ' libri Tzetzae. — Ibid. Viteb. 3 τέτοκεν υἱόν. Vit. 1. Ciz. om. Αἰακόν, relicta lacuna. Vit. 2 Αἰακὸν bis. U. 2] πολυκράτου Vit. 1. Ciz. U. 3] δ' omittunt libri in Schol. Pind.; addidit Boeckhius Heynio auctore. U. 4] ἔνδοθι Vit. 2. 3 et Schol. Pind., ἔνδοθε uulgo apud Tzetz. U. 5] τόσους libri Tz.; emendauit Thryllitzschius. U. 6] οἱ δή τοι uulgo; corr. Dind.; reliquit Lehm. οἵ δ' ἤτοι Boeckhius. Ibid. πρῶτον Schol. Pind. et apud Tzetzam Vit. 1 Ciz. „Coniicitur πρῶτοι, quod omnino exspectes, neque tamen reponere audeo, quod etiam Schol. Nem. III, 21 seruat gratius sonans πρῶτον. Deinde uulgo τεῦξαν: ζεῦξαν, quod Schol. Nem. habet, reposui, aduersante licet Ruhnkenio ep. cr. p. 110. Cf. O. Mueller. Aeginet. p. 75 et p. 14.“ Boeckh. (ad Schol. Ol.). U. 7] exhibui uulgatam scripturam licet corruptam, quam Heinsius sic emendauit: θέντο νεὼς κυανοπρώροιο; de qua emendatione Ruhnkenius l. l. sic iudicat: „Metrum necessariam facit Heinsii correctionem θέντο. At nescio, cur uir doctissimus scripserit — νεὼς κυανοπρώροιο. Nam alterum exquisitius est, et prorsus Hesiodeum. Ἐργ. καὶ Ἡμ. 628: Εὐκόσμως στολίσας νηὸς πτερὰ ποντοπόροιο. Notissimum est illud Uirgilii: *uelorum pandimus alas.* [Aen. III, 520]. Remos πτερὰ dixit Homerus Od. Λ, 124: οὐδ' εὐήρε' ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται. Uide Potterum ad Lycophr. 25.“ Cum Ruhnkenio consentit Vossius (adnot. et gl. m. p. 81). Cod. Gotting. habet θέσσαν ἐπὶ πτερά. Hinc Boeckhius edidit: πρῶτοι

*δ' ἱστία θέσσαν ἐπὶ πτερὰ ποντοπόροιο Νηός.* In nota haec addidit: „Sequebatur credo *ἐΰσσελμον.* Possis etiam *πρῶτοι δ' ἱστία νηὸς ἔθεσσαν ποντοπόροιο.* Sed obest metrica quaedam ratio subtilior." (Quanquam similia exempla plura apud Hesiodum inueniuntur. Uid. fr. V, 3. Th. 438. 703. Sc. 395. 429. Op. 443. 721. 778): „Si modo *θέσσαν* deprauatum iudicarem, libens scriberem: *πρῶτοι δ' ἱστί' ἔθεν νηὸς πτ. π.* Sed uide ne fuerit: *πρῶτοι δ' ἱστία νηὸς ἐπὶ πτερὰ ποντοπόροιο θέσσαν ...*" Ex quattuor his coniecturis secundam et tertiam Hermannus prorsus improbat. Tertiam Schneidewinus quoque (Exercitt. critt. p. 27. Not.) proposuit, a Boeckhio sibi praereptam non animaduertens. Hermannus uerum restituisse hac emendatione sibi uidetur:

*πρῶτοι δ' ἱστία θέσσαν ἔπι πτερὰ ποντοπορούσαις* siue *ποντοπορῆσαι.* Lehmannus, qui Ruhnkenii librum negligenter inspexit, plura in adnotatione ad hoc fr. (61) deliquit. Uenditat autem Ruhnkenii sententiam pro sua.

Certa emendatio fieri nequit huius loci, quem ex Eoeis sumptum esse suspicor.

XCIII. (158).

Suid. u. *δαῖτας· καὶ οἵους Ἡσίοδος παρεισάγει τοὺς*

*Αἰακίδας, πολέμῳ κεχαρηότας, ἠΰτε δαιτί.*

Quod testimonium Lexicographus e Polyb. V, 2 petiit.

XCIV. (49).

Tzetz. prol. ad Lycophr. p. 261: *Ἐπιθαλαμιογράφοι δὲ οἱ ποιηταί, ὅσοι πρὸς τοὺς νυμφίους ἐν γάμοις ἐγκώμια ἔγραφον, οἷος ἦν ὁ Ἀγαμήστωρ ὁ Φαρσάλιος καὶ ἕτεροι, καὶ Ἡσίοδος αὐτὸς γράψας ἐπιθαλάμιον* (al. *—μια*) *εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν·*

*Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις, ὄλβιε Πηλεῦ,*
*Ὃς τοῖς δ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις.*

U. 1] Interpunctionem emendauit Dind.; olim

*Αἰακίδη, καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ.*

U. 2] *εἰςαναβαίνοις* Vit. 3. Phauor. Lex. p. 612, a: *ὅς τις ἐν Μεγάροις κτλ.* Uide Heyn. ad Apollod. T. II, p. 313. Cf. Gell. III, 11.

XCV. (196).

Schol. Uictor. ad Il. *Π*, 175 de Pelei filia: *Ζηνόδοτος δὲ Κλεοδώρην φησίν, Ἡσιόδου καὶ τῶν ἄλλων Πολυδώρην αὐτὴν καλούντων.*

Pro Hesiodo Gaisfordus (ad fr. 78) sine ratione Heliodorum inducere uolebat.

XCVI. (186).

Eustath. ad Il. *Α*, 335, p. 112, 44 (85) et Eudoc. p. 331: *Ἰστέον δὲ ὅτι τὸν Πάτροκλον ἡ παλαιὰ ἱστορία καὶ συγγενῆ τῷ Ἀχιλλεῖ παραδίδωσι, λέγουσα ὅτι Ἡσίοδός φησι Μενοίτιον τὸν Πατρόκλου πατέρα Πηλέως εἶναι ἀδελφόν, ὡς εἶναι αὐτανεψιοὺς οὕτως ἀμφοτέρους ἀλλήλοις.* Cf. Mueller. Aegin. p. 12.

XCVII.

Schol. ad Il. *Ζ*, 35: *Ἀχιλλεὺς ὑπὸ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον πορθῶν τὰς περιοίκους τῆς Ἰλίου πόλεις ἀφίκετο εἰς τὴν πάλαι μὲν Μονηνίαν* (Schol. min. *Μονῆταν*), *νῦν δὲ Πήδασον καλουμένην, καὶ αὐτὴν σὺν ταῖς ἄλλαις ἑλεῖν. ἀπογνόντος δὲ αὐτοῦ τὴν εἰς τὸ τέλος πολιορκίαν διὰ τὴν ὀχυρότητα τοῦ τόπου καὶ μέλλοντος ἀναχωρεῖν, φασὶν εἴσω τῶν τειχῶν οὖσάν τινα παρθένον ἐρασθῆναι τοῦ Ἀχιλλέως καὶ λαβοῦσαν μῆλον ἐπὶ τοῦτο ἐπιγράψαι καὶ ῥῖψαι εἰς μέσον τῶν Ἀχαιῶν· ἦν δὲ ἐν αὐτῷ γεγραμμένον·*

*μὴ σπεῦδ', Ἀχιλλεῦ, πρὶν Μονηνίαν ἕλῃς·*
*ὕδωρ γὰρ οὐκ ἔχουσι, διψοῦσιν κακῶς.*

*τὸν δὲ Ἀχιλλέα ἐπιμείναντα οὕτω λαβεῖν τὴν πόλιν τῇ τοῦ ὕδατος σπάνει. ἡ ἱστορία παρὰ Δημητρίῳ καὶ Ἡσιόδῳ.* Cf. Welcker. de cycl. p. 282. N. 458. Bernhardy hist. litt. Gr. 198.

## XCVIII. (95).

Messeniorum et Lacedaemoniorum fabulae. Initium faciamus a Perieris stirpe.

Schol. Pind. Ol. XI (X), 83: Ἁλιῤῥόθιος Μαντινεὺς ὁμώνυμος τῷ Ἀθηναίῳ, ὃς ἦν Ποσειδῶνος καὶ Βαθυκλείας· ἔνιοι δὲ γράφουσι Σῆρος Ἁλιῤῥοθίου, οὗ μέμνηται καὶ Ἡσίοδος·

*Ἤτοι ὁ μὲν Σῆρον καὶ Ἀλάζυγον, υἱέας ἐσθλούς.*

ἦν δὲ ὁ Σῆρος τοῦ Ἁλιῤῥοθίου τοῦ Περιήρους καὶ Ἀλκυόνης.

Codd. Ἀλάζογον. Vrat. Ἀλαζονόν. — Quod dedi, inde ab Heynio omnes receperunt.

## XCIX.

Perieris filius erat Leucippus; cuius filiae Hilaera et Phoebe, et Arsinoe, mater Aesculapii secundum Messeniorum famam, a qua diuersam uide fr. CXLI sq.

Paus. II, 26, 6: Οὗτος ὁ χρησμὸς δηλοῖ μάλιστα, οὐκ ὄντα Ἀσκληπιὸν Ἀρσινόης, ἀλλὰ Ἡσίοδον ἢ τῶν τινα ἐμπεποιηκότων εἰς τὰ Ἡσιόδου τὰ ἔπη συνθέντα ἐς τὴν Μεσσηνίων χάριν.

Huc fortasse pertinent uersus apud Schol. Pind. Pyth. III, 14:

*Ἀρσινόη δὲ μιγεῖσα Διὸς καὶ Λητοῦς υἱῷ*
*Τίκτ' Ἀσκληπιὸν υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε.*

Copiosius de hac re supra expositum est. Cf. O. Mueller. Dor. I, p. 283.

## C. (105).

Aesculapius educandus Chironi traditus est. Schol. Pind. Pyth. IV, 181: Ὁ δὲ Ἡσίοδος Ναΐδα φησὶ τὸν Χείρωνα γῆμαι.

## CI. (34).

Athenag. Legat. pro Christ. p. 307 (ed. Hag. Com.) Περὶ δὲ Ἀσκληπιοῦ Ἡσίοδος μὲν

*πατὴρ (δ') ἀνδρῶν τε θεῶν τε*
*Χώσατ', ἀπ' Οὐλύμπου δὲ βαλὼν ψολόεντι κεραυνῷ*
*Ἔκτανε Λητοΐδην, φίλον σὺν θυμὸν ὀρίνων.*

δ' uulgo abest. — Uersus 3 duabus difficultatibus laborat, quum *Λητοΐδης* Apollinem, non Aesculapium significet et prior uocabuli *φίλος* syllaba semper corripiatur. Goettlingii autem coniectura *Λητοΐδην ἔκτεινε* proponentis et uiolenta est et ab una tantum parte satisfacit. Multo probabilior est Isleri emendatio (Quaest. Hes. spec. p. 11) *ἔκτανε· Λητοΐδῃ δὲ φίλον σὺν θυμὸν ὄρινεν*, quam in uerborum contextum recepissem, nisi obiectum uerbi *ἔκτανε* (*Ἀσκληπιόν*) omissum dubitationem mihi iniiceret.

CII. (33).

Schol. ad Hes. Theog. u. 142: *Οἳ δ' ἤτοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκια ἦσαν*] *Κράτης ἀντὶ τούτου ἄλλον στίχον παρατίθεται·*

*Οἳ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες.*

*πῶς γὰρ τοὺς αὐτοὺς (Κύκλωπας) θεοῖς ἐναλιγκίους λέγει καὶ ἐν τῷ τῶν Λευκιππίδων καταλόγῳ ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἀναιρεῖσθαι ποιεῖ.* Uide supra.

CIII. (84).

Cum Aesculapii morte coniuncta erat Apollinis seruitus. Schol. Eur. Alc. 1: *Ἡ διὰ στόματος καὶ δημώδης ἱστορία περὶ τῆς Ἀπόλλωνος θητείας αὕτη ἐστίν, ᾗ κέχρηται νῦν Εὐριπίδης. οὕτω δέ φησι καὶ Ἡσίοδος καὶ Ἀσκληπιάδης ἐν Τραγῳδουμένοις.*

CIV. (177).

Schol. ad Il. *Δ*, 195: *Μαχάων δὲ οὗτος υἱὸς Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἀρσινόης ἢ Κορωνίδος· κατὰ δέ τινας Ἠπιόνης* (*Ἡσιόνης* Schol. min. male), *κατὰ δὲ Ἡσίοδον* –

*Ξάνθης* (*Ξανθιππης* Schol. min.). In prioribus Aesculapii et Machaonis genealogias confundit scholiasta.

CV. (8).

Alter Perieris filius Tyndareos. Seruius ad Aen. VIII, 130: „*Quaeritur sane unde Euander Atridis genere fuerit coniunctus, et quamuis Hesiodus dicat coniunctus sit Euander, tamen quidam aiunt, Thyestae* (l. *Thestii*, Apollod. III, 10, 5, 3) *filias Ledam et Hypermnestram fuisse* (Apollod. I, 7, 10); *Ledae et Tyndarei filias Clytemnestram, Helenam et Timandram, quam duxit uxorem Echenus* (leg. *Echemus*) *Arcas, cuius filius fuit Euander.* Hinc corrigendus Lehmannus fr. 88.

Schol. Pind. Ol. XI (X), 79: ὑπὸ δὲ τούτου τοῦ Ἐχέμου τὸν Ὕλλον φασὶ τελευτῆσαι κατιόντα εἰς Πελοπόννησον· ἐγάμησε δὲ τὴν Τιμάνδραν. Ἡσίοδος·

Τιμάνδρην (φησὶ) Ἔχεμος θαλερὴν ποιήσατ' ἄκοιτιν.

Cod. ἀκοίτην, corr. Boeckhius, qui Heynium ad Apollod. III, 10, 6, p. 284 citauit.

CVI. (37).

Schol. Pind. Nem. X, 150: Ὁ μὲν Ἡσίοδος ἀμφοτέρους (Castorem et Pollucem) Διὸς εἶναι γενεαλογεῖ.

CVII. (35).

Schol. Pind. l. l. paullo post: Ὁ μέντοι Ἡσίοδος οὔτε Λήδας οὔτε Νεμέσεως δίδωσι τὴν Ἑλένην, ἀλλὰ θυγατέρα Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύας.

Pro Τηθύος Schol. Rom. Διός, quod recipiendum et cum Heynio ad Apollod. III, 10, 7, p. 285 pro Ὠκεανοῦ Ὠκεανίδος scribendum indicat Lehmannus ad fr. 89. Recte.

CVIII. (136).

Schol. Eur. Orest. 249: Στησίχορός φησιν, ὡς θύων τοῖς θεοῖς Τυνδάρεως Ἀφροδίτης ἐπελάθετο· ἡ δὲ

θεὸς ὀργισθεῖσα διγάμους τε καὶ τριγάμους καὶ λειψάνδρους αὐτοῦ τὰς θυγατέρας ἐποίησεν. — (Stesich. fr. LXXIV Klein.) — καὶ Ἡσίοδος·

τῇσιν δὲ φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Ἠγάσθη προςιδοῦσα, κακὴν δέ σφ' ἔμβαλε φήμην.

## CIX. (38).

Schol. Uict. ad Il. *T*, 240: Κρῆς ὁ Λυκομήδης, ὥς φησιν Ἡσίοδος, καταλέγων τοὺς μνηστῆρας Ἑλένης.

Apud Apollodorum, qui III, 10, 8 procorum catalogum exhibet, hoc nomen deest. Heynius ad Apollod. p. 288 id testimonium neglexit. Hygin. fab. 8 recensum diuersum habet, sed nominibus corruptis.

## CX.

Paus. III, 24, 70: Καὶ ὅτι μὲν τῶν Ἑλένης μνηστήρων Ἀχιλλεὺς οὐκ ἔστιν ἐν καταλόγῳ γυναικῶν, μηδὲν τοῦτο ἔστω τεκμήριον, οὐκ αἰτῆσαι Ἑλένην αὐτόν.

## CXI.

Schol. Uen. ad Il. *T*, 116; Δίδυμος παρατίθεται Φερεκύδην μὲν λέγοντα αὐτὴν τὴν Πέλοπος Ἀμφιβίαν. Ἡσίοδος δὲ Ἀρτιβίαν τὴν Ἀμφιδάμαντος ἀποφαίνεται. Sermo est de Stheneli uxore. Longe aliter Schol. Uict.: οἱ μὲν Ἀμφιβίαν, οἱ δὲ Ἀντιβίαν τὴν Ἀμφιδάμαντος. Ἡσίοδος δὲ Νικίππην φησὶ τὴν Πέλοπος. Cf. Heyn. ad Apollod. II, p. 129. Sturz. ad Pherecydem p. 140. Alterutrum scholion aliquid uitii contraxit.

## CXII. (80).

Tzetz. Exeg. Il. p. 68, 20: Ὁ Ἀγαμέμνων, ὁμοίως δὲ καὶ Μενέλαος, καθ' Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον Πλεισθένους, υἱοῦ Ἀτρέως, παῖδες νομίζονται, κατὰ δὲ τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀτρέως αὐτοῦ. — Ἀτρέως δὲ καὶ Ἀερόπης κατὰ μὲν τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀγαμέμνων,

*Μενέλαος καὶ Ἀναξιβία ἡ μήτηρ Πυλάδου· κατὰ δὲ Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον καὶ ἄλλους τινὰς Ἀτρέως καὶ Ἀερόπης Πλεισθένης· Πλεισθένους δὲ καὶ Κλεόλλας τῆς Δίαντος Ἀγαμέμνων Μενέλαος καὶ Ἀναξιβία. νεοῦ δὲ τοῦ Πλεισθένους τελευτήσαντος, ὑπὸ τοῦ πάππου αὐτῶν ἀνατραφέντες Ἀτρέως Ἀτρεῖδαι πολλοῖς ἐνομίζοντο.*

Huius genealogiae auctor Hesiodus dicitur etiam Schol. ad Hom. Il. *A*, 7. *B*, 249. Eustath. p. 21, 13 (16). Eud. p. 23. Schol. ad Tzetzae Allegor. in Cram. Anecd. III, p. 378, 10, ubi uersus Aeschylius (Agam. 1584) sic legitur: *ἀρᾶτ' ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.*

## CXIII. (96).

Schol. ad Sophocl. Electr. 539: *ὅμως οὐ συμφωνεῖ αὐτῷ (Σοφοκλεῖ) Ἡσίοδος·*

*Ἣ τέκεθ' Ἑρμιόνην δουρικλειτῷ Μενελάῳ·*
*Ὁπλότατον δ' ἔτεκεν Νικόστρατον, ὄζον Ἄρηος.*

Codd. *δουρικλυτῷ.* — *ἥ* accentu notaui, ut sit relatiuum.

## CXIV.

Pausan. I, 43, 1: *Λέγουσι δὲ (sc. οἱ Μεγαρεῖς) εἶναι καὶ Ἰφιγενείας ἡρῷον· ἀποθανεῖν γὰρ ταύτην ἐν Μεγάροις· ἐγὼ δὲ ἤκουσα μὲν καὶ ἄλλον ἐς Ἰφιγένειαν λόγον ὑπὸ Ἀρκάδων λεγόμενον· οἶδα δὲ Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν Καταλόγῳ γυναικῶν Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἑκάτην εἶναι.* Uide O. Mueller. Dor. I, p. 383.

## CXV.

Eustathius ad Il. p. 13, 44 (11 B) et Phauor. Ecl. p. 361, 9: *Βούτης υἱὸς Ποσειδῶνος, ὡς Ἡσίοδος ἐν καταλόγῳ.*

## CXVI. (139)

Aelian. U. H. XII, 20: *λέγει Ἡσίοδος τὴν ἀηδόνα μόνην ὀρνίθων ἀμελεῖν τοῦ ὕπνου καὶ διὰ τέλους ἀγρυπνεῖν,*

τὴν δὲ Χελιδόνα οὐκ εἰς τὸ παντελὲς ἀγρυπνεῖν, καὶ ταύτην δὲ ἀπολωλέναι τοῦ ὕπνου τὸ ἥμισυ. τιμωρίαν δὲ ἄρα ταύτην ἐκτίνουσι διὰ τὸ πάθος τὸ ἐν Θρᾴκῃ διατολμηθέν, τὸ εἰς τὸ δεῖπνον ἐκεῖνο τὸ ἄθεσμον. Uidentur de Procne et Philomela dicta fuisse.

## CXVII. (165).

Pausan. II, 6, 5. Σικυῶνα δὲ οὐ Μαραθῶνος τοῦ Ἐπωπέως, Μητίονος δὲ εἶναι τοῦ Ἐρεχθέως φασίν (Sicyonii). ὁμολογεῖ δέ σφισιν Ἄσιος, ἐπεὶ Ἡσίοδός γε καὶ Ἴβυκος, ὁ μὲν ἐποίησεν ὡς Ἐρεχθέως εἴη Σικυών, Ἴβυκος δὲ εἶναι Πέλοπός φησιν αὐτόν. Pausaniae testimonium peruertit Lehm. fr. 81. Uide Eumeli fr. IV.

## CXVIII.

Erechthei filia Procris nupsit Cephalo, de qua fortasse intelligendum est, quod dicit Grammaticus in Cram. Anecd. I. p. 461, 31. Ἡσίοδος δὲ τὸ πρόκριν παρὰ τὸ κρίσις, πρόκρισις, πρόκρισιν καὶ ἐν συγκοπῇ πρόκριν. De his uerbis Schneidewinus (Exerc. critt. p. 27) probabiliter sic disputat: „Hoc incredibile censeo — nolim enim ad illud decantatum magis quam intellectum ἄνδρα· ὕβριν decurrere — suspicarique pronum est, poetam Hesiodeum in explicatione fabulae Procridis nomen ipsi a προκρίσει inditum dixisse; nam teste Apollodoro III, 15, 1 Pteleonta marito προὔκρινε. Scio Hesiodum decurtatis formis delectari, quarum alia ratio est.“

## CXIX.

Cephalus Procridis maritus postea ab Aurora raptus. Paus. I, 3, 1. Ταύτης ἔπεστι τῷ κεράμῳ τῆς στοᾶς ἀγάλματα, ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς ἐς θάλασσαν Σκείρωνα καὶ φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον, ὃν κάλλιστον γενόμενόν φασιν ὑπὸ Ἡμέρας ἐρασθείσης ἁρπασθῆναι, καί οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα· καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ. ταῦτα ἄλλοι τε καὶ Ἡσίοδος εἴρηκεν ἐν ἔπεσι τοῖς ἐς τὰς γυναῖκας.

CXX. (81).

Hesych. u. Ἐπ' Εὐρυγύῃ ἀγών. Μελησαγόρας τὸν Ἀνδρόγεων Εὐρυγύην εἰρῆσθαί φησι τὸν Μίνωος, ἐφ' ᾧ τὸν ἀγῶνα τίθεσθαι ἐπιτάφιον Ἀθήνησιν ἐν τῷ κεραμεικῷ· καὶ Ἡσίοδος·

*Εὐρυγύης δ' ἔτι κοῦρος Ἀθηνάων ἱεράων.*

Uulgo Ἀθηναίων, quod audacter corrigere poterat Isler. Quaest. Hesiod., ut fecit Hermannus.

Huc pertinere uersum apud Artemidorum I, 8 suspicatus est Bernhardy. Hist. Litt. Gr. p. 216. Artemidorus sic dicit: Ταύροις δ' ἔτι κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται, καὶ ἐν Ἀττικῇ παρὰ ταῖς θεαῖς ἐν Ἐλευσῖνι

*Κοῦροι Ἀθηναῖοι περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.*

Sed Bernhardy. immemor erat Homerici loci, quem aperte respexit Artemidorus, Il. *B*, 550.

CXXI. (82).

Fortasse de eodem Androgeo capiendus est alter Hesiodi locus apud Ammonium u. Ὄρθρος· καὶ Ἡσίοδος, τελευτῆσαί τινα

*Πρωῒ μάλ' ἠΐθεον.*

Ruhnk.

CXXII. (87).

Plutarch. Thes. c. 16. Καὶ γὰρ ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις· καὶ οὔτε Ἡσίοδος αὐτὸν ὤνησε, βασιλεύτατον, οὔτε Ὅμηρος, ὀαριστὴν Διὸς προσαγορεύσας.

CXXIII. (88. 89).

Athen. XIII. p. 557. A. Ἡσίοδος δέ φησι καὶ Ἵππην καὶ Αἴγλην (sc. Θησέα νομίμως γῆμαι), δι' ἣν καὶ τοὺς πρὸς Ἀριάδνην ὅρκους παρέβη, ὥς φησι Κέρκωψ.

**Plutarch. Thes. c. 20.** *Πολλοὶ δὲ λόγοι καὶ περὶ τούτων ἔτι λέγονται καὶ περὶ τῆς Ἀριάδνης, οὐδὲν ὁμολογούμενον ἔχοντες· οἱ μὲν γὰρ ἀπάγξασθαί φασιν αὐτὴν ἀπολειφθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θησέως, οἱ δὲ εἰς Νάξον ὑπὸ ναυτῶν κομισθεῖσαν Ὠνάρῳ* (Vulcob. *Οἰνάρῳ*) *τῷ ἱερεῖ τοῦ Διονύσου συνοικεῖν· ἀπολειφθῆναι δὲ τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας·*

*Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης.*

*τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς.* In Theogonia *Ἔρος* est u. 120, 201, 910. Uide Isler. Quaest. Hes. p. 5 sq. Muetzell. l. l. p. 402.

## CXXIV.

**Harpocr.** u. *Μελίτη.* — *δῆμός ἐστι τῆς Κεκροπίδος· κεκλῆσθαι δέ φησι τὸν δῆμον Φιλόχορος ἐν τρίτῃ ἀπὸ Μελίτης, θυγατρὸς κατὰ μὲν Ἡσίοδον Μύρμηκος, κατὰ δὲ Μουσαῖον Δίου τοῦ Ἀπόλλωνος.* Eadem fere habent Suidas et Photius u. *Μελίτη.* — Uide Vales. ad Harpocr. l. l. O. Muellerum in Encycl. ab Erschio edita u. Attica citauit Lehmannus.

## CXXV.

**Strabo** IX, 1, 9. p. 393. Cas. 603. Alm. (III. p. 348 Tz.) a Steph. Byz. *Κυχρεῖος πάγος* citatus. *Κυχρείδης ὄφις, ὅν φησιν Ἡσίοδος, τραφέντα ὑπὸ Κυχρέως, ἐξελαθῆναι ὑπὸ Εὐρυλόχου, λυμαινόμενον τὴν νῆσον· ὑποδέξασθαι δὲ αὐτὸν τὴν Δήμητραν εἰς Ἐλευσῖνα καὶ γενέσθαι ταύτης ἀμφίπολον· ὠνομάσθη δὲ καὶ Πιτυοῦσσα ὑπὸ τοῦ φυτοῦ.* Cf. Meinek. ad Euphor. fr. p. 70.

## CXXVI.

**De Hercule.** Ad fabulas Herculeas pertinent ex Eoeis CLI, CLII, CLXIII, CLXIV, CLXVII. **Schol. Apollon. Rhod.** I, 747. *Ἡ Τάφος νῆσός ἐστι μία τῶν Ἐχινάδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι, οἱ πρότερον τὴν Ἀκαρνανίαν οἰκοῦντες, ἄνδρες ληστρικώτατοι τὸν τρόπον. καὶ*

εἰς Ἄργος ἐπελθόντες τὰς τοῦ Ἠλεκτρύωνος βόας ἀπήλασαν τοῦ πατρὸς Ἀλκμήνης. γενομένης δὲ μάχης καὶ ὁ Ἠλεκτρύων καὶ οἱ τούτου παῖδες ἀνῃρέθησαν. διὸ Ἀλκμήνη μετέστη καὶ ἀνεκήρυξεν τὸν ἑαυτῆς γάμον τῷ τιμωρησαμένῳ τὸν πατρῷον φόνον. τιμωρησάμενος δὲ Ἀμφιτρύων ἔγημεν. ἡ ἱστορία σαφῶς παρ' Ἡσιόδῳ.

Aliter res in Eoeis narrata erat, quarum partem Scuto praefixam habemus. Uide supra P. II. L. I. A. Cap. II. § 2.

## CXXVII. (36).

**Grammaticus** Scuto praemissus p. 92 Goettl. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ γ̄ φησὶν αὐτοῦ (sc. Ἡσιόδου τὴν Ἀσπίδα) εἶναι, ἔκ τε τοῦ χαρακτῆρος καὶ ἐκ τοῦ τὸν Ἰόλαον ἐν τῷ καταλόγῳ εὑρίσκειν ἡνιοχοῦντα τῷ Ἡρακλεῖ.

## CXXVIII.

Amyntoris, Ormeniorum regis, ab Hercule occisi, filia erat Astydamia, quae Herculi nupsit (Apollod. II, 7, 7, 6. coll. II, 7, 8, 12. Diod. IV, 37).

**Schol. Pind. Ol. VII, 42.** Ἀστυδαμείας] Ὅμηρος ταύτην Ἀστυόχην φησὶν, οὐκ Ἀστυδάμειαν. — καὶ Ἡσίοδος δὲ Ἀστυδάμειαν αὐτὴν φησι. Uid. O. Mueller. Dor. I. p. 421.

## CXXIX. (46).

**Schol. Sophocl. Trach. 266.** Διαφωνεῖται δὲ ὁ τῶν Εὐρυτιδῶν ἀριθμός· Ἡσίοδος μὲν γὰρ δ' φησὶν ἐξ Εὐρύτου καὶ Ἀντιόχης παῖδας οὕτως·

Ἡ δ' ὑποκυσαμένη καλλίζωνος Στρατονίκη
Εὔρυτον ἐν μεγάροισιν ἐγείνατο φίλτατον υἱόν·
Τοῦ δ' υἱεῖς ἐγένοντο Δηΐων[τε] Κλυτίος τε,
Τοξεύς τ' ἀντίθεος, ἠδ' Ἴφιτος, ὄζος Ἄρηος.
Τοὺς δὲ μέθ' ὁπλοτάτην τέκετο ξανθὴν Ἰόλειαν
Ἀντιόχη κρείουσα παλαιὸν γένος Ναυβολίδαο.

Cod. Laur. et ed. Rom. Ἀντιόχης et Ἀντιόχη: Brunckius

quem secuti sunt editores, *-όπης* et *-όπη*. — U. 3 pro *Δήτων* ex Diodoro IV, 37 *Μολίων* restituendum putat Hermannus ad Sophoclis locum; Wesselingius ad Diodorum *Δήΐων* maluit. *Κλυτίος τε* pro *Κλύτιος τε* rescripsi e consentiente grammaticorum doctrina, quam egregie illustrauit Lehrsius de Arist. p. 279. U. 6. Retinui librorum scripturam licet corruptam, cum probabilis emendatio non sit in promptu. Bentleius Epist. ad Mill. p. 503. ed. Lips. proposuit *κρείουσα Πύλωνος Ναυβολίδαο* ex Hygin. fab. 14; quam emendationem post Brunckium fragmentorum Hes. editores receperunt omnes, quamuis repugnante Hermanno l. l., cui post *κρείουσα* aliquot uerba, patris nomen continentia, uidentur intercidisse, ultima autem uerba Hesiodi *παλαιοῦ Ναυβολίδαο* fuisse, ut apud Homerum *παλαιοῦ Δαρδανίδαο*. Quum apud Heinsium et Loesnerum *Αὐβολίδαο* legeretur, Vossius (Adnott. et Gloss. marg. p. 81) coniecit *κρείουσ' ἀπαλὸν γένος Αὐβολίδαο*. Sed *Αὐβολίδαο* nihili est. Cf. Hom. Il. Β, 517. Apollon. Rhod. I, 134 sq. 208. Hoc apertum uidetur, uerba *παλαιὸν γένος* esse grammatici interpretantis explicationem uerbo *Ναυβολίδαο* et ei, quod ante hoc excidit, adscriptam, quod glossema deinde in textum illatum uerum nomen expulit. — Uide O. Mueller. Dor. I. p. 412.

## CXXX. (71).

Cum Euryti et Herculis rebus Autolyci fabula (Apollod. II, 6, 2) coniuncta est. Tzetz. ad Lyc. u. 344. *Οὗτος ὁ Αὐτόλυκος κλεπτοσύνῃ πάντας ὑπερέβαλε· κλέπτων γὰρ ἵππους τε καὶ βόας καὶ ποίμνια, τὰς σφραγῖδας αὐτῶν μετεποίει καὶ ἐλάνθανε τοὺς δεσπότας αὐτῶν, ὥς φησι καὶ Ἡσίοδος·*

*Πάντα γὰρ ὅσσα λάβεσκεν, ἀείδελα πάντα τίθεσκεν.*

Libri *ἀΐδηλα*. Apud Eudociam p. 375 et 394 uitiose sic scribitur, *πάντα γὰρ ὅσσα λάβεσκεν, ἀΐδηλα τίθησκεν*.

Paullo aliter uersum exhibet Etymol. M. p. 21, 26. Ἀείδελον· ἐπὶ τοῦ ἀοράτου ἐχρήσατο Ἡσίοδος περὶ τοῦ Αὐτολύκου· φησὶ γάρ·

Ὅττι κε χερσὶ λάβεσκεν, ἀείδελα π. τ.

καὶ γὰρ ὁ αὐτὸς, κλέπτης ὤν, ἔκλεπτε τοὺς ἵππους καὶ ἀλλοιοφανεῖς αὐτοὺς ἀπετέλει, ἐνήλλασσε γὰρ τὰς χροιὰς αὐτῶν. Mellmannus de caus. et auct. narrat. de mut. form. p. 60 censet narratiunculas illas de mutatis animalium formis a grammaticis fictas esse. Quod ad scripturam uersus attinet, Ruhnkenius ep. cr. p. 115 lexici uersum probat, Goettlingius ueram lectionem apud Tzetzam esse iudicat, modo ἀείδελα ei reddas, quod fecimus. Ἀείδελον formam, de qua Lehmannus Buttmannum Lexil. I. p. 257 conferri iussit, confirmat etiam Zonaras u. Ἀείδελον, ἀφανὲς, ὡς Ἡσίοδος περὶ Αὐτολύκου.

## CXXXI. (9).

Schol. Apollon. Rhod. I, 824. Θέσθαι (leg. Θέσσασθαι) γὰρ τὸ αἰτῆσαι καὶ ἱκετεῦσαι· καὶ Ἡσίοδος·

Θεσσάμενος γενεὴν Κλεοδαίου κυδαλίμοιο.

Legitur Κλεαδαίου; corr. Lehm. — Uersum ad Aegimium retulit Buttmannus (de Aleuad. p. 14. Mythol. II. p. 260) cum Goettlingio, non probante Lehmanno (fr. 118), quia Schol. Apoll. omnia, quae ex Aegimio petierit, addito nomine proferat. Dicere debebat, Hesiodum ab illo scholiasta non pro Aegimii auctore haberi. Uide O. Mueller. Prol. ad Myth. p. 400. Neque Welckerus Buttmanni sententiam probat (de cyclo ep. p. 264 sq.). De θέσσασθαι cf. Buttmann. Lexil. p. II, 111.

## CXXXII. (174).

Apollon. Soph. Lex. Hom. u. Αἰπύτιον· τὸν ἀπὸ τοῦ Αἰπύτου. ἔστι δὲ οὗτος τῶν Ἀρκαδικῶν ἡρώων, περὶ οὗ φησιν Ἡσίοδος·

*Αἴπυτος αὖ τέκετο Τλησήνορα Πειρίθοόν τε.*

Schol. Uen. ad *B*, 604. ἔστι δὲ — Ἡσίοδος, sine uersu.

Hinc aliquot fragmenta uarii argumenti subiiciam, quae ad Catalogum aut Eoeas pertinuisse uidentur.

CXXXIII. (169).

Etymol. M. p. 215, 37. *Βροτός, ὡς μὲν Εὐήμερος ὁ Μεσσήνιος ἀπὸ Βρότου τινὸς αὐτόχθονος· ὁ δὲ Ἡσίοδος ἀπὸ Βρατοῦ τοῦ Αἰθέρος καὶ Ἡμέρας.* Ad pleniorem Theogoniae formam referre uidetur Isler. Quaest. Hes. p. 38; ad aliud carmen Muetzell. p. 404.

CXXXIV. (160).

Etym. M. 77, 31. *Ἀμαρύσσω — καὶ ἀμάρυγμα καὶ ἀμαρυγάς· σημαίνει δὲ τὰς τῶν ὀφθαλμῶν ἐκλάμψεις·*

*Χαρίτων ἀμαρύγματ' ἔχουσα.*

*Ἡσίοδος.*

CXXXV. (25).

Strabo VII, 7. 2. p. 322 Cas. 496 Alm. (T. II. p. 477 Tz.) *Μάλιστα δ' ἄν τις Ἡσιόδῳ πιστεύσειεν, οὕτως περὶ αὐτῶν (Λελέγων) εἰπόντι·*

*Ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,*
*Τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς*
*Λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέας πόρε Δευκαλίωνι.*

*τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ συλλέκτους γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιοῦ καὶ μιγάδας αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ καὶ διὰ τοῦτο ἐκλελοιπέναι τὸ γένος.* Uersus tertius multis uirorum doctorum coniecturis tentatus est. Pro ἀλέας, quod cur posuerim infra dicam, in libris Strabonis est lacuna, quae in uno tantum recentiore manu uoce ἀλέους expleta est. Salmasius ad Sol. p. 146 λαοὺς, quod probant Tzschuckius [Lehmannus] et Goettlingius, aut, quod ipsi magis pla-

